IN OMNES PSALMOS COMMENTARIUS LITERALIS ET HISTORICUS, IN...

Siméon Marotte : de 1587-1644 Muis, ...

Digitized by Google

6
39 N
27

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
13. a

5 – 7 – 15

25 18
5.2.

Digitized by Google

5
F
18

Digitized by Google

Digitized by Google

IN OMNES PSALMOS COMMENTARIVS LITERALIS ET HISTORICVS.

In quo Pſalmorum argumenta accuratè tractantur, ac probantur, perpetuúſque ſingulorum verſuum contextus dilucidè oſtenditur:

CVM VERSIONE DVPLICI,

Vetere, & Nouâ ex Hebræo Fonte expreſſâ, & ad Veterem, quoad licuit, redactâ.

Autore SIMEONE DE MVIS, Aurelianenſi, Sacrarum Hebræarúmque literarum apud Pariſios Profeſſore Regio.

TOMVS PRIMVS

Pſalmorum priores libros duos complectens.

SOC. IESV BIBL. SEC. COLL. ROM.



PARISIIS,

Apud IOANNEM PETIT-PAS, viâ Iacobæâ ſub ſcuto Venetiarum.

M. DC. XXX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS
ET REVERENDISSIMIS
Dominis Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiæ Gallicanæ Patribus, Lutetiæ congregatis, *SIMEON DE MVIS*, Regius Hebræarum literarum Profeſſor S. P. D.

C*OGITANTI mihi*, Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi Patres, *quantùm inter veterem Pſalmorum editionem, & veritatem Hebraicam, quam appellat B. Hieronymus, diſcriminis interſit; tantùm ſcilicet vt ambæ aliud prorſus ac diuerſum interdum ſonent, illud venit in mentem, non ſine Dei numine & conſilio id factum eſſe, vt eo*

Digitized by Google

pluſ nobis eſſet, in quo mentis humanæ vires experiri poſſemus, maiorque diuinorum ſenſuum copia largius emanaret. In illa ſublimiores ſenſus deliteſcunt: in hac ſimplex, hiſtoricus, & literalis mira perſpicuitate, & felici verborum contextu, plerunque eluceſcit. Illam cum ex recentioribus, tum ex antiquis ita multi, vnoquoque ſeculo, commentariis illuſtrarunt, vt vix iniri ſumma poſsit eorum, qui in Vulgatam Pſalmorum editionem ſcripſerunt: huic qui lucis attulerint ſatis, è noſtris perpauci adhuc ſunt. Hæc me ratio mouit, Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi Patres, *vt quid poſſem in hac re, ipſe tentarem. Num felicius mihi ſucceſſerit, quàm aliis, neſcio: hoc ſcio & profiteor ſumma me vſum fide. Verſionem primum, quæ pro textu eſſet, ex Hebræo conſcripſi, ſed ita, vt nunquam tamen à Vulgatâ temere diſceſſerim. Id*

Digitized by Google

namque honoris Veteri verſioni habendum putaui : nec nimia nouitate lectoris ſtudium deterrere volui : nec rurſum , *vt Hieronymi verbis vtar,* contra conſcientiã meam fonte veritatis omiſſo opinionum riuulos conſectari. *Cæterum vt pictores pulchram abſolutámque faciem raro niſi in peius effingunt : ita facere non potui , quin à genuina Hebraici archetypi venuſtate ſæpe deciderim : quanquam ego verbum pro verbo, quoad licuit, ſtudui reddere, & id tutius iudicaui , quod tamen qui aliàs faciunt, interpretes indiſerti habentur , ne quo pacto fortaſſe alienum ſenſum affingerem. Commentarium verſioni adiunxi, quo & eius fidem facio , hiſtoricumque ac literalem ſenſum oſtendo. Neque vero ad hunc conſiciendum commentarium conſilii fuit , Sanctorum Patrum , ſed Hebræorum ferme duntaxat Doctorum commentariis vti :*

Præf. in Ecclesiaſten.

Digitized by Google

tum quod illos viderem omnibus eſſe in promptu; hos vero noſtris hominibus adhuc parum cognitos: tum quod illi propheticos ſenſus, quos mihi religio eſt attingere, potiſsimùm perſequuntur; hi vero (mitto eos, qui in allegorias excurrunt) grammaticum, ſimplicem, ac literalem ſenſum, quem tantùm ſequor, ſtrictiùs obſeruant, accuratiúſque rimantur: putà Salomo Iarhius, vulgò Raſi, Abrahamus Ezra, & omnium religioſiſsimè ac fideliſsimè Dauid Kimhius, qui idcirco מְדַקְדֵּק, *id eſt,* Grammaticus *eſt dictus, & alii, quos ego autores laudo. Accedit denique,* Illuſtriſſimi & Reuerendiſsimi Patres, *quod audiuerim placuiſſe vobis in vltimo conſeſſu veſtro, vt Hebræorum Commentarii in Latinam linguam transferrentur, aut ſaltem ex his, quæ vtilia eſſe poſſent, excerperentur. Nil diſsimulabo. Iamdudum*

Digitized by Google

admonitus officio, & munere, quod mihi à Rege impoſitum eſt, opus aliquod ex Hebræorum libris, ac commentariis meditabar extruere. Verùm multo ardentius ac ſtudioſius cœpi in id incumbere, poſtquam intellexi voluntatem veſtram. Multa ipſe tentaui: ſed tandem in Pſalmis ſubſtiti. Deterrebat quidem obſcuri poematis difficultas: ſed vicit admirabilis pulchritudo, atque elegantia ſingulari cum vtilitate coniuncta, fecitque ardui conaminis audaciam. Primum librum (nam quinque Pſalmorum Libros Hebræi conſtituunt) cum Commentario abſolui: quem ecce ad vos affero, Illuſtriſsimi & Reuerendiſſimi Patres, *vt de eo, pro ea, quam habetis à Deo, poteſtate, proq́ue ea, quam labia veſtra cuſtodiunt, ſcientiâ iudicetis. In vtramuis partem pronuntiatum à vobis fuerit, cedam, vt par eſt, auctoritati veſtræ.*

Digitized by Google

Quod ſi, vti ſpero, hoc qualecunque laboris mei initium probari vobis intellexero, non expectabo imperium veſtrum, ſed vltro me ad reliquam operis partem accingam; quodque in primo Pſalmorum libro præſtiti, idem ego propediem in reliquis, quos iam haud leuiter attigi, præſtabo. Hoc, & quæcunque vnquam à me proficiſcentur, Veſtro, Summi Pontificis, & Sacræ Romanæ Eccleſiæ iudicio ſubmitto. Lutetiæ, octauo Idus Iunij, R. S. anno M. DC. XXV.

Digitized by Google

LECTORI.

QVÆ te, Lector, ſcire intereſt, diſces ex Epiſtolis ſingulorum quinque librorum fronti præfixis, quas precor adeas; necnon ex Diſputatione, quæ mox ſequetur. Vnum aut alterum eſt præterea quod te volo, citari à nobis loca Scripturæ, vt habent in Hebræo, & iuxta Hebræam diſtinctionem & numerum. Exempli gratiâ, quum fortè deſigno Pſal. xvii. verſum 9. aut alium quempiam locum, intelligo ſecundùm Hebræos, quos ſciunt aut ſcire debent omnes paulò aliter interdum, in Pſalmis præſertim, numerare, ac verſus diſtinguere, quàm Græcum aut Latinum Interpretem. Item quum primum aut ſecundum Regum librum laudo, accipi volo iuxta Hebræos, quibus ſunt primus & ſecundus Samuelis, qui Græco & Latino primus & ſecundus Regum, ſeu, βασιλειῶν: primus autem & ſecundus Regum, qui Græco & Latino tertius & quartus Regum, ſeu βασιλειῶν. Illud porrò meâ intereſt te admoneri, Chalcographiæ noſtræ Hebraicæ defuiſſe nonnulla, ideóque minùs emendatas interdum aut accuratè impreſſas voces Hebraicas prodire. Nos penuriam hebræorum characterum & alia Chalcographiæ noſtræ hebraicæ vitia, redditis atque expreſſis latinè vocibus hebraicis, vtcunque ſuppleuimus, in hoc etiam tyronibus & rudioribus ſtudentes. Qui hebraicè ſciunt, ſperamus hac in parte fore nobis æquiores, nec quod Typographorum peccatum eſt, aut potiùs ipſius Typographiæ vitium, nobis vitio daturos. Tua, & mea refert maximè,

Digitized by Google

omiſſorum & commiſſorum indices, qui ad cuiuſque tomi calcem extant, vt conſulas: tua, ne fortè erres: mea, ne falsò accuſer abs te: imò vtrumque hoc tua iuxtà ac mea intereſt. Tui erit otij & diligentiæ ſingula ſuis quęque locis reſtituere: quod ſi facies, ſcito te permagnam à me gratiam initurum. Interim bene vale.

Digitized by Google

DE HEBRAICAE EDITIONIS AVTHORITATE AC VERITATE.

QVOD in ciuili vita Comicus dixit,

Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat, vt illa, quæ te ſcire credas, neſcias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies,

id latiùs patet. Fuit tempus, quum eadem, quæ multorum mentes tenet, animum quoque meum occupaſſet perſuaſio, Veteri ac Vulgatæ Sacrorum librorum editioni duntaxat habendam fidem, nullam aut ferè nullam Codicibus hebraicis, niſi cum illa conſentirent. Scilicet induxeram animum Iudæos literarum adiectione, detractione, immutatione, tranſmutatione, id eſt, vt verbo dicam, vocabulorum inuerſione, adhoc punctorum inuentione Sacras literas odio Chriſtianæ religionis in alienos detorſiſſe ſenſus, & quicquid illarum attigiſſent, venenato quaſi afflatu infeciſſe. Tum me igitur ita ſentientem, &, vt fit, apud alium atque alium hac de re diſſerentem impulit quorundam auctoritas, vt, quà fieri poſſet, Hebræos codices cum Vetere verſione in antiquam concordiam reducerem. Nec mora: haud impigrè, atque ingenti ſpe opus ſum aggreſſus: & quoniam Pſalmorum codex hebraicus, quòd nimiùm ac nimiùm à Vetere verſione diſtet, corruptus maximè ac deprauatus videbatur, placuit in eo primùm experiri quid poſſem, & illuc falcem admouere, vbi plura vitia pullulaſſe putabantur. Tentabam hinc atque illinc varios & varios locos. Inuertebam vocabula, immutatis ac tranſmutatis literis: addebam nonnunquam, aut ſubtrahebam literas: puncta immutabam. Quibuſdam in locis pulchrè mihi videbar diuinaſſe, & hoc mihi plurimùm placebam; ac ſi quis amicus ad me veniebat, aut ad illum ibam, conferebam. Interdum qui coniecturas meas probarent, reperiebam: qui tam violentas vocabulorum inuerſiones improbarent, haud etiam deerant. In alijs locis mens planè ſtupebat, &, vt cum Comico loquar, rationes iacebant, iudicium ſilebat. Imò poſtquam ex interuallo illos eoſdem locos, de quibus ipſe mihi vehementer placueram, relegebam, enimuerò tum me vanitatis pudebat: pœnitebat communicaſſe: pigebat temporis atque operæ malè conſumptæ: pudebat ſolœciſmorum & barbariſmorum, quos meis coniecturis ac mutationibus in librum alioquin elegantiſſimum inuexeram. Aliquos nunc referrem, niſi puderet vel meminiſſe. Tum igitur ſtatui apud me ſuam eſſe Veteri ſeu Vulgatæ, ſuam etiam Hebraicæ editioni auctoritatem, ac veritatem. Ac mihi ea de re attentiùs & ſæpius cogitan-

Digitized by Google

ti occurrerunt multa, quæ me in ſententia confirmarent, quod ad editionem Hebraicam attinet. Primùm, illud D. Hieron. in cap. 6. Eſaiæ: *Quòd ſi aliquis dixerit*, inquit, *Hebræos libros à Iudæis eſſe falſatos: audiat Origenem, quid in octauo volumine explanationum Eſaiæ huic reſpondeat quæſtiunculæ: quòd nunquam Dominus, & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis, & Phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent. Sin autem dixerint poſt aduentum* Domini *Saluatoris & prædicationem Apoſtolorum, libros Hebræos fuiſſe falſatos: cachinnum tenere non potero: vt Saluator, & Euangeliſtæ, & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, vt Iudæi poſtea falſaturi erant.* Non præteriit illud quoque argumentum, quod Illuſtriſſimus Card. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei, cap. 2. adfert aduersùs eos, qui, vt ipſe dicit ad mentem Iacobi Epiſcopi Chriſtopolitani, præf. in Pſalmos, & Cani lib. 2. cap. 13. de locis Theologicis, *zelo quidem bono, ſed neſcio*, inquit, *an ſecundum ſcientiam, omnino contendunt Iudæos in odium Chriſtianæ fidei ſtudioſè deprauaſſe, & corrupiſſe multa loca Scripturarum.* Tale eſt argumentum: *Si Iudæi falſare voluiſſent diuinas Scripturas in odium Chriſtianorum, ſine dubio præcipua vaticinia ſuſtuliſſent. Id autem minimè fecerunt; ſiquidem ea, in quibus diſcrepant Hebræa à Græcis & Latinis, ſæpe nullius momenti ſunt, quantùm attinet ad fidem & religionem, & ſæpe codices Hebræi magis Iudæos vexant, quàm Græci aut Latini.* Vide plura apud illum. Venit & in mentem quod ait D. Auguſtinus lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 13. ſoluens famoſiſſimam, quam ipſe vocat, quæſtionem de annis Mathuſalem, qui in Codicibus Hebræis aliter, aliter in Septuaginta verſione ſupputantur. *Sed cùm hoc dixero*, inquit, *continuò refertur illud Iudæorum eſſe mendacium, de quo ſuperiùs ſatis actum eſt: nam Septuaginta interpretes laudabiliter celebratos viros non potuiſſe mentiri. Vbi ſi quæram, quid ſit credibilius, Iudæorum gentem tam longè latéque diffuſam in hoc conſcribendum mendacium vno conſilio conſpirare potuiſſe: & dum aliis inuident authoritatem, ſibi abſtuliſſe veritatem: an Septuaginta homines, qui etiam ipſi Iudæi erant, in vno loco poſitos, quoniam Rex Ægypti Ptolemæus eos ad hoc opus adſciuerat, ipſam veritatem gentibus alienigenis inuidiſſe, & communicato iſtud feciſſe conſilio: quis non videat quid procliuiùs faciliúſque credatur? Sed abſit vt prudens quiſpiam vel Iudæos cuiuſlibet peruerſitatis, atque malitiæ tantùm potuiſſe credat in codicibus tam multis & tam longè latéque diſperſis: vel Septuaginta illos memorabiles viros hoc de inuidenda Gentibus veritate vnũ communicaſſe conſilium. Credibiliùs ergo quis dixerit, cùm primùm de Bibliotheca Ptolemæi deſcribi iſta cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuiſſe in codice vno, ſcilicet primitus inde deſcripto, vnde iam latiùs emanaret, vbi potuit quidem accidere etiam ſcriptoris error.* Hactenus D. Auguſtinus. Facere non poſſum vt taceam, quod ad iſta verba D. Auguſtini, *Sed abſit vt prudens quiſpiam* &c. annotat Ludouicus Viues, *Hoc idem reſponderi poteſt*, inquit, *his qui falſatos corruptóſque & ab Hebræis codices Veteris inſtrumenti, & à Græcis Noui obijciunt, ne veritas Sacrorum librorum ex illis fontibus petatur.* Liceat aliquid ex me dicere. Si Hebræus codex à Iudæis fuit deprauatus, cur Sanctus Greg. alicubi Hieronymi tranſlationem, quam nouam appellat, ex Hebræo eloquio cuncta veriùs transfudiſſe dicit: atque idcirco digniſſimam eſſe, cui fides in omnibus habeatur? At contendent aliqui à temporibus D. Hieronymi duntaxat corrupta eſſe Hebraica volumina. Probent: indicent locos. Ego profectò auſim præſtare præter locum Pſalmi 22. (nam alia, quæ ab alijs notantur, leuia ſunt & nullius ferè momenti) vbi nos cum D. Hieron. legimus, *Foderunt manus meas & pedes meos*: Iudæi verò, *ſicut leo manus meas & pedes meos*; in totis Hebræis codicibus inueniri nihil, quod optimam, cohærentem, piam, & Chriſtianæ fidei prorſus congruentem non habeat ſententiam. Si ita eſt, cur Iudæos abſque vlla euidenti ra-

Digitized by Google

tione falſi & ſacrilegij arguemus? Nemini dubium eſſe poteſt, quin Iudæi, ſi mutare voluiſſent quicquam, ea fuerint mutaturi, quæ à nobis aduersùs eos faciunt. At in iis, de quibus nos cum Iudæis præſertim conflictamur, ac dimicamus, vt ex Bellarmino antea notatum, illorum codices cum noſtris conſentiunt: nec de verbis aut textu vſquam, ſed de verborum ſenſu duntaxat controuerſia eſt. Si falſandi aliquem locum Iudæis cauſſa vnquam fuit, certè Eſaiæ caput 53. in quo ita de Chriſti Domini noſtri morte ac paſſione Eſaias vaticinatus eſt, vt eius coràm ſpectator fuiſſe videatur. At totus iſte locus integer relictus eſt, habétque in Hebræo codice prorſus, quomodò in Græco & Latino. Neque verò rationem vllam comminiſci quiſquam poteſt, cur alia adulterare voluerint, cùm ea reliquerint integra, quæ vel ſola corrumpere ipſorum intererat. Et profectò non eſt vt credi poſſit, Iudæorum gentem tam longè latéque diſſipatam in deprauanda ſacra biblia conſpirare potuiſſe, etſi fortè aliqui maximè voluiſſent. Nam quomodò omnes Iudæi ſimul in tantum facinus conſenſiſſent, ac illorum nemo ab eo conſilio alieno animo fuiſſet? Quî ſperare potuerunt clàm id fore conſilium, quod ſi fieret palàm, vt erat neceſſe, actum erat de cauſſa, quam ſibi conſcij eſſent non alia ratione poſſe ſe quàm exemplariũ deprauatione defendere? Deinde, quomodò codicibus tam multis, pérque vniuerſum orbem huc atque illuc variè diſperſis clam Chriſtianos omnes vitium afferri potuit? Itáne de dolo Iudæorum nemo Chriſtianorum ſubolfeciſſet? An quia toto orbe ſeiuncti à Chriſtianis fuerint Iudæi, vt quid apud eos ageretur, nullus rumor ad Chriſtianorum aures deferre potuerit? Saltem cur tot Iudæorum, qui ad Chriſti caſtra nullo non tempore perfugerunt, nemo fraudem retexiſſet? Adhæc ſi Iudæi, ne nobis auctoritatis aduersùm ſe copia eſſet, ſacros libros falſare voluiſſent, ſaltem penes ſe ſyncera atque incorrupta ſeruaſſent exemplaria. Quis verò de illis integris & ſynceris codicibus quicquam vel fando audiuit? Et quo in angulo terrarum illi deliteſcunt? Verùm, vt dem ſua Iudæos exemplaria omnia adulteraſſe, nego ac pernego in ea, quæ in Chriſtianorum bibliothecis extarent, neque ideo ipſorum iuris eſſent, quicquam potuiſſe. Omnes autem mihi videntur conceſſuri Hebraica Bibliorum exemplaria nunquam Chriſtianis defuiſſe. Equidem quum apud me reputo quo olim, hodiéque ſacros libros, ſtudio ac religione Iudæi colant, potiùs vt mille mortes & dira quæuis ſupplicia ſubire parati ſint, quàm vel vnam literulam mutari patiantur, tum magis ac magis in ſententia confirmor, ſícque mihi perſuadeo, æterni numinis conſilio fieri, ne tot illuſtrium virorum, ac Prophetarum ſcripta leuiſſimorum hominum perfidia labefactentur, imò vt qui hoſtes ſunt Chriſtianæ veritatis, eiuſdem, inuiti licet & reluctantes, teſtes ſint. Teneamus illud D. Aug. in Pſal. 40. *nobis ſeruiunt Iudæi, tanquam capſarij noſtri ſunt, ſtudentibus nobis codices portant.* Operæ pretium audire hoc loco D. Iuſtinum Martyrem, qui in ſermone ad Gentes, *Quòd ſi quis,* inquit, *obſtinatus neget hos Iudæorum libros ad ſe pertinere, qui vſque hodie in ipſorum Synagogis aſſeruantur, dicátque nos fruſtra inde pietatem diſcere, audiat ipſam Scripturam: quòd hæc doctrina non illorum, ſed noſtra ſit. Seruari autem etiam nunc apud Iudæos noſtram religionem, Dei erga nos eſt prouidentiæ, qui ne maledicendi occaſionem præbeamus ijs, proferendo illos ex Eccleſia noſtra, malumus illos è Iudæorum Synagoga proferri, vt ex lectione manifeſtè appareat, noſtram eſſe doctrinam, quicquid ſcripſerunt viri doctiſſimi.* Quæ hic de ſuis temporibus dixit, cur porrò ad noſtra etiam ſpectare inficiabimur? An quia Sacras literas non ampliùs curat prouidentia? Qui quàm diligentes ſint Iudæi, quiſque in deſcribendo ſibi Pentateucho, ſi à parentibus non habeant, aut vetuſtate vel caſu aliquo perierit, norunt: vt ipſarum membranarum cõ-

ficiendarum (nam illis in papyro, recente inuento, deſcribere religio eſt) artem quandam ſtrictè obſeruent; columnas ad amuſſim accuratè metiantur; in ſingulis columnis quot ducendæ lineæ ſedulò calculum ſubducant, quò vel decorum ſeruetur, ſpatia inter literas, dictiones, lineas ex Maiorum traditione ad certam regulam dimetiantur; in perforata membrana non ſcribant, putà, ne ה pro ח formetur, non clauſo hiatu, aut meatu, ſi fortè inciderit in membranæ foramen ea ח literæ pars, quâ ab ה differt, quòd claudatur, obſtruatúrque; & ſic de aliis litteris; vnam vel literulam, niſi inſpecto authentico exemplari, non pingant, etſi totam Legem fortaſſe memoriter teneant, quales ſanè reperiuntur inter Iudæos multi: illi, inquam, qui iſtud exploratum habent, (qui neſciunt, adeant, ſi licet, Rabbi Moſem Maiemonidem) non facilè credent impuras manus reliquis ſacræ Scripturæ libris Iudæos admouiſſe, cùm in illa, quam diximus, Scripturæ parte, non dico adeo religioſi, ſed planè ſuperſtitioſi hodiéque ſint. Monſtroſa porrò & fidem pene ſuperans Maſſoretarum, qui primi paulò poſt D. Hieronymi tempora vocalia puncta conſonantibus addidiſſe vulgò creduntur, diligentia Iudæos à falſi ſuſpicione, ſaltem ab ijs temporibus, liberat, quâ cauerunt ne quid Hebræis Sacrarum literarum codicibus adijci aut detrahi poſſet, ſingulorum librorum verſus, voces, literas numerando, eorundem medietates notando, quoties quæque dictio ſic aut ſic ſcripta atque affecta in vniuerſis libris occurreret ſupputando, interdum etiam, vbi opus eſſet, ſignificata diſtinguendo. Namque poſt eam diligentiam ſiquid interpolaſſent Iudæi in Sacris codicibus, facile foret ex Maſſora, hoc eſt, illa Critica, quã diximus, & quæ penes nos eſt, illos falſi conuincere: id quod fecimus ad verſum 17. Pſalmi 22. iuxta Hebræum numerum. Valeant, valeant nunc igitur illi, qui, quòd Sacra Biblia in manibus Iudæorum ſint, ea quotidie ab eorum quibuſlibet pro arbitrio, vtque viſum eſt, abſque vlla religione mutari, corrumpi, ac turpiſſimè, vt ita dicam, conſpurcari ſibi perſuadent, vt in illos verè competere videatur id quod de Harpyis cecinit Poëta,

Omnia contingunt, contactúque omnia fœdant immundo.

Si poſſunt oſtendere aliquam in Hebraicis voluminibus varietatem: (varietatem intelligo quæ ſenſum corrumpat & peruertat, ac ſaltem inſigniter immutet, mitto enim nunc illam ſcribendi & legendi diuerſitatem Orientales Iudæos inter & Occidentales, de qua mox dicetur) ſi, inquam, poſſunt oſtendere talem aliquam in Hebraicis codicibus diuerſitatem, quam infinitam eſſe oporteret, ſi illorum opinio vera eſſet, valere iubebimus Hebræos codices. At ſi id non faciunt, ſua opinione ſe deluſos fateantur neceſſe eſt. Ac ne fruſtra quærant in Hebraicis voluminibus diuerſitatem, audiant, nolo enim mihi credant, Benedictum Ariam Montanum, virũ, opinor, dignum, cui fidem habeant. Is in commentatione, quam de varia Hebraicorum librorum ſcriptione & lectione ſcripſit, ſic habet, *Vt in ijs libris qui ſine vocalibus conſcripti ſunt, certam conſtãtémque exemplarium omnium tum manuſcriptorũ, tum excuſorum ſcriptionem ſimilémque omnino comperimus, ſic in omnibus etiam ijs quibus puncta ſunt addita, non aliam cuipiam nec diſcrepantem alijs punctationem obſeruauimus; nec quiſquam eſt qui vllo in loco diuerſa lectionis Hebraicæ exempla ab ijs quæ circumferuntur, vidiſſe ſe aſſerat, modò Grammaticam rationem obſeruatam dicat. Et quidem Dei conſilio ac voluntate factum putamus, vt cùm magna Græcorum Latinorúmque ferè omnium eiuſdem auctoris exemplarium, ac præſertim manuſcriptorum pluribus in locis varietas deprehendatur, magna tamen in omnibus Hebraicis, quæcunque noſtro ſeculo inueniuntur, Biblijs ſcriptionis æqualitas & conſtantia ſeruentur, quocunque modo ſcripta illa ſint, ſiue ſolis conſonantibus conſtent, ſiue punctis etiam inſtructa viſantur.* At dices, Duo præ-

Digitized by Google

cipui punctorum inuentores diſſentiunt interdum, nec voces omnes eodem modo ſemper notant. Sit ita ſanè. Nihil attinet enim ad hoc quod agimus, de punctorum inuentoribus diſputare. Verùm quid tum poſtea? An exiſtimas propter illam diuerſam punctationem aliam effici ſententiam? An, putas, vnus legit דָּבָר *dauar*, quod *verbum* ſignificat, alter verò דֶּבֶר *deuer*, quod *peſtem*? Erras, ſi id credis, & rem ignoras, ô bone. Scito igitur non maioris, imò minoris momenti eſſe diuerſam illam punctorum lectionem apud Hebræos, quàm iſtam apud Gallos ſcribendi varietatem in vocibus *esteindre*, & *éteindre*, *deſpouiller*, & *dépouiller*, & cæteris eiuſmodi. Sed ex. gr. afferatur aliquid. Vnus articulum illum accuſatiui אֵת per tſere legit, alter verò per Segol, vnà cum Maccaph. Quid hoc refert, quæſo? Nonne ſiue hoc, ſiue illo modo legatur, ſemper manet articulus accuſatiui? Vnus legit נִשְׁבַּעְתִּי *niſchbati*, per Pathach ſub בּ, alter verò נִשְׁבָּעְתִּי *niſchbati*, per Kamets ſub בָּ. Quid tum? An aliud propterea vox illa ſignificat quàm *iuraui*? Hæc aut iſtiuſmodi varietas lectionis, quod ad vocales attinet, inter Orientales & Occidentales, quæ tantopere à quibuſdam exagitatur. Neque verò multò maioris momenti diuerſitas lectionis, quod ad conſonas ſpectat, inter Orientales & Occidentales, vt tu facilè intelliges, ſi adire volueris varias lectiones, quæ ad calcem Rabbinicorum Bibliorum extant. Certè non probat iſta varietas hos aut illos datâ operâ corrupiſſe & adulteraſſe Sacras literas. Nam ſi ita eſſet, Orientales reijcerent Occidentalium Biblia, & econtrà. At hoc adeo non verum eſt, vt Occidentales ad calcem Rabbinicorum Bibliorum varias ipſorum Orientalium lectiones libenter apponant: quod & idem facere Orientales nullus dubito. Et quid aliud ferè continet iſta diuerſitas quàm quarundam vocum Grammaticalem Criticam, quæ nihil aut profectò leuiter ſenſum immutet, certè non corrumpat? Saltem non fauet illa diuerſitas Iudæis, nec fraudi eſt nobis Chriſtianis. Haud abs re mihi videtur dixiſſe quiſpiam, adeo exigua eſt illa varietas, vniuerſa Hebraica Biblia *labij* eſſe *vnius & ſermonum eorundem*, ſicuti de vniuerſa terra ſcriptum legitur, priuſquam illa linguarum diſſidio eſſet damnata. Gen. 11. 1. Facilè patior dici, Samaritanum codicem reperiri, qui Hebraico nimirum idiomate, ſed Samaritanis characteribus ſit conſcriptus, alium ac diuerſum à codice Iudæorum. Nam dum Samaritanus codex nominatur, ſimul quorum iſte fuerit, intelligitur; Samaritanorum ſcilicet, quos apud Iudæos olim hæreticos audiſſe certum eſt. Vnde Chriſto exprobrabant Iudæi quòd Samaritanus eſſet, & Samaritanorum conſuetudine vteretur. Quod tamen nolo ſic à me dictum accipi, quaſi omnino derogare velim fidem iſti Samaritano codici, aut recuſem illum conſulere, id quod audio & ſcio feciſſe D. Hieronymum, ſicubi in Iudæos falſi ſuſpicio fortè inciderit. Sed omnes machinas ad nos commoliuntur aduerſarij, &, vt ille ait, vineas, pluteóſque agunt. Ioſuæ, inquiunt, cap. 21. in quibuſdam Hebraicis exemplaribus poſt connumeratas vrbes, quæ familijs filiorum Merari Leuitarum è Zabulonia tribu ſint attributæ, verſus leguntur duo, quibus quæ è tribu Rubenitica vrbes ijſdem ceſſerint, explicatur: in alijs verò deſunt. Audio & fateor. Igitur, inquies, Hebraicorum exemplarium ſaltem hîc aliqua inſignis diuerſitas: alia enim exemplaria habent, quod alia non habent. Fateor id quoque. Fatetur & Kimhi doctiſſimus Iudæus, qui tamen illos verſus duos in vllo vetuſto exemplari ſe vidiſſe negat. Ergo ſaltem hîc concordant veteres & emendatiores libri. Et Maſſora, quæ totius libri Ioſuæ verſus ſexcentos quinquaginta ſex numerat, procul dubio duos illos verſus, qui in quibuſdam codicibus extant, neſciuit: alioquin eius libri verſus fuiſſent ſexcenti quinquaginta octo ſupputandi, vti videre poteris, ſi tibi moleſtum non erit rem ad calculos reducere. Non quærimus nunc

Digitized by Google

tamen an admittendi ſint iſti duo verſus, nécne. Non eſt id enim præſentis inſtituti. Neque porrò Hebraicam editionem ſic tueri eſt animus, vt nihil prorſus impuri habere affirmemus. Tantùm maximæ eſſe debere auctoritatis defendimus, neque ita à Iudæis laceratam, atque aliqui arbitrantur; id quod ſummam illam omnium exemplarium æqualitatem euidenter probare contendimus. Æqualitatem autem illam, quæ alibi vbique cônſtans eſt, non mihi videntur profectò deſtruere verſiculi duo omiſſi fortaſſe iuſtis de cauſſis. Certè non vt falſaretur iſte locus. Quæ enim iſtius conſilij cauſſa hîc eſſe poſſet? Nam verſus duo qui in aliis codicibus reperiuntur, nihil Iudæis officiunt, neque Chriſtianis fauent. Ad hoc tam exemplaria in quibus leguntur, quàm ea in quibus deſunt iſti verſus, iuxtà ferè omnibus Iudæis probantur. Ac neminem Iudæorum reperire eſt, qui codices eos, qui habent iſtos verſus, damnet ac reijciat, & contrà. Quamlibet igitur cauſſam hîc potiùs ſuſpicari oportet, quàm falſandi conſilium. Expectamus ſi quid aduerſarijs ſupereſt quo nos impetant, & interpolatos à Iudæis Hebræos codices probent. Obijciunt, ſed fruſtra & temere, quorundam Patrum omni exceptione maiorum teſtimonia, vt Iuſtini Martyris, quem paulò antè pro nobis citauimus, in Dialogo cum Triphone Iudæo, Euſebij lib. 4. Hiſt. cap. 18. Origenis Homil. 12. in Ierem. qui videntur ſentire, aut ſuſpicari ſaltem, à Iudæis Sacras literas eſſe corruptas, ac mutilatas. Non enim boni illi viri aduertunt de Hebraicis codicibus minimè loqui laudatos Patres, notatis locis, ſed de Græca Septuaginta Interpretum verſione, quã quidem à Iudæis malè acceptam queruntur. Verba Iuſtini hæc ſunt: *Ac*, inquit, *quòd illi multos & integros illarum ex tranſlatione eorum, qui cum Ptolemæo fuere, ſeniorum ſuſtulerint, in quibus clarè hunc ipſum crucifixum Deum, & hominem eſſe, eúmque in cruce pendere & mori pronuntiatum eſſe oſtenditur, ſcire vos volo.* Verùm hac de re adire te iubeo Card. Bellarminum lib. 2. de verbo Dei, cap. 2. à quo malo te hæc diſcere, quàm à me. Nihil mouere debet, neque quicquam aduersùs Hebraicæ editionis veritatem facit, quòd ex eâ teſtimonia haud deprompſerint Apoſtoli ac Euangeliſtæ, ſed ex Græca potiſſimùm verſione. Namque id Apoſtoli & Euangeliſtæ prorſus videntur feciſſe, rudibus ſe vt accommodarent, quibus tum familiaris erat lingua Græca, non autem Hebraica. Nonne ſi apud eos, qui tantùm Græcè ſciebant, & Biblia ſolùm Græca legebant, ex Hebræo codice citaſſent, ſtatim falſarij & diuini Teſtamenti corruptores audiſſent, omnémque autoritatem amiſiſſent? Neque verò Hebraicæ editioni derogat Sacroſancta Synodus Trident. Seſſ. 4. dum Veterem & Vulgatam editionem pro authentica habendam eſſe decernit: ibi enim editionem Vulgatam cum alijs Latinis, non cum Hebraica editione confert. Sunt hæc verba Synodi: *Inſuper eadem Sacroſancta Synodus conſiderans non parum vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circunferuntur, Sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit & declarat, vt hæc ipſa Vetus & Vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, vel præſumat.* Quæ Concilij verba quomodò ſint accipienda, docet Alphonſus Salmeron, vnus è decem Societatis Ieſu primis patribus, & qui Concilio Tridentino interfuit, ideóque mentis Concilij legitimus eſt interpres, lib. 1. de Prolegomenis in ſacroſancta Euangelia, Proleg. 3. *Iam*, inquit, *ſecundo loco oſtendamus, non ita fuiſſe vulgatam Hieronymi editionem approbatam, vt propterea reiecta ſint intelligenda vel Græca vel Hebraica volumina: quod non eſt difficile oſtendere. Nihil enim ibi de exemplaribus aut Græcis aut Hebraicis agebatur; tantùm inter tot editiones latinas, quot noſtra ſecula*

partu-

parturierant, quænam ex illis præſtaret, ſermo erat: & reiectis reliquis Latinis, vnam hanc vulgatam reliquis tanquam veriorem, puriorem, dilucidiorem, ac ſuis fontibus, vnde eſt orta; (perpende hæc verba) *magis conſentientem pronunciauit.* Mox, paucis interiectis, addit, *licebit nobis, ſalua Concilij Tridentini authoritate, ſiue Græci, ſiue Hebraici exemplaris lectionem variam producere, eámque vti verum bibliorum textum expendere, & enarrare: nec tantùm bonos mores per eam ædificare; verùm etiam fidei dogmata comprobare, & ſtabilire, atque adeo ab illa ſumere efficax argumentum, tanquam ex textu Spiritus ſancti.* Accedit Philip. Gamachæus, doctor Sorbonicus, & Regius Theologiæ apud Pariſienſes Profeſſor, vir longiore vita dignus, qui Commentariis in primam partem D. Thomæ, ad quæſt. 1. ſic ſcribit, *Præterea Concilium nullam ibi prorſus facit mentionem editionum Græcarum, aut Hebræarum. Ergo nec Latinā ijs anteponit, quicquid dicat Greg. de Valentia in ſua Analyſi, lib. 8 cap. 5. Nihilominus tamen, etiamſi non anteponat, probabile eſt æquiparare & adæquare.* Vides quæ huius de authoritate Hebraicæ editionis fuerit ſententia: nimirum Hebraicæ editionis parem ſaltem atque Vulgatæ verſionis eſſe auctoritatem. At in Concilijs citatur ex Latino codice, non ex Hebraico. Mirum verò ſi Latini ex Latino citent codice. Quaſi ideo fecerint, vt fidem Hebraicis Archetypis abrogarent. Redeo ad ſacroſanctam Synod. Trident. quæ loco cit. decreuit & ſtatuit, *vt poſthac ſacra ſcriptura, potiſſimùm verò hæc ipſa vetus & vulgata editio, quàm emendatiſſimè imprimeretur.* Vnde mox laudatus Alphonſus Salmeron, prol. cit. colligit, *voluiſſe ſanctam Synodum ad Latinam editionem amplectendam, & in omnibus conſectandam nos arctare, non quidem ſimpliciter, ſed dummodo eſſet à vitijs, quæ in eam irrepſerunt, & ab omnibus mendis, & erroribus emaculata atque repurgata.* Idem ſentiunt Serrarius in Proleg. Bibliacis, cap. 19. quæſt. 11. Andreas Viega, qui Tridentino Concilio interfuit, lib. 15. in Concilium Trident. cap. 9. vbi affirmat ſe ab ipſius Concilij præſide Cardinale ſanctæ Crucis ſæpius hoc audiuiſſe. Quis verò præſtet hanc, quam habemus hodie, Latinam editionem omnibus mendis carere? Deſcribam hoc loco nonnulla ex præfatione ad Lectorem, quæ Biblijs Sixti V. Pont. Max. iuſſu recognitis præfixa eſt, annuente, vt apparet, Clemente VIII. Pont. etiam Max. cuius auctoritate illa ſunt edita, vt videre eſt ex illius Bulla data Romæ, die 9. Nouemb. 1602. Deſcribam, inquam, nonnulla ex illa præfat. ex quibus apparebit perſpicuè, nondum perfectam expletámque omnibus numeris, & partibus Verſionem Vulgatam, & vt illa fortè mendis Typographicis expurgata ſit, ita vt priſtinæ integritati quàm proximè ſit reſtituta, & primo illi nitori, quem habuit, dum primùm in lucem eſt edita, non tamen ab erroribus Interpretis, qui illam edidit, eſſe caſtigatam. Errores Interpretis dico. Abſit enim vt errores contra fidem aut mores intelligam. Sed audi quæ in ea Præf. habentur. *Accipe igitur, Chriſtiane Lector, eodem Clemente ſummo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia veterem ac vulgatam ſacræ Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia caſtigatam: quam quidem ſicut omnibus numeris abſolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt, ita cæteris omnibus, quæ ad hanc vſque diem prodierunt, emendatiorem, puriorémque eſſe minimè dubitandum. Et verò quamuis in hac Bibliorum recognitione, in codicibus manuſcriptis, Hebræis Græcíſque fontibus, & ipſis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre ſtudium adhibitum fuerit: in hac tamen peruulgata lectione ſicut nonnulla conſultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſultò immutata relicta ſunt: tum quòd ita faciendum eſſe, ad offenſionem populorum vitandam, Sanctus Hieronymus non ſemel admonuit.* Et ſtatim, *tum denique quia ſacræ congregationi ampliſſimorum Cardinalium, alijſque eruditiſſimis viris ad hoc opus à ſede Apoſtolica delectis propo-*

ſitum non fuit nouam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem vlla ex parte corrigere, vel emendare, ſed ipſam veterem ac vulgatam editionem latinam à mendis veterum librariorum, necnon prauarum emendationum erroribus repurgatam ſuæ priſtinæ integritati ac puritati, quoad eius fieri potuit, reſtituere. Igitur nondum eſt omnibus numeris abſoluta editio Vulgata: &, ſi quis nouam ex Hebræo verſionem velit cudere, vel antiquum interpretem corrigere, ſi interdum hallucinatus videatur, poterit ipſe plura mutare, præſertim ſi doctis ſcribat, qui eiuſmodi mutationibus, modò in melius fiant, & citra fidei, ac doctrinæ Chriſtianæ detrimentum, nunquam offenduntur. Sed ſic diſputant aliqui: Tridentina Synodus anathemate damnauit quicumque libros Editionis Vulgatæ integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit. Igitur, inquiunt, vel ſinguli apices, ac ſingulæ literæ Vulgatæ verſionis, vtpote partes, ſunt retinendæ, nihilque demendum aut mutandum. Optima profectò ratiocinatio. Si ita eſſet, vt iſti philoſophantur, cur eadem Sacroſancta Synodus, vt vetus illa verſio quàm emẽdatiſſimè imprimeretur, decreuiſſet? Nam quo modo poſſet quàm emendatiſſimè imprimi abſque aliqua ſaltem literarum, aut etiam, ſi neceſſe eſſet, vocularum mutatione? Ac ſanè perquàm vehementer & grauiter peccaſſent Sixtus Papa V. & qui ſequuti ſunt ſummi Pontifices, qui curarunt ac perfecerunt tandem, vt vetus illa verſio emendatior, quàm antehac, prodiret. Vrgebunt & perſtabunt adhuc, integros Editionis Vulgatæ libros cum omnibus ſuis partibus pro ſacris & canonicis eſſe habendos. Quis dubitat? Nimirum per partes non ſingulæ literæ, aut apices, ſed capita, verſus, & maiores eiuſmodi partes videntur intelligendæ: quales partes ex quibuſdam libris Hæreticos expungere omnes ſciunt: quippe qui, vt alicubi dicit D. Auguſt. *Scripturas ſic accipiant, vt ſuo quodã priuilegio, imò ſacrilegio, quod volunt, ſumãt; quod nolunt, reijciant.* Sed quorſum iſta? Neque enim noſtri officij aut conſilij eſt, qui priuati ſumus, quicquam in Vulgata verſione immutare: niſi ſi fortè interdum, quod tamen perparcè facimus ac reſtrictè, quî, detractâ, aut additâ vnâ forſan literulâ, reſtitui illa poſſit, indicamus. Solùm tibi nouam verſionem damus ex Hebræo Fonte, quàm fieri potuit fideliter, expreſſam, & ad Veterem illam tamen, quam ſemper magni fecimus, quoad per Hebræũ licuit, exactam. Sed ſentio longiùs me aberrare à propoſito. Redeo igitur. Soleo ego hoc argumentum ijs opponere, qui contendunt Hebræos codices, Pſalmorum maximè, quia multùm à Latina editione differunt, à Iudæis malitioſè eſſe corruptos. Si Pſalmorum codex hebraicus corruptus eſt, vel ante D. Hieronymi, vel poſt D. Hieronymi tempora corruptus eſt. Si ante D. Hieronymi tempora, cur ille veritatem hebraicam Pſalmorum tam ſæpe laudat? Si poſt, cur eius ex Hebræo verſio, quæ inter illius opera extat, Hebraico textui, etiam cum punctis, quæ hodie ſunt, adeo eſt conſentiens? Addo & hoc: D. Hieronymus præfatione in Paralip. negat Septuaginta Interpretum puram, &, vt ab eis in Græcum verſa eſt, editionem permanere: imò iam tum ſua ætate eius editionis pro varietate regionum diuerſa ferri exemplaria affirmabat, & germanam illam antiquámque tranſlationem corruptam eſſe atque violatam. Idem præf. in Eſdram aiebat Septuaginta Interpretum exemplaria varietatem ipſam lacerata & inuerſa demonſtrare, nec poſſe vtique verum aſſeri quod diuerſum eſt. Cardinalis Bellarminus cap. 6. lib. 2. de verbo Dei, negat interpretationem Septuaginta interijſſe quidem penitus, quod quidam putant: verùm multò probabilius cenſet adhuc illam ſupereſſe, *ſed adeo corruptam & vitiatam, vt omnino alia eſſe videatur.* Atqui Vetus & Vulgata Pſalmorum editio

cum Septuaginta ſeu Græca editione ferme vbique conſentit: ita conſentit, inquam, vt Salmeron, Proleg. citato, Latinam Pſalmorum verſionem ex Græca expreſſam eſſe doceat, ex Hebræis fontibus neget: & Card. Bellarmin. ad verſ. 13. pſ. 67. affirmet interpretem Latinum non ex Hebræo, ſed ex Græco traduxiſſe Pſalmos. Nihil vltrà addam. Satis eſt quod intelligitur. Atque hoc de Vulgata Pſalmorum duntaxat accipi volo. Nam aliorum librorum Vulgata non ita ab Hebræo aberrat: &, excepto Pſalterio, vt Bellarminus optimè obſeruat, lib. 2. de verbo Dei, cap. 6. Latina editio cum Hebræis codicibus magis conuenit, quàm cum Græcis. Vndequid aliquem impulerit neſcio, vt Septuaginta verſionem, eam nimirum quam in lucem edidit nuperrimè, ad mentem ſcilicet Septuaginta ſeniorum caſtigatam, & primo nitori redditam, Hebraico textui prætulerit: niſi velit fateri, Latinam Verſionem, cui ſæpius cum editione Hebraica, quàm cum Græca illa verſione conuenit, totam eſſe corruptam: quo modo etiam Card. Bellarminus loco cit. argumentatur. Faciam quod iubet D. Hieronymus præf. in Eſdram: mittam eum hominem ad Euangelia, in quibus multa ponuntur quaſi de Veteri teſtamento, quæ apud Septuaginta Interpretes non habentur: velut illud Oſ. 11. 1. *Ex Ægypto vocaui filium meum*: necnon illud Zach. 12. 10. *videbunt in quem transfixerunt*: & alia multa, quorum nonnulla Præf. in Pentateuchum & Paralip. attingit B. Hieron. Petam ab eo, vbi iſta ſcripta ſint apud Septuaginta. Quæſtio ſemper fuit celebris, ac iam à temporibus D. Auguſtini valde eruditos exercuit, Num annorum Mathuſalem ſupputatio, quæ apud Septuaginta reperitur, vera ſit, quæ ſi vera eſt, illum diluuio annos quatuordecim ſuperfuiſſe oporteret, cùm tamen in Arca minimè legatur fuiſſe, ſed tantùm Noë, vxor eius, tres filij, horúmque vxores. Eam quæſtionem vt ſoluat D. Auguſt. lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 11. primùm eos irridet, qui, vt difficultati occurrant, negant in terra tempore diluuij extitiſſe Mathuſalem, ſed cum Enoch patre ſuo, qui tranſlatus fuerat, aliquantum fuiſſe, atque ibi, donec aquæ deſtitiſſent, vixiſſe affirmant, *nolentes*, ſunt hæc ipſius verba, *derogare fidem codicibus, quos in authoritatem celebriorem ſuſcepit Eccleſia: & credentes Iudæorum potiùs, quàm iſtos non habere quod verum eſt.* Pergit, *Non enim admittunt, quòd magis hîc* (hoc eſt, in Græcis codicibus) *eſſe potuerit error Interpretum, quàm in ea lingua eſſe falſum, vnde in noſtrã per Græcam Scriptura ipſa tranſlata eſt.* Tandem ſic concludit, eiuſdem lib. cap. 13. *rectè fieri nullo modo dubitauerim, vt quum diuerſum aliquid in vtriſque codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum vtrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potiùs credatur, vnde eſt in aliam per Interpretes facta tranſlatio.* Neque verò præterire poſſum id quod Ludouicus Viues ad hæc verba, *ei linguæ potiùs credatur*, &c. annotat, *Hoc ipſum*, inquit, *Hieronymus clamat, hoc ipſa docet ratio: & nullus eſt ſaniore iudicio, qui repugnet: ſed fruſtra conſenſus bonorum ingeniorum hoc cenſet. Nam rigidus ſtupor velut moles opponitur: non quia iſti inſcij ſunt earum linguarum; nam nec Hebraicè ſciebat Auguſtinus, & Græcè minùs quàm mediocriter: ſed non eſt in ijs ea modeſtia animi, quæ in Auguſtino. Hic vndecunque paratus erat doceri, iſti nuſquam volunt doceri, vbique docere quod ignorant.* Innumera alia omitto, quæ longum & ſuperuacaneum eſſet pertexere, cùm inſtituti noſtri non ſit cuiuſquam verſionis autoritatem eleuare, ſed Hebraicam editionem duntaxat tueri, ac defendedere, vt ijs faciam ſatis, qui meam ex Hebræo Pſalmorum verſionem probare non poſſunt, quòd à Vetere verſione interdum diſſideat, ideóque minùs, vt ipſi quidem putant, ſit legitima. Meliùs, inquiunt, operam tuam collocaſſes, ſi Hebræo codici repurgando, & ad Veterem verſionem conformando ſtuduiſſes. Ridiculum id optare, quod fieri nec debet, nec poteſt. An æquum eſt exemplar ex verſione, an

verſionem ex fide exemplaris caſtigare? At pollicentur ſe facturos. Faciant. Nunquam illis inuidebo hanc gloriam: quin iuuabo, ſi potero. Faciant ב ex כ, כ ex ב, נ ex ג, ג ex נ, ד ex ר, ר ex ד, ה ex ח aut ת, aut etiam vtramque hanc ex ה, & alterutram ex alterutra. Sufficiant ו pro ז, ז pro ו, י pro ו, ו pro י, & ſiquæ ſunt aliæ ſimiles literæ. Mutent quadrata rotundis, pro ם reponant ס, ל pro ר ſubſtituant, quòd illa aliquo caſu fortaſſe capite decurtata fuerit: rurſum, ſi libitum fuerit, amputent caput litteræ ל, vt fiat ר. Liceat quicquid libuerit. Puncta pro ſuo arbitratu commutent, literas tranſmutent, addant, ſubtrahant, omnia ſúſque déque vertant. Vocabulum in duo, tria, aut plura etiam ſecent, & rurſum, ſi commodum videbitur, duo, aut tria vocabula in vnum compingant: modò nè Calecutica, aut Iaponica pro Hebraicis, & inſulſum aliquod opus pro diuino Dauidis poëmate nobis obtrudant; nouámque hebræam linguam orbi terrarum, quaſi Mineruam Iupiter, è cerebro ſuo parturiant. Sit illis varius, ambiguus, & verſatilis textus Hebraicus, mihi ſemper certus & conſtans erit. Neque verò Veterem illam Latinam, aut etiam Græcam verſionem abijciendam vnquam putaui, vel hoc ſolùm nomine, quòd vtraque vetuſtatem oſtentet. Sed vtraque fortaſſe mendis & vitijs quibuſdam infecta etiamnum conſpicitur. Eſto. An veſtis maculis aſperſa, aut perperam prætérque artem facta, ſtatim eſt deponenda, aut abijcienda, an potiùs eluenda, aut corrigenda? Emendetur igitur vtraque illa verſio, ſed ex Hebræo potiſſimùm, &, quemadmodum Caſſiodorus ait, Lectionum diuinarum lib. 1. cap. 15. *vnde ad nos venit ſalutaris tranſlatio, inde iterum redeat decora correctio.* Verùm teneatur modus, ídque honoris antiquitati habeatur, Veteres vt illæ verſiones non ſubuertantur totæ, ſed quemadmodum in lacera naui fieri ſolet, in ijs ſolùm, quod opus erit, reſarciatur, ſic vt eædem manere dici poſſint, non ſecus atque nauis eadem perſeuerat ex Iuriſconſultorum ſententia, etſi puppis, prora, aliáque latera fuerint adtexta. Ad nos quod attinet, in noſtra ex Hebræo Pſalmorum verſione id fecimus, quod B. Hieron. in Nouo Inſtrumento ex Græca fide corrigendo feciſſe ſe teſtatur, præfat. Euangeliorum ad Damaſum: *ita ſcilicet calamo temperauimus, vt ijs tantùm, quæ ſenſum mutare videbantur, correctis, reliqua manere paſſi fuerimus vt erant.* Itaque concludo cum D. Hieron. præf. in librum Paralip. *Si quis in noſtra interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebræos, ſuam conſcientiam recolat, videat ordinem textúmque ſermonis: & tunc noſtro labori, ſi potuerit, detrahat.*

Digitized by Google

APPROBATIO DOCTORVM.

NOS ſubſignati in ſacra Theologiæ facultate Pariſienſi Doctores fidem facimus accuratè perlegiſſe & examinaſſe librum, cui titulus eſt, Simeonis Muiſij, Aurelij, Hebræarum literarum in Academia Pariſienſi Profeſſoris Regij, in Pſalmos Commentarius hiſtoricus, & literalis, *&c. in quo nihil comperimus, quod ab Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ doctrina ac religione alienum ſit; quin nouam ex Hebræo verſionem ſumma fide ac diligentia expreſſam, commentarióque germanum literalem, & hiſtoricum ſenſum aperiente, pari elegantia ac perſpicuitate illuſtratam ſummopere comprobauimus, atque adeo perutilem & publica luce digniſſimam iudicauimus. Datum Pariſiis, die 2. Junij, Anno 1625.*

E. DV. FRESNE DE MINCE'.

I. DREVX.

COPIE DV PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, Toulouze, Rouën, Bourdeaux, Dijon, Aix, Grenoble, & Bretaigne, Baillifs, Preuoſts, & Seneſchaux deſdits lieux, Lyon, Poictiers, Orleans, Bourges, & à tous nos Officiers ou leurs Lieutenans, Salut. Noſtre bien amé IEAN LIBERT, Marchand Libraire & Imprimeur en noſtre ville de Paris, nous a fait humblement remonſtrer qu'il luy a eſté mis es mains pour imprimer vn Liure intitulé, *Simeonis Muiſij, Aurelij, Hebræarum literarum Regij Profeſſoris in Pſalmos Commentarius hiſtoricus, & literalis, quo perpetuus contextus oſtenditur, & hiſtoria explicatur,* &c. lequel Liure a eſté approuué, comme remply de grande erudition & doctrine, par les Docteurs en la faculté de Theologie à Paris, qui l'ont eſtimé grandement vtile au public, & tres-digne d'eſtre mis en lumiere, par acte contenant leurdite approbation du ſecond iour du preſent mois cy attachée ſoubs noſtre contreſeel: Mais craint le ſuppliant que pour le fruſtrer de ſon trauail & frais qu'il luy conuiendra faire

Digitized by Google

pour l'impreſſion dudit Liure, les autres Libraires & Imprimeurs de ce Royaume vouluſſent faire faire la meſme impreſſion, à quoy il nous a tres-humblement ſupplié luy pourueoir. A CES CAVSES, inclinant fauorablement à la ſupplication & requeſte dudit Libert, Nous luy auons de nos grace ſpeciale, pleine puiſſance, & authorité Royale, donné & octroyé, donnons & octroyons par ces preſentes, congé & permiſſion d'imprimer ou faire imprimer en telles marges & caracteres que bon luy ſemblera ledit Liure, & iceluy mettre & expoſer en vente, & diſtribuer durant le temps de neuf ans, à commencer du iour & datte qu'il ſera paracheué d'imprimer; deffendant à tous Libraires & Imprimeurs de noſtredit Royaume, & à toutes perſonnes de quelque qualité qu'ils ſoient, de le faire imprimer ou mettre en vente durant ledit temps, ſans le congé & conſentement expres dudit Libert, ſur peine de confiſcation des exemplaires, d'amende arbitraire, & de tous deſpens, dommages & intereſts enuers luy, à la charge de mettre deux exemplaires dudit Liure en noſtre Bibliotheque publique auant que l'expoſer en vente, ſuiuant noſtre reglement, à peine d'eſtre deſcheu du preſent priuilege. VOVLONS en outre qu'en mettant ou faiſant par luy mettre au commencement ou à la fin dudit Liure ceſdites preſentes, ou vn bref extraict d'icelles, qu'elles ſoient tenuës pour ſignifiées, & venuës à la cognoiſſance de tous, ſans ſouffrir ny permettre luy eſtre fait ny donné aucun empeſchement au contraire, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques. Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Fontainebleau le vingt-ſixieſme iour de Iuin, l'an de grace mil ſix cens vingt-cinq, & de noſtre regne le ſeizieſme.

PAR LE ROY,

DAMONT.

Digitized by Google

ne
nt
li-
iſ-
re-
a-
, &
era
dit
ri-
res
de
m-
te,
v-
n à
e-
r-
o-
a-
&

Digitized by Google



SEPTIES IN DIE LAVDEM DIXI TIBI

Digitized by Google

PSALMORVM LIBER PRIMVS CVM COMMENTARIO.

PSALMVS I. I.

VERSIO

Vetus.

Beatus vir, qui
non abijt in con-
ſilio impiorum, & in via peccatorum
non ſtetit, & in
cathedra peſtilen-
tiæ non ſedit:
2 *Sed in Lege Domini voluntas eius,*
& in Lege eius meditabitur die ac no-
cte.
3 *Et erit tanquam lignum, quod plan-*
tatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod
fructum ſuum dabit in tempore ſuo:
4 *Et folium eius non defluet: & om-*
nia, quæcumque faciet, proſperabun-
tur.
5 *Non ſic impij, non ſic: ſed tan-*
quam puluis, quem proijcit ventus à fa-
cie terræ.
6 *Ideo non reſurgent impij in iudi-*
cio, neque peccatores in concilio iuſto-
rum.
7 *Quoniam nouit Dominus viam iu-*
ſtorum: & iter impiorum peribit.

Nova.

Beatvs vir, qui
non ambulauit in
conſilio [a] impio- *a improborum.*
rum, & in via pec-
catorum non ſte-
tit, & in conſeſſu
deriſorũ nõ ſedit.
2 Sed in Lege Domini voluntas eius:
& in Lege eius meditabitur die ac
nocte.
3 Et erit tanquam arbor plantata ſe-
cus riuos aquarum, quæ fructum
ſuum dabit in tempore ſuo, & fo-
lium eius non defluet, & [b] omnia, *b heb. omne, quod*
quæcumque faciet, proſperabun- *faciet, proſperabitur.*
tur.
4 Non ſic [c] impij: ſed tanquam *c improbi*
gluma, quam diſijcit ventus.
5 Ideo non [d] reſurgent [e] impij in *d ſtabunt*
iudicio, neque peccatores in concilio *e improbi*
iuſtorum.
6 Quoniam nouit Dominus viam
iuſtorum: [f] & iter impiorum peribit. *f via autẽ improborũ*

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argu-
mẽtum.

DOcet *Dauid hoc pſalmo, quid agendum ſit homini in hac vitâ: & quæ iuſtos præmia, quæ verò impios ac ſceleratos maneant pœnæ. Hic pſalmus eſt longè præſtantiſſimus, atque idcirco primo loco ponitur. Sic ferè Dauid Kimhi. Accipe breuem huius pſalmi ſynopſin. Pronuntiat Dauid felicem illum eſſe, qui omnem improborum conſuetudinem longè auerſatur; qui flagitioſorum exempla non imitatur; qui impiis Numinis ac religionis irriſoribus non aſſidet: ſed qui Lege Domini delectatur, eique diu noctúque ſtudet: illum arbori ad aquarum fluenta conſitæ eſſe perſimilem: vt enim hæc, inquit, perpetuis veſtita frondibus ſemper viret, ac ſuo tempore gratos & maturos fructus profert: ſic ille, dum viuit, perpetuò floret, aliis operâ & exemplo inſeruiens: improbos contrà affirmat inutili glumæ, quæ à vento quàm citò abripitur, eſſe perſimiles, ideóque ante Dei tribunal non diu permanſuros, quin abripiantur ad æterna ſupplicia, nec in pulcherrimo illo beatarum animarum concilio locum vnquam habituros.*

1 *Beatus vir*, &c. Huius, & duorum, qui ſequuntur, verſuum hæc ſumma, Bonos viros verè eſſe beatos. *Beatus vir.* Ad verbum ſecundùm Dauid Kimhi, *Beatitudines viri*: vox enim Hebræa אַשְׁרֵי *aſchre*, inquit, beatitudinem ſignificans, ſemper eſt num. plur. per quod datur intelligi non vnũ tantùm genus boni ad beatitudinem ſatis eſſe, ſed multa ſimul debere concurrere. Ego exiſtimo prædictam vocem aduerbiũ eſſe ſignificans *beatè*, quod vſurpetur quemadmodum alicubi apud Plautum *Bene vos, bene nos, bene te, bene me*, &c. quaſi hîc ad verbum diceretur, *Beatè virum illum.* Sed de hac re vide, ſi placet, in Notis noſtris ad Exercit. Gramm. Card. Bellar. in Pſ. 34. ad verſ. 8. Quoquo modo accipias, eódem res redit. *Qui non ambulauit* &c. Nota auxeſin ſeu gradationem in ſingulis membris, tum in verbis, tum in nominibus.

Ambulare in conſilio impiorum eſt ſinere ſe allici interdum conſiliis hominũ improborum, & eorum conſuetudine corrumpi ad aliquod duntaxat tempus: exiguam ſiquidem, vel potiùs nullam moram in conſilio improborum notat verbum *ambulandi*: ambulare enim dicit perpetuum motum, negátque omnem moram in loco Quomodò verbum hoc, quatenus dicit continuum motum, huic loco conueniat, dicetur mox.

Impiorum ſeu *improborum*, Græco ἀσεβῶν. Vox latina *impiorum*, non ſumenda hoc loco, ſicuti nec aliàs in Vulgatâ, in ſtricta ſignificatione, ſed latiùs, quatenus ſimpliciter notat homines improbos ac vitiis deditos. Vocabulum quippe Hebraicum רְשָׁעִים *reſchaim*, non eos propriè ſignificat, qui omnem in Deum pietatem exuerunt, ſed eos tantùm, qui variis animi cupiditatibus, quaſi æſtibus, agitati nunquam quieſcunt, ſed huc & illuc perpetuò diſ-

A currunt, vt ſequantur quod nunquam aſſequuntur, aliquid ſcilicet in quo conquieſcant. Probat hoc manifeſtè illud Eſaiæ cap. 57. verſ. 20. & ſequente, הָרְשָׁעִים *hareſchaim*, hoc eſt, *impij* ſeu *improbi* (Græco ἄδικοι) *quaſi mare feruens*, *quod quieſcere non poteſt, propelluntque aquæ eius cœnum & lutum. Non eſt pax impijs* ſeu *improbis*, Græc. τοῖς ἀσεβέσι. Necnon illud Prou. 4. 16. & ſequente, *non dormiunt* (improbi ſcilicet, ſeu impij) *niſi malefecerint, & rapitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantauerint: Quia comedunt panem impietatis* ſeu *improbitatis,*
B *& vinum rapinarum* (in Vulg. *iniquitatis*) *bibunt.* Huc quoque pertinet illud Iob. 3. 17. *Ibi* (ſcilicet in ſepulchro) *impij* ſeu *improbi ceſſant à tumultu*: quaſi diceret, Non antè deſinunt improbi turbas ciere, ſibíque & aliis negotium faceſſere, quàm eos mors oppreſſerit: ac propterea obſeruat Raſi ad locum Eſaiæ cit. improborum actiones cœno & luto comparari. Ex his omnibus conſtat vocem illam Hebraicam propriè notare turbulentos & inquietos homines, quos variæ hinc inde cupiditates nullo tempore reſpitare, aut quieſcere permittunt: idcirco optimè coniuncta eſt, vt obſeruant Ezra & Kimhi, cum verbo *ambulandi*: ad per-
C petuum ſcilicet animi motum deſignãdum, iuxta illud Eccleſ. 6. 9. *Melior eſt aſpectus oculorum, quàm ambulatio* (ſeu *itio*) *animæ*: quod Latinus expreſſit ſic, *Melius eſt videre quod cupias*, hoc eſt, frui præſentibus, *quàm deſiderare quod neſcias.* Quòd porrò propriè ſonet vox illa *inquietos*, probant etiam Ezra & Kimhi ex locis Scripturæ, vbi verbum רָשַׁע *raſcha*, vnde nomen hoc, illorum aliorúmque doctiorum ex Hebræis opinione, *inquietum eſſe* ſignificat, exempli gratia Iob 34. 29. vbi opponitur verbo, quod ſignificat *tranquillum eſſe*, & alibi.

Digitized by Google

Addo nomen hoc ſæpe opponi צַדִּיק tſaddik, quod eſt *iuſtus*, ac proinde nil aliud ſonare, quàm *iniuſtum* ſeu *improbum*. Exemplum habes Geneſ. 18. 23. *Nunquid perdes iuſtum cum* רָשָׁע *raſcha*, hoc eſt, vt oppoſitio docet, *iniuſto* ſeu *improbo*, in Vulg. *impio*, quod dubio procul latiùs accipiendum eſt: certè enim minùs omnino ſignificat vox Hebraica, quàm Latina, *impius*, ſtrictè ſũpta. Neque enim ſignificatio *inquieti*, quæ prima eſt & natiua iſtius nominis, ſatis exprimeret impium, qui excuſſo omni Dei timore ſæpe tranquilla eſt mente, ac ſecurè genio indulget, & vbique ſigna lætitiæ relinquit, quoniam exiſtimat hanc eſſe partem ſuam, & hanc ſortem ſuam. (Sap. 2. 9.) Haud inficior tamen vocem prædictam de quocumque ſcelerato dici, ita vt etiam pro impio interdum vſurpetur, ex gr. pſ. 10. verſu 4. & 13. vbi is dicitur Deum pro nihilo putare, eiuſque prouidentiam ac curam inficiari. Verùm hîc ob adiuncta præſertim, ad propriam, peculiarem, quámque habet à radice, ſignificationem videtur reſtringenda, à quâ tamen aliàs, vt fit, haud rarò abit. *In via peccatorum ſtare* eſt veſtigiis peccatorum inſiſtere, & facta eorum pertinaciter imitari: nam præterquàm quòd *via* hîc, vt aliàs ſæpe in ſacris litteris, viuendi conſuetudinem, eámque ferè longam & inueteratam ſignificat, *ſtandi* verbum moram dicit, ideóque pertinaciam indicat. Plus ergo eſt *via* quàm *conſilium*: plu item *ſtare* quàm *ambulare*: plus etiam *peccatores*, quàm *impij* ſeu *improbi*: per *peccatores* enim deſignat perfrictæ frontis homines, quos nullius iam ſceleris pudet, & hoc ipſum delectat peccare, etiamſi cauſa non ſit: quos idcirco *peccatores* nominat, & quidem Hebraica voce חַטָּאִים *chattaim*, quæ nomen ſubſtantiuum eſt, quo obfirmatus peccandi habitus notatur. Sic Sodomitæ Gen. 13. 13. & Amalecitæ 1. Sam. 15. 18. appellantur. Hanc vocem aliquid grauius ſignificare, quàm præcedentem, putat Ezra ad hunc locum: eámque eſſe Priſcorum ſententiam affirmat. *In conſeſſu deriſorum ſedere* eſt vnà cum impiis Dei irriſoribus otioſè ac ſecurè ſedentem omnem pietatem ac religionem habere ludibrio. Securitatẽ notat verbum *ſedendi*. *In conſeſſu*. Ad verb. *in ſede*. מוֹשַׁב *moſchau* autem, hoc eſt, *ſedes*, & locum, & inſtrumentum ſedendi ſignificat: hîc, vt exiſtimo, locum, id eſt metonymicῶs, conſeſſum, qui in vnũ locum fit: quanquam à Græco, Lat. & aliis vertitur vulgò *cathedra*. Fauet Chaldæus, qui interpretatus eſt בִּכְנִשַׁת *beſiath, in cœtu*. *Deriſorum*, (ſic vertit D. Hieronymus) hoc eſt, impiorum. Græcus vertit λοιμῶν;

A Lat. *peſtilentiæ*, quod eódem recidit: nam eiuſmodi hominibus, qui humana, diuináque rident, nulla peſtis maior eſſe poteſt. Dum enim ſuum errorem falsâ iudicij ſpecie prætexunt, facilè ſtultorum hominum, & gloriæ ingenij auidorum mentibus obrepunt, breuíque momento inſtar virulentiſſimæ peſtis ſuum venenum longè latéque effundunt. Impium alibi vocat Dauid *inſipientem*, Pſ. 14. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*: ſiquidem B impietas in ſtultos tantùm, & rationis expertes homines cadere poſſit, etſi illi ſæpe hominum iudicio videntur ſapientiſſimi. Nemo non videt plus dici in poſteriore hoc membro, quàm in prioribus: plus enim eſt *conſeſſus*, quàm *conſilium*, quàm *via*: conſeſſus enim dicit multorum concilium: plus *deriſores* quàm *impij* ſeu *improbi*, quàm *peccatores*: plus denique *ſedere* quàm *ambulare*, quàm *ſtare*. Senſus ergò huius verſus eſt, *Beatus vir, qui non ambulauit* &c. C multò minùs *in via peccatorum ſtetit*, ac deniq; multò minùs *in conſeſſu deriſorũ ſedit*. A maiori ad minus progreditur, quod frequẽs eſt in Sacris literis: ex. gr. Pſ. 121. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſraël*. Et alibi paſſim. Alij tamen cenſent idem duntaxat ter repeti in hoc verſu ad maiorem copiam. Porrò verba præt. temporis hîc, vt aliàs ſemper in generalibus ſententiis, per præſens exponi debent: ſic & aliàs futura: neque enim in generalibus ſententiis, quod accuratè tenendũ eſt, verba præt. aut fut. temporis tam ſignificant D quod factum aut futurum eſt, quàm quod perpetuò fieri ſolet aut debet. Obſeruat D. Kimhi his tribus verbis, *ambulare, ſtare, ſedere*, omnes omnino hominis ſitus contineri: nam *ſedere*, inquit, comprehendit & *cubare*: & præterea nemo ferè cubat, niſi vt dormiat: qui autem dormit, neque bene, neque malè agit: atque idcirco rectè omiſſum hoc loco verbum *cubandi*. Sic ferè ille.

2 *Sed in Lege* &c. Hinc diſcere eſt, cum qui à viâ quidem malâ deflectit, ſed nihil boni agit, non eſſe perfectum ac beatum E dicendum: quo ſenſu dicitur pſ. 34. 15. *Diuerte à malo, & fac bonum*, id eſt, Diuerte à malo, vt facias bonum: & pſ. 119. 3. *Multò minùs operantur iniquitatem: (ſed) in vijs eius ambulant*: ac ſi hoc loco dicitur, *Beatus vir qui non ambulauit* &c. *Sed in Lege Domini* &c. Ita ferè Kimhi. *In Lege Domini*, ſcilicet diſcẽdâ & exequẽdâ. *In Lege eius*, pro *in ea*, repetito antecedente pro relatiuo: quod non parum habet elegantię, vt obſeruant hoc loco Ezra, Kimhi, & alij, & probant ex Gen. 6. 9. vbi ter in eodem verſu ponitur *Noe*, aliſque ſimilibus

Digitized by Google

exemplis. Ad mentem Raſi, & aliorum vertendum eſſet, *& in lege ſuâ.* Ex quo, inquiunt, aliquis Legis diuinæ ſtudio totum ſe applicuit, illam ſuam fecit, túncque Lex Domini incipit illius dici, eiúſque nomine appellari. *Die ac nocte*, quoad per neceſſaria negotia licebit, & humanæ vires patientur. Igitur *die ac nocte*, hoc eſt, vt explicant Kabuenaki & alij, partem diei ac noctis.

3 *Tanquam arbor* &c. In Græco & Lat. *lignum* pro *arbore*, vt aliàs ſæpe. Nomen Hebræum עץ *ets*, lignum viride, & aridum ſignificat, hoc eſt, arborem, & lignum. Ierem. 17. verſu 7°. & ſequente, eadem prorſus ſententia, & ſimilitudo occurrit, quæ hîc, *Benedictus vir, qui confidet in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quaſi arbor* (in Græc. & Lat. *lignum*) *plantata ſuper* (*ſecus*) *aquas, & iuxta riuum mittit radices ſuas, & non videbit* (meliùs in Græco & Lat. *timebit*, ex ירא *ijra*, pro ירא *ijre*) *cùm venerit æſtus, & erit folium eius viride, & in anno ſiccitatis non erit ſollicita, nec* (*aliquando*) *deſinet facere fructum. Dabit* pro *dat*, vt in generali ſententia, quemadmodum dictum eſt. *In tempore ſuo*: non quemadmodum arbores in locis ſiccis plantatæ, quæ ſæpe ſpem hominum fallunt, nec proferunt fructus. *Et folium eius non defluet*, ſeu *decidet* tam citò ac facilè, quàm folia aliarum arborum ſolent ob ſiccitatem. Kimhi hîc repeti vult ex mox præcedente membro *in tempore ſuo*: alioquin enim arborum etiam ad aquarum fluenta conſitarum folia decidunt, ſed non in ſummis caloribus, quando mortales ad vmbram arborum confugiunt, vt folia aliarum arborum ſolent, ingruente vehementiore pluuia. Quod ergò dicitur, *& folium eius non defluet*, intelligendum ex Kimhi & aliorum Hebræorum ſententia, repetendo *tempore ſuo*, quum ſcilicet arbor, vel folium ipſum vmbram præbere debet. Sed ſimplicius eſt accipere, vt dictum eſt, *non defluet* tam citò. Aut fortaſſe non loquitur Dauid de qualibet arbore, ſed de palma, quæ gaudet riguis, & poſt decerptum fructum folia non abiicit: atque huc congruet illud pſ. 92. 13. *Iuſtus vt palma florebit.* *Et omnia, quæcunque faciet* vir ille, *proſperabuntur*, ſeu *quæcunque facit, proſperantur*, ſi ad externam duntaxat ſpeciem non attendas, aut præſentia non tantùm ſpectes, ſed exitum: iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Priore membro huius verſus virum pium cum arbore fructiferâ, ac perpetuò virente comparat, ſignificans virum pium, quum ad iuſtam maturitatē peruenit, gratos atque vtiles fructus producere, ipſúmque perpetuò vigere, nec vnquā laboribus fatigari, aut difficultatib. deiici. *Charitas patiens eſt: benigna eſt: omnia ſuffert: omnia ſuſtinet: Charitas nunquam excidit*, inquit Apoſt. 1. ad Corinth. 13. Poſteriore verò membro ſummatim comprehendit fœlicitatem viri pij, affirmans quicquid agit, proſperè ac fœliciter illi ſuccedere. Placet admodum, quod vult Ezra, ſignificari ſuprà dictâ comparatione, vt fructus maturi ex eiuſmodi arbore decerpuntur, ſic animam hominis iuſti cognitione Dei plenam à corpore ſeparari, ac veluti decerpi ad æternam vitam: (quam *mundum ſuperiorem* vocat) qui vitæ iuſtè ac piè tranſactæ fructus eſt: illud autem, *& folium eius non defluet*, de fœlici recordatione, quæ nuſquam intercidit, iuxta illud Prou. 10. 7. *Memoria iuſti in benedictionem, & nomen impiorum putreſcet*: hoc denique, *& omnia, quæcumque faciet, proſperabuntur*, de diuitiis, liberis, & gloria eſſe accipiendum. Sic ferè ille. Reperi in manuſcripto quodam hebræo anonymo hæc ferè: Sunt autem qui explicent *fructum ſuum*, animam, quæ reuertitur ad Deum, quum plenam perfectionem eſt adepta: illa enim tunc ſe habet inſtar fructus, qui poſtquam rite maturuit, non eget ampliùs arbore, ſed ab ea auellitur. *Et folium eius.* Folium nō aliud ſignificat quàm corpus. *Non defluet* ſeu *decidet* perpetuùm, (vt in arboribus, quæ ob nimiam ſoli ſiccitatem prorſus areſcunt) ſed poſtea renaſcetur. Reſurrectionem mortuorum ſubindicat. Sic ferè reperi, niſi quòd addidi paucula perſpicuitatis ergô.

4 *Non ſic impij* ſeu *improbi*: Græco οἱ ἀσεϐεῖς: &c. In hoc & ſequente verſu docet Dauid longè aliam eſſe improborum & ſceleratorum ſortem, quàm bonorum. *Non ſic improbi*, inquit, proſperè agunt, ſibíque aut aliis vtiles ſunt, ſed tanquam gluma, inane vel leuis auræ ludibrium ac ſpolium, nulli prorſus vſui aut rei ſunt. Non cum qualibet palea improbos confert, eſt enim quæ alicui vſui ſit, colligatúrque & diligenter recondatur, ſed cum gluma, & volantibus quiſquiliis, quæ tantùm abeſt vt commodum aliquod mortalibus adferant, vt potiùs illorum oculos grauiter lædant. Videtur autem ſignificare tacitâ antitheſi pios tritico ac frumento eſſe ſimiles, quod ſuo pondere manet immotum, & congregatur in horreum. Locus Iob 21. ver. 17. & ſequēte, vbi de improborum ruina ſermo eſt, multùm huic lucis affert: *Quoties lucerna impiorum extinguetur, & veniet ſuper eos contritio ipſorum, dolores*

Digitized by Google

diſtribuet in furore ſuo? Erunt ſicut palea ad faciem venti, & ſicut gluma, quam ſuffuratur turbo. Huc reſpiciebat Iohannes Baptiſta, quum improbos *paleas* nominabat Lucæ 3. Vide porrò, ſi placet, quàm ſceleratorum hominum conditionem in hoc verſu extenuet Dauid. Siquidem probum virum cum arbore virente contulerat, videbatur improbum areſcenti ſaltem arbori comparaturus, cùm tamen hunc glumæ, neque ſimpliciter cuilibet, ſed vel à leui vento huc illuc diſiectæ ſimilem eſſe affirmet: quâ quidem imagine nulla excogitari poteſt, quæ improborum hominum inſtabilitatem meliùs repræſentet. Annotat Kimhi per הָרְשָׁעִים *hareſchaim*, intelligendos eſſe in hoc verſu etiam peccatores & deriſores, quorum ſcilicet in primo verſu facta eſt mẽtio.

5 *Ideo non reſurgent* &c. Hebraicè eſt verbum יָקֻמוּ *iakumu*, quod Ezra exponit *ſtabunt*: Græcus ἀναςήσονται: Latinus *reſurgent. Ideo non reſurgent* (ſeu *ſtabunt*) *in iudicio*, id eſt, Quia ſunt tanquam leuis & inutilis gluma, ſtare non poterunt ante Dei tribunal, ſed ſubitò ad pœnas abripientur. *In iudicio*, id eſt, in die iudicij vniuerſalis, ſiue particularis. *Neque peccatores* (ſup. *ſtabunt* aut *reſurgent*) *in concilio* &c. Hoc eſt, non adſcribentur iuſtorum concilio, quemadmodum exponit Raſi. Hęc poſtrema pars verſus priorem explicat, & idem bis dicitur, vt mos eſt vbique ferme in Pſalmis. Quod ergo dicitur, *non reſurgent*, haud ita debet accipi, quaſi, vt putant aliqui Hebræorum, improbi non ſint reſurrecturi in extremo die, ſiquidem illorum anima vnà cum corpore pereat: ſed quòd coram Deo iudice ſubſiſtere non poterunt, nec in bonorum cœtu. Fauet Chaldæus, qui hoc ſic interpretatur, *Ideo non* יִזְכּוּן *ijzcun, abſoluentur* (ſeu *iuſti pronuntiabuntur*) *impij in die magnà.* Quidam verbum *ſtandi* hîc accipiunt contrario ſenſu atque latinè dici ſolet *cadere cauſa.* Quo modo accipiendum videtur apud D. Paulum ad Rom. 14.° quum ait *Domino ſuo ſtat aut cadit. Stabit autem:* &c. quaſi diceret Apoſtolus, Qui *credit ſe manducare omnia*, hoc eſt, ſibi licere veſci omnibus, à domino ſuo abſoluetur aut cõdemnabitur. *Stabit autem*, quaſi dicat, Ac

A verè tibi poſſum affirmare non caſurum causâ, ſed abſoluendum. Siue hoc, ſiue illo modo accipias hîc *ſtandi* verbum, eôdem ſemper redit ſententia. Potes accipere *non reſurgent*, vt ſonat, ſcilicet in reſurrectionem vitæ, ſed in reſurrectionem iudicij: *Ioh. 5.* non in vitam æternam, ſed in opprobrium *Dan. 12.* & contemptum ſempiternum. *In concilio.* Caue legas hîc *conſilio*: vox enim Hebræa עֲדַת *adhath*, *concilium*, non *conſilium* ſignificat. Mendosè igitur in quibuſdam exẽplaribus Latinis, *conſilio*, niſi conſilium accipias pro loco conſilij, quo modo accipi

B poteſt vox Græca βουλῇ, ex qua fortè expreſſum fuerat *conſilio*, quod in Bibliis Sixti correctum eſt *concilio*.

6 *Quoniam nouit* &c. Proborum & improborum diuerſæ ſortis, atque exitus cauſam breuiter reddit, ſed efficaciter admodum. *Nouit*, inquit, *Dominus viam iuſtorum*, hoc eſt, curat illorum ſtudia atque actiones, dirigendo ac prouehendo, dum proſperum habeant exitum, ſuúmque aſſequantur finem, qui Deus eſt: quod eſt contrarium poſteriori membro, *& iter impiorum*, ſeu *improborum peribit*, ſaltem in alte-

C ra vita, Deo tandem illos ob ſcelera ſeuerè puniente pro ſua iuſtitia. Quòd *cognoſcendi* ſeu *ſciendi* verbum ſignificet *curare* ſeu *curam gerere*, habes multis in locis: exempli gratia Pſ. 144. 3. *Domine quid (eſt) homo, quòd cognoſcis* (hoc eſt, curas) *eum?* Naum 1. 7. *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & ſciens* (*agnoſcens*) *ſperantes in ipſo.* Eſt qui explicet hîc verbum *cognoſcendi* pro *munerare*, Gallicè *recognoiſtre*. *Geneſ.* Sed hoc alienum eſt à conſuetudine Hebræi ſermonis. *Via* pro viuendi ratione ſæpe

D ponitur: hîc pro termino viæ, hoc eſt, exitu actionum, quemadmodum & pſ. 49. 14. *Iter improborum* &c. Hoc eſt, improbi ob ſuam viuendi rationem tandem pereunt, metonymicῶs: non enim illorum via ſeu iter, ſed illi pereunt. Sic Eſ. 1. 30. hebraicè, *quercus defluens folijs ſuis*, cùm tamen quercus non defluat, ſed folia. Sic 2. Reg. 18. 37. hebraicè, *ſciſſi veſtibus*, cùm tamen non illi, de quibus illic mentio fit, ſciſſi fuerint, ſed eorum veſtes. Alia tibi occurrent ſimilia in ſacris litteris.

Digitized by Google

PSALMVS II. II.

VERSIO

NOVA.

a vel tumultuata ſunt

b heb. inane?

QVARE [a] fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt [b] inania?
2 Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius?
3 Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis funes ipſorum.
4 Qui habitat in cœlis, irridebit: Dominus ſubſannabit eos.
5 Tunc loquetur ad eos in irâ ſuâ, & in furore ſuo conturbabit eos.
6 Et ego inunxi Regem meum ſuper Sion montem ſanctum meum.
7 Narrabo decretum: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.
8 Poſtula à me, & dabo Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.
9 Conteres eas in virgâ ferreâ: tanquam vas figuli confringes eas.
10 Et nunc Reges intelligite; erudimini qui iudicatis terram.
11 Seruite Domino in timore, & exultate cum tremore.
12 Oſculamini filium, nequando iraſcatur, & pereatis de viâ, quum exarſerit in breui ira eius: beati omnes qui confidunt in eo.

VETVS.

QVARE fremuerunt Gentes: & populi meditati ſunt inania?
2 Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.
3 Dirumpamus vincula eorum: & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.
4 Qui habitat in cælis irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos.
5 Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.
6 Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.
7 Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.
8 Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.
9 Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.
10 Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.
11 Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.
12 Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.
13 Cùm exarſerit in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo.

COMMENTARIVS.

Argumentũ.

HIC *pſalmus verè eſt propheticus de Chriſto, non modò interpretibus Apoſtolis Act.* 4. *& alibi, ſed etiam ſcriptoribus apud Hebræos magni nominis, veteribus præſertim. Nec repugnant Ezra & Kimhi recentiores, quominùs hic pſalmus de Meſſia accipiatur: quanquam & de Dauide explicant; quod non omnino alienum iudico, ſi modò Dauid vt Chriſti typus conſideretur: regnum enim Dauidis fuit in omnibus typus ſeu exemplar regni*

Digitized by Google

Chriſti : quod ſi eſt, vt ab omnibus admittitur, profectò omnia, quæ de Chriſto ſunt explicanda, de Dauide, ſi fieri poteſt, primò erunt intelligenda. Neque hic vllum incommodum: imò ſic fieri oportet, alioquin Dauid non fuiſſet Chriſti typus, nec forma futuri. Dubitari certè non poteſt, quin Dauid ſit auctor huius pſalmi, cùm ipſi Apoſtoli Act. capite cit. Dauidem Spiritu Sancto afflatum hic locutum teſtentur. Sed ipſe in perſonà Chriſti magis, quàm in ſua loquitur : neque enim omnia, quæ hic dicuntur, tam facilè poſſunt Dauidi competere. Dauid igitur in perſona Chriſti admiratur regum & principum temeritatem, qui ad impediendum æternum Dei de Chriſto decretum vndique conſpirent, affirmans ac prædicens omnes illorum conatus vanos fore & irritos, & Chriſtum, velint, nolint, longè latéque regnaturum. Sub finem eóſdem hortatur, vt humili ac demiſſo animo Deo ſeruiant, atque obediant, lætique & alacres eius filio ſeſe ſubiiciant, niſi velint Dei iram in ſua capita accerſere. Ad quam occaſionem à recentioribus Hebræis referatur hoc carmen mox ad 1. verſum annotabitur. Obſeruat Kimhi *Rabbinos quoſdam exiſtimare hunc pſalmum vnum eſſe cum præcedente : ipſe verò affirmat eſſe ſecundum, ac ſic in emendatioribus exemplaribus ſe inueniſſe. Sed nemo dubitet quin hic ſit ſecundus pſalmus, quando D. Paulus verſum ex eo citans eum nominat ſecundum, Act. 13. in Græc. Lat. & Syriacis codicibus, ſaltem melioribus : in quibuſdam enim teſtis eſt D. Hieron. in primum pſalmum, citari pro primo. Denique argumenti diuerſitas diuerſos pſalmos arguit.*

1 *Quare fremuerunt* ſeu *tumultuatæ ſunt,* ſeu *turmatim concurrerunt* &c. Non audiendi Rabbini, qui hîc, vt in omnibus locis qui ſunt de Chriſto, miſerè cæcutiunt, palpantque in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris; quippe quos iamdiu percuſſerit (*Deut. 28.*) Dominus amentia, & cæcitate, & ſtupore cordis. Quin audiamus potiùs Apoſtolos, qui Act. cap. 4. iam cit. hos duos verſus hunc in modum explanant : *Domine tu es, qui feciſti cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt : qui Spiritu Sancto per os patris noſtri Dauid pueri tui dixiſti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius? Conuenerunt enim verè in ciuitate iſtâ aduersùs Sanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſraël facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Hactenus Apoſtoli loco cit. Rabbini, qui de Dauide hunc Pſalmum interpretantur, vt Raſi, Ezra, Kimhi, & alij, ad illud tempus referunt, quando Philiſtæi, vt eſt 2. Sam. 5. cognito quòd Hebræi Dauidem Regem creaſſent, collegerunt contra eum exercitum, & occupatâ conualle, nomine Raphaim, non procul Hieroſòlymis ſitâ, caſtra ibi poſuerunt. Verùm oſtendant, quæſo, aliquem locum, vbi legantur plures ſimul fuiſſe Philiſtæorum Reges, ac non potiùs סְרָנִים *ſeranim*, hoc eſt, *Satrapæ*, multis in locis : at in hoc pſalm. verſ. 2. ſibi rem eſſe cum regibus queritur. Fatetur ingenuè Kimhi nullibi in ſacris litteris legi Philiſtæorum reges, præterquàm hîc, vbi Satrapæ, inquit, reges appellati ſunt, quòd præ nimiâ ſuperbiâ reges ſibi viderentur. Inepta ratio. Probabilius quod ait, fieri etiam poſſe, vt Phi-

A liſtæis aliarum gentium reges ſeſe adiunxerint. Nam teſtis eſt Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum ſcriptor locupletiſſimus, earundem Antiquit. lib. 7. cap. 4. non modicum aut ignauum fuiſſe Palæſtinorum exercitum, qui tum Hebræos inuaſerit, ſed vniuerſam Syriam ac Phœnicen, conſociatis armis, auxilium illis tuliſſe. In duobus primis verſibus Hebraicè verba ſunt partim præt. temp. partim fut. quod quando euenit, præſens, hoc eſt, medium tempus, commodè eligi poteſt, vt hoc loco, citra iacturam ſenſus. Latinus tamen per
B præt. tempus interpretatus eſt, quod, etſi pſalmus propheticè accipiatur, & tanquam dictus de futuro, optimè locum hîc habere poteſt, ſiquidem Prophetarum mos fuerit res futuras per præteritum tempus enunciare, vtpote quibus res futuræ perinde eſſent ac præteritæ, quemadmodum Rabbini paſſim obſeruant. Verti ego etiam per præteritum, tum quia ita iam verterat Latinus interpres : tum quia argumento tam bene conuenit præteritum, quàm præſens, aut futurum : imò futurum conuenire non poteſt argumento Hebræorum, à quo non
C omnino abhorremus : tum quia denique primum verbum, quod alia poſt ſe trahit, præt. eſt temporis. *Quare fremuerunt* &c. hoc eſt, commotæ ſeu concitatæ ſunt gentes, magno ſtrepitu ac tumultu, ſeu turmatim concurrerunt? verbum enim רָגַשׁ *ragaſch*, propriè ſignificat magno tumultu & ſtrepitu concurrere, indéque tumultuari & ſtrepere per metalepſin : vnde alij hîc reddunt *tumultuatæ ſunt* : alij *ſtrepuerunt* : alij *turmatim concurrerunt* : quæ omnia eódem redeunt. *Meditati ſunt* corde, iuxta Raſi : ore, & ſermone, iuxta Ezram & Kimhi : verbum enim הָגָה *hagha*, quod Latinus ſolet reddere *meditari*, cordi & ori tribui-

tur, vt Iob 27.4. *nec lingua mea* יֶהְגֶּה *ichge, meditabitur mendacium*, id eſt, loquetur. *Inania*, Heb. *'inane*: hoc eſt, cogitationes aut ſermones inanes, plenóſque faſtu. Philiſtæi proſperis ſucceſſibus elati, Hebræos enim haud multos ante annos magno prælio vicerant, in quo Saul vnà cum filiis occubuerat: illi, inquam, dira Iſraëlitis, qui ſe ſuáque omnia Dauidi dedidiſſent, ſuperbè minitabantur, ſperabántque facilè ſe iugum, quod à Dauide & Iſraëlitis metuebant, excuſſuros: quò pertinet verſus tertius: ſed longè aliter cecidit: illi enim, commiſſo prælio, partim occiſi, partim in fugam compulſi.

3 *Dirumpamus* &c. Referuntur per mimeſim ipſorum Philiſtæorum, aut Chriſti hoſtium verba, ſeu conſilia: illud ſcilicet quod meditabantur. *Vincula eorum*, Domini ſcilicet & Chriſti eius: vel Chriſti, & eorum qui Chriſtum ſequuntur. Si de Dauide libet pſalmum accipere, *eorum*, id eſt, Dauidis & Iſraëlitarum, qui tum ei publico conſenſu regnum totius gentis detulerant. *Funes ipſorum* propriè contortos ideóque denſos. Græc. & Lat. *iugum eorum*, eodem ſenſu. Huius autem verſus hæc ſententia eſt, Depellamus fortiter à ceruicibus noſtris iugum, quod illi volunt imponere.

4 *Qui habitat* &c. Certus auxilij diuini ita loquitur Dauid, poſtquam ſcilicet conſuluiſſet Dominum, & læta omnia didiciſſet, ſeque Philiſtæorum fore victorem, vt eſt 2. Sam.5.19. *Et dixit Dominus Dauidi, Aſcende, quia tradendo tradam Philiſtiim in manum tuam.*

5 *Tunc*, quando eorum ſermones audiet, aut conſilia intelliget. *Loquetur ad eos.* Ex Hebræorum quorundam ſententiâ vertendum eſſet, *perdet fortes eorum*, ex אֵל *el*, quod eſt *fortis*. Sed prius magis placet.

6 *Et ego inunxi* &c. Hęc ſunt quę Deus loquetur. Quomodò verò, inquiet, cogitatis euertere regnum Chriſti, aut Dauidis, quem ipſe regem conſtitui & inunxi: & cur fremitis ac tumultuamini? *Regem meum*, hoc eſt, quem ego inunxi, & qui meo iuſſu regnat, *meũ* paſſiuè. Sic 1.Sam.16.1. dicitur: *prouidi enim in filiis eius mihi regem*: *mihi*, hoc eſt, qui mea iuſſa exequatur: contrario ſenſu Pſal. 74.12. *Deus autem rex meus ab initio*: *Rex meus*, hoc eſt, qui in me imperium habet, actiuè. Talis enim eſt vſus pronominum, vt vel actiuè, vel paſſiuè ſignificent. Sic Eſ. 56.7. *lætificabo eos in domo orationis meæ*, hoc eſt, vbi mihi fit oratio, paſſiuè: Eſ.38.5. *audiui orationem tuam*, quam nimirum tu effundis, actiuè. *Super Sion* &c. De Sion enim per Chriſtum

A exiuit Lex, & verbum Domini de Ieruſalem, iuxta vaticinium Eſ. 2.3. Vnde Chriſtus iuſſit Apoſtolos prædicare initio facto Hieroſolymis. Idque præſentiebat Eſaias, quum dixit cap. 40.9. *Super montem excelſum aſcende tu quæ euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, quæ euangelizas Ieruſalem: exalta, noli timere, dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus veſter.* &c. Accedit huc illud pſ.110.2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Facile porrò etiam erit illud *ſuper Sion* ad Dauidem referre,
B quippe qui iam tum in Sion, vt in vrbe, quam ipſe primus ſubegiſſet, regiam collocaſſet. Sunt è noſtris, in quibus Genebrardus, qui verſum hunc, vt eſt in Græco, & Latino, quod ad iſta verba, *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo*, attinet, non malè ex Hebræo, etiam vt hodie eſt, conuerſum contendant: quorum ſententia nobis incorruptam fidem profeſſis ac diſſimulãdi ignaris haudquaquam probari poteſt: nam vt alia, quæ ab illis dici ſolent, fortaſſe vera eſſe poſſint, illud ſanè quod di-
C cunt Iod in מַלְכִּי *malci*, eſſe paragogicum, quod vocant, non autem pronomen affixum, mihi prorſus durum, & coactum videtur, præſertim cùm nil ſit neceſſe diſcedere à communi vſu, & acceptione, ſenſu, quem attulimus, commodè ac facilè fluente. Card. Bellarminus putat valde probabile Septuaginta Interpretes legiſſe paulò aliter, quàm nunc legimus. Certè nil refert ad ſenſum, ſiue cum Græco & Latino, ſiue cum Hebræis legas. Si cum Hebræis tamen, facilior ac elegantior erit contextus, hoc modo, Tunc hoſtes Deus alloquetur
D his verbis, *Et ego inunxi* &c. Mihi verò ſic dixit, *Filius meus* &c. vt eſt in ſeq. verſu. Adde quòd D. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Ego autem ordinaui regem meum.* Cæterùm hæc verba, *prædicans præceptum eius*, quæ apud Græcum & Lat. claudunt ſextum hunc verſum, in Hebræo ſequentem inchoant. Nec dubitat Eugubinus affirmare iſta verba hinc debere reſcindi, & apponi ad ſequentem verſum.

7 *Narrabo decretum*: (ad verb. *ſuper de-*
E *creto*: אֶל *el* pro, עַל *al*) &c. Sunt hæc iterum verba Dauidis in perſona Chriſti, qui conſtans, atque inuiolabile Dei patris de Chriſto decretum hoſtibus proponit, & quò plus ponderis oratio habeat, ipſum Deum loquentem inducit: *Dominus*, inquit, *dixit ad me, Filius meus es tu*, &c. quod factum præſertim, quum Chriſtus *accepit à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eũ huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: &c. 2. Petr.1. Hoc Hebræi conten-

Digitized by Google

dunt rectè conuenire Dauidi, quem dicatur Deus accepiſſe in filium, atque ideo veluti genuiſſe, quo die vnctus eſt in regem: ſiquidem ab eo potiſſimùm tempore illum Deus, vt filium, ſemper fouerit ac curarit: ille autem ſic Dei iuſſa peregerit, quaſi filius. Pertinet huc illud pſ. 89. 27. *Ipſe* (Dauid) *inuocabit me, Pater meus (es) tu.* Et verſu ſeq: *Etiam ego primogenitum ponam illum.* Hócque ſenſu 2. Sam. 7. 14. dicebat Deus de Salomone, *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Simile legitur prioris Paral. 28. 6. Sanè, ſi quiſquis Deum diligit, & viciſſim à Deo diligitur, Dei filius dici poteſt, (ſic Deus Exod. 4. 22. Iſraël *filium ſuum* ac *primogenitum ſuum* vocat) hoc nomen piis regibus potiſſimùm tribui debet, qui & ipſi Deo, vt par eſt, obediunt, & alios ad obediendum, quod illorum munus eſt, ſuo exemplo impellunt, ac legibus cogunt. Iudices alicubi in Pſalmis *Dij & filij Excelſi* nominantur. Quidni & reges? Durius fortaſſe videri poteſt quòd Dauidem dicatur Deus genuiſſe. Neque enim adferre Hebræi poſſunt locum è veteri Inſtrumento, vbi homo aliquis à Deo dicatur genitus. Quod enim legitur Deuter. 32. 18. *Deum, (qui) te genuit, oblitus es, oblitus, inquam, es Dei creatoris* (ſeu *genitoris*) *tui*, nõ eſt huic ſimile: ibi enim (licet Kimhi conetur aliò ſenſum detorquere) *genuit* idem eſt quod creauit, ſicque interpretati ſunt Chaldæus, & alij: quę ſignificatio locum hîc habere non poteſt, ſiquidem longè antequam Dauid in regem vngeretur, fuerat ipſe à Deo creatus, ideóque non poteſt dici tum primùm genitus ſeu creatus, nec de eo ad iſtum ſenſum accipi poteſt hoc, *ego hodie genui te.* Kimhi qui in illo Deuter. loco *genuit* explicat pro educauit, inſtruxit, quod probat, futili hac & friuolâ ratione; ſi, inquit, *genuit*, ibi ſignificat creauit, non erat, cur id Iſraelitis potiùs, quàm aliis Gentibus exprobraret: ille, inquam, *ego hodie genui te*, de Dauide exponit, qui quo die vnctus eſt in regem, dicatur à Deo eſſe genitus, quòd in eo Dei ſpiritus tunc fuerit genitus: iuxta illud 1. Sam. 16. 13. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eũ in medio fratrum eius: & irruit Spiritus Domini à die illâ in Dauid, & deinceps.* Nemo profectò ignorat Iacobi 1. *Patrem luminum* dici *voluntariè genuiſſe nos verbo veritatis*: & D. Iohannẽ, 1ª. 3º. ſcribere *omnẽ qui facit iuſtitiam, ex Deo natum eſſe.* Si ita eſt, quidni Dauid à Deo genitus tum dici poſſit, quum Iſraëlitarum rex à Deo electus eſt, eo modo videlicet genitus, quo filius, nimirum adoptione? Verùm in Veteri Teſtamento atque Hebraicis literis nemo à Deo legitur aut dicitur geni-

A tus. Meliùs igitur nos, qui ſenſum Chriſti habemus, illud *ego hodie genui te*, de generatione æternâ æterni filij ab æterno patre exponimus. (1. Corint. 2.) Nihil obſtat aduerbum *hodie*: nam in æternitate nihil præteritum, nihil futurum, ſed omnia præſentia: quo ſenſu D. Paulus ad Heb. cap. vltimo dicit, *Ieſus Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſæcula.* Aliqui hunc verſum ad generationem referunt, qua Chriſtus natus eſt ex Virgine, ideóque *hodie* dici affirmant. Ioan. Chryſoſt. Theodorus Antiochenus, & Hi- B larius Picta. Epiſcopus hoc verſu Dauidem vaticinatum eſſe Chriſti reſurrectionem affirmant, per quam Chriſtus quodammodo genitus eſt, & ſecundum quam dicitur primogenitus ex mortuis. Neque dubium eſt quin Paulus Apoſtolus in eâdem fuerit ſententiâ, qui Act. 13. ſic loquitur: *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam hanc Deus adimpleuit filiis veſtris reſuſcitans Ieſum, ſicut & in pſalmo ſecundo ſcriptum eſt, Filius* C *meus es tu, ego hodie genui te.* Vide plura, ſi vis, apud D. Hilarium, qui totum hunc verſum ſubtiliter & copioſè perſequitur in ſuis commentariis. Vnus locus plures patitur ſenſus.

8 *Poſtula à me*, &c. Hoc à Deo Patre Filio æterno dicitur, vt homini, eíque promittitur imperium nullis circumſcriptum terminis, non terrenum quidem, ſed ſpiritale, nimirum Eccleſia, quam Deus nullâ regione coërcuit, nec vnius nationis hominibus alligauit, vt quondam Moſaicam Eccleſiã, D ſed ad omnes omnino gentes pertinere voluit: imò aliquando, ſub extremâ ſcilicet mundi ætate, per ſingula orbis loca longè latéque propagabit: iuxta illud Ierem. 31. 34. *Et non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens, Cognoſcite Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum eorum, ait Dominus.* Eſ. 54. 13. *Vniuerſos quoque filios tuos doctos à Domino*: vel, *Vniuerſi quoque filij tui (erunt) docti à Domino.* Iudæi totis neruis contendunt non poſſe, quæ hoc, & ſequente verſu dicuntur, Chriſto noſtro cõ- E petere. Nimirum *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur*, ſicuti ait D. Paulus 1. Corinth. 2. Doceant ergo ex hiſtoriâ quomodò hæc Dauidi conuenire poſſint, & vbi legatur Dauid ad terminos vſque terræ imperaſſe. Quod enim Kimhi adfert ex 1. Paralip. 14. 17. *Diuulgatúmq; eſt nomen Dauid in vniuerſis regionibus, & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes*: nõ eſt ad rem: nam aliud eſt prorſus diuulgari famam ali-

Digitized by Google

cuius, eiúſque terrorem latè peruadere, A aliud illum latè imperare. Meliùs Ezra, qui *terminos* (ſeu *fines*) *terræ* definit *loca abſciſſa ab habitatione*, hoc eſt, vt interpretor, loca mari aut fluminibus, aut etiam deſertis proxima, quæ habitationem veluti præcidunt ac diſterminant, ſicque terræ quodammodò terminos conſtituunt: quo modo accipiendo *terminos terræ*, dubium non eſt quin Dauid ad terræ vſque terminos ac fines imperauerit, ſcilicet à mari Rubro vſque ad mare Palæſtinorum, & à deſerto vſque ad fluuium, Euphratem ſcilicet, qui li- B mites ſunt terræ promiſſæ, vt legere eſt Exod. 23. 31. quos ante Dauidem nondum Hebræi omnino obtinuerant: Dauid enim, vt ex 2. Sam. libro videre eſt, multas finitimas gentes bello domuit, ac ſubiugauit, vt Palæſtinos, ſeu Allophylos, Moabitas, Syros, & alios. Non ergò, ſi de Dauide hoc vis accipere, expone *terminos terræ*, pro terminis ſeu fine terræ abſolutè, & ſimpliciter, ſed pro fine ſeu termino terræ, vt eſt dictum: vel certè pro fine huius terræ. Poſteriore modo Exod. loco citato, *dabo in* C *manum veſtram habitatores terræ*, non omnis terræ quidem, ſed terræ, cuius illic fit mentio, nimirum promiſſæ. Priore verò modo Maro 2. Georg. Indiã Oceano propiorẽ extremi ſinũ orbis, & Morinos Oceano finitimos extremos hominũ appellat: & ſic Dauid *deſertum* vocat *terminos terræ*, pſ. 72. 8. vbi ait, *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos terræ*, hoc eſt, dubio procul ad deſertum vſque, & hoc clarius eſt, quàm vt egeat de- D clarationε. Lucerna in meridie quid prodeſt? Simile eſt Zach. 9. 10. Huc referri poteſt & illud pſ. 135. 7. *Educit nubes ab extremo terræ*, quod Kimhi explicat à mari. Magis tamen eſt in promptu accipere *terminos terræ*, vt ſonat, pro, quàm latè patet terrarum orbis: quo ſenſu pſal. 19. 4. *& in fines orbis terræ verba eorum*: Eſ. 40. 28. *Dominus qui creauit terminos terræ*. Ac ſic accipiendo, hic verſus Chriſto tantùm poteſt conuenire, vt diximus, quippe qui ſolus & peculiari titulo à Deo Patre conſtitutus ſit hęres vniuerſorum, teſte Apoſtolo ad Heb. 1. E Nihil tamen repugnat hunc verſum de Dauide exponere, typicè ſaltem: quaſi ipſi Deum conſulenti, num exercitum in Philiſtæos educeret, Deus reſponderit, Scito, ô Dauid, te non modò nunc Philiſtæorum fore victorem, ſed ſi poſtulaueris, omnium Gentium dominum ac poſſeſſorem, ad terminos vſque terræ promiſſæ, vel ad terminos vſque terræ, vti expoſitum eſt. *Hæreditatem tuam*, &c. Vt pater loquitur: patrum enim eſt hæreditates liberis tradere.

9 *Conteres eas* ſup. gentes, quæ tibi rebelles eſſe voluerint. *In virgâ ferreâ*, hoc eſt, gladio, vt interpretantur Raſi, & Ezra. Pro *conteres eas*, Græc. & Lat. legerunt *Reges eos*, quia legerunt תִּרְעֵם *tirem*, *reges* (ad ver. *paſces*) *eos*, vbi Hebręi תְּרֹעֵם *teroem*, *conteres eos*, vel potiùs *eas*, latinè; ſiquidem hoc pronomen referri debet ad *Gentes*. *Conterendi* verbum *virgæ ferreæ* magis conuenit quàm *paſcendi*. *Conteres in virga ferrea* nihil aliud eſt, quàm ferro trucidabis. *Tanquam vas figuli* &c. Prouerbialis dicendi forma, qua ſignificat Gentes rebelles delendas eſſe funditus. Ea vſus eſt quoque Ieremias extremum populi & vrbis Hieroſolymitanę excidium verbis Dei denuntians, cap. nimirum 19. ſuæ prophetię, verſu 11. *Hæc dicit Dominus exercituum, Sic conteram populum iſtum, & ciuitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quòd non poteſt vltrà inſtaurari.* Eadem phraſis occurrit apud Eſaiam cap. 30. 14. *Et conteret eum contritione* (ad ver. *iuxta contritionem*) *lagenæ figulorum*: in Vulg. *Et comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli.* Quod porrò id, quod dicitur in hoc verſu, Chriſto, iíſque qui Chriſtum ſequuntur, conueniat, teſtis eſt ipſe Chriſtus, Apocal. 2. *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea: dabo illi poteſtatem ſuper Gentes, & reget eas in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à Patre meo.* Vide & Apoc. 19.

10 *Et nunc reges* &c. Hortatur Dauid, vel ipſe Chriſtus, vel potiùs Dauid in perſona Chriſti, reges omnes, & principes, à quibus oppugnabatur, eius vt imperio ſe ſubijciant, quem Deus regem conſtituit: perinde ac ſi diceret, Cùm ita ſit, vt dixi, nunc ergò, ô reges, *intelligite*: &c. Hoc porrò & quod ſequitur ad Gentium vocationem pertinet.

11 *Seruite* &c. Sequimini Dei voluntatem ipſum timentes, agnoſcentéſque ſummam eius potentiam. *Et exultate* &c. neque ægrè ferte regnum meum; quin exultate potiùs Deum timentes, cuius voluntate mihi contigit.

12 *Oſculamini filium*, &c. Græcus vertit Δράξασθε παιδείας; Lat. *Apprehendite diſciplinam*: quo modo etiam Chald. קַבִּילוּ אוּלְפָנָא Kabbilu vlpana, id eſt, *Accipite doctrinam* ſeu *inſtructionem*. Sed non paruum pro Chriſtianis aduerſus Iudæos facit illud *Oſculamini filium*, (בַּר *bar*, Ezra & Kimhi *filium* interpretantur) illum ſcilicet Dei filium, cui Pater æternus dixit, *Filius meus es tu*, &c. Oſtendant Iudæi in Sacris litteris alium, qui abſolutè, & κατ' ἐξοχὴν *filius* nominatus ſit. *Oſculamini* dicit, hoc eſt,

adorate: quia mos erat in Palæſtina oſculo manuum principes adorare, ſuámque in eos obſeruantiam teſtificari. Et hic mos, inquit Ezra, hodiéque apud Indos durat. Chald. Græc. & Lat. porrò videntur legiſſe pro נַשְּׁקוּ *naſchſchcku, oſculamini*, נַשְּׂגוּ *naſſeghu, apprehendite* ſeu *aſſequimini*, (etſi hoc verbum non reperitur in Piel; ſed in Hiphil) ob literarum שׁ & שׂ, ק & ג ſimilem ſonum: & בַּר *bar* accepiſſe in ſignificatione *puritatis*, atque ita interpretati eſſe *doctrinam*, ſeu *diſciplinam*, puram ſcilicet. Iuxta alios, Hebræos etiam, vt refert Kimhi, vertendum eſſet, *Oſculamini purum*, hoc ſenſu: Quid mihi eſt vobiſcum? ego enim purus ſum animi, nec commerui, vt me oppugnetis, ſed veſtrûm eſt oſculari me, ac fateri me Dei voluntate regnum obtinere. Kimhi notat verti poſſe, *Oſculamini electum*, ex verbo בָּרָה *bara*, quod *eligere* ſignificat 1. Sam. 17. 8. *Electum*, id eſt, regem: quo modo Saul 2. Sam. 21. 6. *electus Domini* appellatur. Ad mentem Raſi vertendum eſſet, *Armamini puritate*, hoc eſt, Accingite vos ipſos puritate cordis. Menachem exponit *Expetite* ſeu *Deſiderate*, purum ſcilicet. Ezra ſic habet ad hunc verſum, Illud ſuperioris verſus *Seruite Domino* eſt contra illud verſus ſecundi *aduersùs Dominum*: hoc verò *Oſculamini filium* contra illud *aduersùs Chriſtum eius*. *Filium*, hoc eſt, illum me filium, cui ſcilicet Dominus dixit, *Filius*

A *meus (es) tu*, &c. Quod de Dauide quoque facilè exponi poteſt, modò ſemper teneatur illum eſſe exemplar Chriſti. *Nequando iraſcatur* ſup. Dominus, niſi citò reſipueritis, & Dei voluntatem ſequuti fueritis, qui me regem eſſe voluit. *Pereatis (de) viâ*: vel *pereatis viâ*, hoc eſt, propter viam, id eſt, viuendi rationem, vt ſuperiore pſalmo obſeruatum eſt: ita vt *perire aliquem viâ*, & *viam alicuius perire*, quod occurrit verſu vltimo ſuperioris Pſalmi, idem ſint. Atq; hoc modo accipiũt Kimhi, & alij. Ego verò acciperem *perire viâ* pro de medio tolli, ſeu in medio curſu abripi: ac ſic ſupplenda erit particula *in*, vel *de*, vti factũ eſt à Græco & Latino. *Cùm exarſerit* &c. vel *Quia*
B *exardebit*. *Beati omnes* &c. Subita acclamatio eſt, quâ beatos eos prædicat, qui totam ſuam fiduciam in Deo collocant, nec ei quicquam repugnant: quaſi diceret, ô vos infœlices, niſi Deo ſeruieritis, ac præbueritis vos illi obedientes, eiúſque filium veneratione fueritis proſequuti: fœlices contrà quotquot Deo confidunt. Fieri poteſt, vt τὸ *in eo*, ad Chriſtum referatur, quem *filium* mox appellauerat, quaſi diceret, in eo filio. Sentiebat Dauid neminem fruſtratum iri, qui ſpem in Chriſto collocaſſet: idcirco de Chriſto in perſonâ ipſius Chriſti loquens, de ſuo hoc fortaſſe addidit, *Beati omnes, qui confidunt in eo*, ſcilicet Chriſto.

Digitized by Google

PSALMVS III.

VERSIO NOVA.

PSALMVS Dauid, cùm fugeret à facie Abſalom filij ſui.

2 Domine quàm multiplicati ſunt [a] qui tribulant me! multi inſurgunt aduerſum me!

3 Multi dicunt de anima mea: Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.

4 Tu autem Domine clypeus es circa me: gloria mea, & exaltans caput meum.

5 Voce mea ad Dominum clamabo: & exaudiuit me de monte [b] ſancto ſuo.

6 Ego accubui, & dormiui: euigilaui, quia Dominus [c] ſuſcipiet me.

7 Non timebo decem millia populi, qui circunquaque poſuerunt (caſtra) aduerſum me.

8 Exurge Domine, ſaluum me fac, Deus meus, quoniam tu percuſſiſti omnes [d] aduerſantes mihi (in) maxillâ: dentes peccatorum contriuiſti.

9 Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.

a heb. *hoſtes mei!*

b ad verb. *ſanctitatis ſua.*

c *ſuſtentabit, vel labantem excipiet.*

d heb. *hoſtes meos*

VERSIO VETVS.

SALMVS *Dauid, cùm fugeret à facie Abſalom filij ſui.*

2 *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me.*

3 *Multi dicunt animæ meæ: Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.*

4 *Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.*

5 *Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.*

6 *Ego dormiui, & ſoporatus ſum: & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.*

7 *Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.*

8 *Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriuiſti.*

9 *Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.*

COMMENTARIVS.

Argumētum. T*Itulus declarat tum à Dauide conſcriptum hoc carmen, quum ſubita Abſalomi filij coniuratione regno, & vrbe pulſus fugeret. Quæ hiſtoria ſcripta eſt in 2. lib. Sam. cap. 15. & ſequentibus. Kimhi è veterum Rabbinorum ſententia docet tum præcisè editum hoc carmen, quum aſcenderet per cliuum oliuarum, ſcandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite, &c. 2. Sam. 15. 30. Non tum quidem edidiſſe aut ſcripſiſſe ſua carmina crediderim Dauidem, quum verſaretur in medijs periculis, neque enim tunc licuiſſet, ſed poſtquam emerſiſſet atque eluctatus eſſet, tum demum quas preces ſeriò in periculis conceperat, ac meditatus fuerat, chartis mandaſſe, & verſibus fuiſſe complexum. Ad iſtum modum intelligendum, vt opinor, quod legitur in Tit.* quum fugeret à facie Abſalom *&c. & quod dicere ſolent Hebræi,* Dixit Dauid hunc pſalmum, quum *&c. aut ſimile quid.*

Porrò

Porrò in hoc carmine Dauid hoſtium multitudine perterritus ad Deum confugit, ac primùm quanta ſit coniuratorum manus ei exponit: mox ſpe diuini præſidij & auxilij, quod iam aliàs ſæpe fuerat expertus, animum ſuum mirabiliter confirmat, & quaſi iam eſſet extra periculum, ipſe loquitur: quod facit multoties in pſalmis ſecurus repulſæ à Deo: vel quòd prophetico ſpiritu afflatus res futuras, quaſi præſentes, imò præteritas cerneret. Quæ cauſa eſt cur hic, vt ſæpe aliàs, rem futuram verbo prat. temp. ſignificet, more Prophetarum, vti iam diximus ad verſum 1. Pſal. 2. & mox dicemus. Quærat aliquis cur hæc ſcriptio, & aliæ ſimiles ex occaſione diræ alicuius calamitatis aut periculi editæ, pſalmi nomen obtineant, quod læti aliquid ſonat. Reſpondeo cum Kimhi *non tunc quidem, cùm editæ ſunt eiuſmodi ſcriptiones, pſalmi nomen obtinuiſſe, ſed cùm auerſa calamitate, ac depulſo diuinitus periculo, cœperunt in templo aut publicè decantari. Alias duas rationes profert* Kimhi *è Veteribus Magiſtris. Prima eſt. Quum dixiſſet Nathan Propheta Dauidi,* Hęc dicit Dominus, Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, *&c. 2. Sam. 15. 11. ille de ſeruo aut aliquo alio è domeſticis, qui nihil parceret, interpretabatur. Verùm vbi filium eſſe cognouit, cœpit bene ſperare, ac cogitare, mitiùs ſecum acturum filium: túncque præ gaudio pſalmum cecinit. Secunda eſt. Sic dicebat ac cogitabat Dauid: Ipſi Iacob Patriarchæ noſtro fuit aufugiendum; item & Moyſi: idem quod illis, mihi contigit. Exiſtimaram me morte puniendum: nunc autem ſpero exilium omnem culpam expiaturum.* Memor fui, *inquiebat*, iudiciorum tuorum à ſeculo, Domine, & conſolatus ſum me: *Maiorum quippe exempla in animum reuocans, vt cum illis olim egiſti, ſic te nunc mecum acturum confido. Tunc igitur exorſus eſt hunc pſalmum. Verùm* Kimhi *priorem rationem ſolam literalem eſſe affirmat. Idem obſeruat fieri poſſe vt hic pſalmus præcedenti idcirco ſubiunctus ſit, quòd vt Philiſtæi ad excutiendum regno Dauidem arma ſumpſerant, ſic & Abſalom.*

Pſ. 119. 52.

1 *Pſalmus Dauid.* Heb. לְדָוִד *ledhauidh*, hoc eſt, *Dauidi* vel *Dauidis*: nam lamed quod aliàs eſt articulus datiui caſus, nominibus propriis, & poſſeſſorem deſignantibus præfixum, genitiuum indicat, vt docent vulgò Grammatici. Crediderim ego, *Pſalmus Dauidi*, hebraiſmum eſſe, cui ſimilem Gallorum vulgus habet locutionem, *le liure à Pierre*, & ſimiles, in quibus articulo datiui caſus (*a*) pro articulo genit. (*de*) interdum vtitur in poſſeſſionibus ſignificandis.

2 *Domine quàm multiplicati ſunt* &c. Videtur hoc velle, Igitur, ô Domine, non tantùm mihi res eſt cum externis hoſtibus, ſed etiam cum filio, qui omnes ferme in ſuas partes traxit.

3 *Multi dicunt* &c. Multi iudicant atque affirmant prorſus actum eſſe de me. *De anima mea.* Lamed in לְנַפְשִׁי *lenaphſchi*, ſignificat *de*, *ſuper*, vt obſeruant Raſi, Ezra, Kimhi, & alij, nec eſt nota Dat. caſus. Sic Geneſ 20. 13. *dic* לִי *li*, *de me*, *Frater meus eſt.* Et Gen. 26. 7. *Qui quum interrogaretur à viris loci illius* לְאִשְׁתּוֹ *leiſchto*, hoc eſt, *ſuper* (*de*) *vxore ſua.* Pſ. 91. 11. *Quoniam Angelis ſuis mandabit* לָךְ *lach*, *de te.* Porrò *de anima mea* nil aliud eſt, quàm de me: *anima* enim pro cuiuſque perſona ſumitur: exemp. gr. Eſa. 46. 2. *Anima eorum in captiuitatem abijt*, hoc eſt, ipſimet, iuxta Kimhi, & αὐτοὶ, iuxta Græcum interpretem. Sic Amos 6. 8. *Iurauit Dominus in anima ſua*, ſeu *per animam ſuam*, hoc eſt, iuxta Ezram & Kimhi, per ſemetipſum: quo modo dicitur Gen. 22. 16. *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus.* Scio ad locum Amos cit. interpretari Raſi, *in anima ſua*, ex ſcientia & intentione, hoc eſt, ſeriò & ex animo. *Non (eſt) ſalus.* In Hebræo vox יְשׁוּעָתָה *ieſchuatha*, id eſt, *ſalus*, duplex habet ſignum fœmininum, per quod Kimhi putat duplicem ſalutem notari, quaſi diceret Dauid, Multi ex ſapientioribus, vt Achitophel, & alij, iudicant mihi neque in hoc ſeculo futuram ſalutem, atque ideo nunquam me reſtituendum regno, aut euaſurum manus Abſalomi; neque etiam in futuro, propter peccatum, quod commiſi cum Beth-ſabe. Namque illi exiſtimant id quod res eſt, iſtam mihi diuinitus immiſſam pœnam. Ezra exiſtimat duplex illud ſignum fœmininum ad elegantiam tantùm pertinere: Kimhi verò, vt mox dictum eſt, gemino illo ſigno geminari atque intendi ſignificationem, probátque ſimilibus exemplis, vt עֶזְרָתָה *ezrátha*, id eſt, *auxilium*, pſal. 63. 8. & aliis. In fine huius verſus hebraicè eſt סֶלָה *Sela*, quæ vox ab Interpretibus variè redditur: ab aliis *in ſeculum*: ab aliis *ſic eſt*: à Græco διάψαλμα: à Kimhi denique pro notâ eleuandæ vocis in cantu accipitur: cuius opinionem potiſſimùm ſequor: quanquam hîc ſine periculo erratur, cùm ea res nihil aut parum ad ſenſum pertineat: atque idcirco nos eam vocem hîc, & quoties occurrit, cum Latino Interprete omittimus, ne vox barbara & incognita Latinas aures offendat, ac remoretur.

4 *Tu autem Domine clypeus es circa me,*

Digitized by Google

contrà quàm illi putant ac dictitant. *Gloria mea*, hoc eſt, tu ipſe es, à quo ſpero gloriam, hoc eſt, victoriam de hoſtibus; quicumque enim victoriam reportat, gloriam reportat. Vel ſimpliciter, quod tamen eòdem recidit, *gloria mea* tu es in hac fugâ, quæ, abſque te eſſet, ignominiam mihi pareret. *Exaltans caput meum*, hoc eſt, faciens, vt ſecurus ignominiæ, & periculorum, quæ mihi imminent ab hoſtibus, erecto capite incedam. *Erectio capitis* ſignum eſt tranquillitatis animi, & certæ fiduciæ conceptæ: econtrà *deiectio capitis* ſignum eſt triſtitiæ, aut pudoris. Probat illud Iob 10. 15. *non leuabo caput meum ſaturatus ignominiâ, & videns miſeriam meam.*

5 *Clamabo*, hoc eſt, clamo, nec vnquam ceſſabo clamare: vel, non ceſſo clamare: futurum enim in Sacris litteris ſæpe notat continuum actum, ac ſic præſens, imò & præteritum includit. Obſeruat ad hunc locum Arias Montanus in futuro eſſe, quo omnia ſignificantur tempora. Nos Galli ſæpe futuro vtimur ad deſignandum continuum actum. Non præter ſenſum à Græco & Latino verbum fut. temporis redditum hoc loco per præteritum. *Et exaudiuit me*, pro *& exaudiet me*. Loquitur vt propheta, more prophetarum, qui rem futuram verbo præteriti temporis enunciant, quòd illis res futuræ perinde ſint, ac ſi iam præteriiſſent, vt iam obſeruatum ad verſ. 1. pſalm. 2. Vel dic vti ipſum præterito pro futuro, quòd certus eſſet omnino ſe exaudiendum à Deo, ac ſecurus eſſet repulſæ. Vel ſic expone, ipſe enim aliàs me exaudiuit: etenim particula (*&*) Hebræis interdum eſt coniunctio cauſalis, ex. gr. pſal. 60. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia* (ad verb. *&*) *vana (eſt) ſalus hominis*. Sic aliis locis. *De monte ſancto ſuo*, ad verb. *ſanctitatis ſuæ*, hoc eſt, è monte Sion, vbi erat Arca, aut è cœlis: quo modo pſalm. 15. 1. dicitur, *quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Poſſumus, inquit Kimhi, interpretari de monte Moria: etſi enim nondum tunc iſte locus eſſet conſecratus, nihilominus fortaſſe traditione receptum erat, ibi aliquando extruendum templum: idcirco Dauid fugiens Abſalomum aſcendit per cliuum Oliuarum, Deum illic adoraturus, vt eſt 2. Sam. 15. 30. & 32. quoniam inde locus ille conſpiciebatur. Sic ferè Kimhi. Chaldæus habet *de monte domus ſanctuarij ſui*.

6 *Ego accubui, & dormiui*: hoc eſt, Cor meum obſtructum fuit anxietate & timore: *euigilaui* ab illa anxietate, *quia* ſperaui quòd *Dominus ſuſcipiet me*. Sic ferè Raſi. Aliter Kimhi interpretatur hunc verſum, A hoc ferè modo: Securus accubui, ac tranquillè dormiui, vt dormire ſolet, cui nullum imminet periculum: & *euigilaui*, experrectúſque ſum placidâ mente, non perturbatâ, ſicuti ſolent, quos in ſomnum demerſit grauis aliqua calamitas, & dormientes triſtis imago confundit ac perturbat. Quorſum? *quia* certus ſum quòd *Dominus ſuſcipiet me*: ſic enim vidi in ſomnis. Potes vertere per præſens, (præteritum enim ſæpe præſens includit, vt hoc loco) *Ego cubo, & dormio, (&) expergiſcor, quia Dominus ſuſtentabit me*. In Vulgatâ eſt B *ſuſcepit me*, per præt. quaſi diceret, iam enim illius in me tuendo curam agnoui. Nil refert ad ſenſum ſiue vertas *ſuſcepit*, ſiue *ſuſcipiet*, ſiue etiam *ſuſcipit*: & in hebræo futurum pro præſenti, & præterito, in pſalmis præſertim, ſæpe vſurpatur.

7 *Non timebo* &c. Diuini auxilij fiduciâ ait ſe tot hoſtiles copias, à quibus cinctum ſe videt, facilè contemnere. *Poſuerunt* ſup. *caſtra*, ſeu *pugnam* aut *bellum*. Sic acceperunt Ezra & Kimhi. Alij explicant *tetenderunt retia*. Sed verbum hebraicum שות *ſchuth*, propriè ſignificat *ponere*: hîc C verò, vt apparet, *ponere bellum* ſeu *caſtra*. Citat Ezra locum Eſa. 22. 7. vbi prædictum verbum exponit, pro, *ponere munitionem, aggerem, & quicquid eſt belli*. Sic quoque ibi Raſi, Kimhi, & alij Hebræorum iſtud verbi acceperunt. Raſi Gallus hîc explicat *deuaſtarunt*, vernaculè *gaſterent*. Voluit dicere, credo, *ont gaſté*. Obſeruat eſſe qui exponant *poſuerunt*.

8 *Quoniam tu percuſſiſti* &c. iam ſæpe aliàs: ſic igitur facito nunc. Vel eſt præteritum pro futuro, vt ſæpe in prophetiis. D *Percuſſiſti (in) maxilla*. Vocem לחי *lechi*, pro *maxilla* ſeu *gena* interpretantur non modò Hebræi omnes, ſed & quotquot ex Hebræo verterunt, præter vnum fortaſſe (excipio Græcum, & qui eum ſemper ſequitur, Latinum interpretem) Genebrardum, qui לחי *lechi*, vult dici per apocopen poëticam pro לחנם *lechinnam*, id eſt, *gratis*, & *ſine cauſa*. Sed hoc gratis dicitur, & ſine exemplo: nam quæ ipſe adfert, non ſunt ad rem. Si diceret fuiſſe olim לחנם *lechinnam*, vbi eſt hodie לחי *lechi*, E corruptâ, vt ſit voce, fortaſſe non repugnarem: ſed quòd לחי *lechi*, ſit pro לחנם *lechinnam*, id verò nunquam probabitur iis, qui vel primoribus labris Hebræam linguam deguſtarint. Nam, vt omittam ſimilem nunquam occurrere apocopen, & לחי *lechi*, ſæpe citra controuerſiam ſignificare *maxillam*, vt 1. Reg. 22. 25. Iob. 16 10. Threnor. 3. 30. Mich. 5. 1. & aliis in locis: certè contextus ipſe, vt ex ſequente membro,

Digitized by Google

dentes peccatorum contriuiſti, vel cæco apparere poteſt, hanc ſignificationem, etſi vox eſſet ambigua, videtur poſtulare: cùm poſterius membrum in pſalmis eandem ſententiam, quam prius, ſoleat continere. Engubinus vult לְחִי *lechi*, ſignificare *maxillam*, affirmátque hebraicam lectionem eſſe veriorem, quòd ſequatur, *dentes peccatorum contriuiſti*. Teſtis eſt etiam Aquilam & Symmachum prædictam vocem pro *maxilla* accepiſſe: & priorem quidem Græcè vertiſſe, *quoniam tu percuſſiſti* συμπάντων ἐχθρῶν μου σιαγόνα: poſteriorem verò, *percuſſiſti omnes inimicos meos* κατὰ σιαγόνος. Ianſenius obſeruat hebræa habere *maxillam*: לְחִי enim ſignificare *maxillam*: quod bene conuenit ei, quod ſequitur de dentibus confractis. Significatur enim, inquit, non ſolùm ignominioſa in maxilla percuſſio, ſed etiam vehemens, quæ ſcilicet dentes confregerit. Titelmãnus *maxillæ* interpretationem videtur præferre. Origenes teſtatur ſe in codicibus hebræis, quos viderit, legiſſe *maxillam*. Paraphraſtes Chaldæus, Autor verſionis Syriacæ, qui antiquiſſimi creduntur, B. Hieronymus, ex recentioribus Sanctes Pagninus, Pelicanus, Caietanus, Felix Pratenſis, Vatablus, Campenſis, Clarius, Flaminius, innumeríque alij *maxillam* verterunt. Neque Card. Bellarminus hanc verſionem improbat: neque negat ita legi hodie in Hebræó: imò affirmat vtramque lectionem bonum habere ſenſum. Sed nec Georg. Venetus dubitat verſionem Vulgatam hîc appellare mendoſam. Quis nunc ferat quod ait Genebrardus, *inſcitè recentiores vertere, in maxilla*: quódque ſtatim ſubiungit, *Vide quid ſit inſcitiam & temeritatem habere ducem.* Videre ipſe debuerat, quos inſcitiæ & temeritatis argueret. Non negat ipſe interim recentiorum, quam vocat, verſionem ferri poſſe. Non omnino diſplicet eorum coniectura, qui ſuſpicantur olim fuiſſe in Græco μάθηας, quod poſtea fuerit corruptum

In recẽtioribus exẽplaribus correctus eſt Georg. Ven.

A in ματαίως, ob affinitatem pronuntiationis. Dicit porrò Dauid *percuſſiſti (in) maxilla*, ſignificare volens turpem & dedecoroſam pœnam ac plagam hoſtibus à Deo inflictam. Nam nemo alteri iam grandiuſculo colaphum infregit vnquam, niſi per ſummum contemptum. Probant hoc aliquot Scripturę loci, ex. gr. Iob 16. 10. *cum opprobrio percuſſerunt maxillas meas.* Thren. 3. 30. *Dabit percutienti ſe maxillam: ſaturabitur opprobriis*: vbi in Fonte
B eadem omnino vox, quæ hîc, reperitur. Michæę 5. 1. *virga percutient in maxillam iudicem Iſraël*: vbi hèbraicè eadem quoque vox, quæ hîc. Sic Iudæi Chriſto illudentes, colaphis eum cædebant, Ioh. 19.

Dentes peccatorum, hoc eſt, vim illorum, iuxta Raſi. Totum hoc ergo *percuſſiſti* &c. nihil aliud eſt, quàm eorum vim & potentiam ſummo cum illorum dedecore infregiſti. *Peccatorum*. Hîc eadem vox hebraicè, atque pſ. 1. verſ. 1. quam illic *impiorum* ſeu *improborum* vertimus, & expoſuimus in
C comment. Sed quoniam nihil hîc refert ad ſenſum, ſiue vertas *peccatorum*, ſiue *improborum*, nos non cenſuimus immutandam eſſe verſionem Vulgatam, quæ poſt Græcam habet hoc loco *peccatorum*: ſæpe enim in Vulgatâ Pſalmorum רָשָׁע *raſcha*, redditur *peccator*: interdum etiam *impius*, vt ſolet in aliis libris.

9 *Domini eſt ſalus*, &c. Senſus eſt, Domini eſt ſeruare populum ſuum: populi ve-
D rò benedicere Dominum, cúmque celebrare. Raſi. Vel cum Kimhi interpretare, *& ſuper populum tuum benedictio tua*, ne ille ſcilicet cadat in hoc bello: vt ſit repetitio eiuſdem ſententię, mutatâ, vt ſæpe fit in pſalmis, tertia perſonâ in ſecundam. *Populum Dei* vocat illos, qui à ſuis partibus ſtabant: hi enim verè Dei populus erant: non autem qui (iura omnia diuina, & humana violantes) filij rebellionem ac coniurationem aduerſus patrem adiuuabant. Sic ferè Ezra.

Digitized by Google

PSALMVS IV.

VERSIO NOVA.

PRæCENTORI (*ſeu* In finem) in Carminibus, (*ſeu* Neghinoth,) Pſalmus Dauid.
2 Cùm inuoco, exaudi me Deus iuſtitiæ meæ; in anguſtiâ dilataſti mihi: miſerere mei, & exaudi orationem meam.

3 Filij viri vſquequò gloria meâ in
ignominiam? diligetis [a] vanitatem,
& quæretis mendacium?
4 Et ſcitote, quòd ſegregauit Dominus ſanctum ſibi: Dominus exaudiet, cùm clamauero ad eum.
5 [b] Iraſcimini & nolite peccare: dicite in [c] cordibus veſtris, [d] in cubilibus veſtris, & tacete.
6 Sacrificate [e] ſacrificium iuſtitiæ,
& ſperate in Domino.
7 Multi dicunt, Quis oſtendet nobis [f] bona? eleua ſuper nos lumen vultus tui Domine.
8 Dediſti lætitiam in corde meo, à tempore (quo) frumentum & vinum eorum multiplicata ſunt.
9 In pace ſimul cubabo & dormiam: quoniam tu, Domine, ſolus ſecurè facies me habitare.

[a] *inane.*
[b] vel *Contremiſcite*
[c] heb. *corde veſtro,*
[d] heb. *ſuper cubili veſtro,*
[e] heb. *ſacrificia*
[f] heb. *bonum?*

VERSIO VETVS.

IN finem in carminibus, Pſalmus Dauid.
2 *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi.*
3 *Miſerere mei, & exaudi orationem meam.*
4 *Filij hominum vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*
5 *Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me cùm clamauero ad eum.*
6 *Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.*
7 *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino, multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?*
8 *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.*
9 *A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.*
10 *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.*
11 *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.*

COMMENTARIVS.

Argumentũ.

PVto cum Kimhi carmen hoc ad idem referendum tempus, ad quod præcedens. Dauid igitur in hoc pſalmo Dei opem implorat aduersùs Abſalomi coniurationem: deinde exhortatur principes, qui à partibus Abſalomi ſtabant, vt ſe eius imperio ſubijciant, quem Deus ampliſsimo Regis honore & nomine affecit; ſuos autem, ſuas vt ærumnas patienter ferant & ne deficiant à Deo. In fine ſpe æternæ vitæ, aut auxilij diuini, aduersùs imminentia mala ſeipſum erigit.

Digitized by Google

1 *Præcentori.* Græc. & Lat. *In finem.* Saadias, quem Hebræi הַגָּאוֹן *haggaon*, hoc eſt, *Excellentem*, κατ' ἐξοχὴν nominare ſolent, ſcribit hunc pſalmum eſſe Dauidis, qui illum dederit vni ex cantoribus iugiter pſallendum ſeu pulſandum: ac ſi לַמְנַצֵּחַ *lamnatſtſeach*, eſſet pro לָנֶצַח *lanetſach*, id eſt, *in æternum*, ſeu *in perpetuum*: id quod forſan ſignificat illud Græcæ & Lat. verſionis *in finem*. Sic in Ialkut (nomen libri eſt) לַמְנַצֵּחַ exponitur: *qui* (ſcilicet pſalmus) *conuenit in æternum, ei cuius* נִצּוּחוֹ *nitſtſucho*, hoc eſt, *victoria* ſeu *triumphus eſt in æternitatem æternitatum.* (Notanda *hic paronomaſia* in nominibus, quæ hebraicè *victoriam* & *æternitatem* ſeu *perpetuitatem* ſignificant.) Hæc idcirco dixi, vt iis occurrerem, qui hac in parte Græcum & Latinum interpretem grauiter peccaſſe putant. Neque ignoro מְנַצֵּחַ *menatſtſeach*, aliter ab Hebræis communiter accipi pro *præfecto* ſeu *præpoſito* in genere: quo modo accipitur 2. Paralip. 2. & alibi: & in ſpecie, pro eo qui præpoſitus eſſet cantoribus, & cuius imperio decantabantur pſalmi, ac tradebantur iis qui inſtrumenta pulſabant, & cantoribus. Nullibi, inquit Kimhi, reperies, *Cantori*, aut *pulſanti inſtrumenta*, ſed לַמְנַצֵּחַ id eſt, *Præpoſito cantorum* ſeu *Præcentori.* Chaldæus hanc vocem interpretatur *ad laudandam*, vel *ad laudem.* Hebræi igitur hîc non conueniunt: & ſæpe fatentur ſe nihil ſcire de titulis pſalmorum: quò fit vt à Græca & Latina verſione, quarum vtraque eſt antiquiſſima, hîc pudeat omnino diſcedere, præſertim cùm nihil de iſtius vocis ſignificatione, etiam inter Hebræos, conſtet: quanquam ſi ex formâ vocis liceat iudicare, ſignificat potiùs *præfectum*, (qui in re Muſica eſt *præcentor*, vulgò *Maiſtre de la Chapelle*) & ſollicitantem alios ad opus, quàm *perpetuitatem*, aut aliud ſimile: eſt enim formæ Benoni (hoc eſt, participij præſentis) coniug. Piel, à verbo נִצַּח *nitſtſeach*, quod propriè ſignificat *vrgere*, & impellere alios ad agendum, ac perficiendum. Nos tamen propter auctoritatem Græci & Latini interpretis, & Sanctorum Patrum, qui illud, *in finem*, retinentes putarunt hîc ſubeſſe Myſterium, vtroque modo vertimus. נְגִינוֹת *Neghinoth*, ad verbum *pulſationibus*, id eſt, canticis ſeu laudibus cum inſtrumento. Vide quid ſignificet vox illa hebræa pſalm. 69. 13. Neque etiam hîc bene conueniunt Hebræi: alij enim, vt Ezra, volunt eſſe initium carminis, ad cuius tonum hic pſalmus fuerit decantandus: alij, vt Kimhi, nomen eſſe inſtrumenti Muſici, & præcentorum alios præpoſitos fuiſſe inſtrumento, quod voca- A tur Neghinoth, alios verò inſtrumento, quod vocatur שְׁמִינִית *Scheminith*, id eſt, *Octaua.* Multa alia illi narrant, ſed incerta omnia.

2 *Quum inuoco, exaudi* &c. Prima pars pſalmi, in qua Deum rogat, vt ſui miſereatur. *Quum inuoco, exaudi me*, quaſi dicat, Noli diutiùs differre auxilium, ſed hoc ipſo tempore ſuccurre, quando tuam opem imploro, qui inuocanti ſtatim ades: iuxta illud Eſ. 58. 9. *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet, Ecce adſum.*

B *Deus iuſtitiæ meæ*, hoc eſt, Deus iudex ac vindex iuſtitiæ atque innocentiæ meæ, qui ſcis ius ſtare à me, hoſtes verò eſſe in culpa: loquitur quippe Dauid de iuſtitia cauſſę, non perſonæ. Hîc eſt אֱלֹהֵי *elohe*, quod Deum, vt iudicem, ſignificat. *In anguſtia dilataſti mihi.* Sic cohæret, Inuocantem me nunc tu Deus exaudi, qui toties iam aliàs oppreſſo mihi ac laboranti ſalutis viam latam effeciſti, méque in tuto collocaſti. Grę c. & Lat. verterunt, *Quum inuocarem, exaudiuit me* (legerunt enim aliis C punctis, עָנָנִי *anani* pro עֲנֵנִי *aneni*) *Deus* &c. haud incommodo profectò ſenſu, Deus, qui me inuocantem ſemper exaudiſti, ac toties ex anguſtiis eduxiſti, miſerere mei, &c. Nihil verò te mouere debent verba tertiæ & ſecundæ perſonæ mixta: hoc enim ſæpe fit in Pſalmis, & habet aliquid ſingularis elegantiæ, & emphaſeōs.

3 *Filij viri* &c. Secunda pars Pſalmi, in qua per Apoſtrophen in hoſtes ac præſertim proceres, inuehitur, illos increpans & D inſtruens. Per *filios viri* intellige principes & potentes viros. Pſalm. 49. 2. *Etiam filij hominis, etiam filij viri, pariter diues, & pauper*: vbi vides opponi filios hominis filiis viri, quemadmodum diuitem pauperi. *Vſquequò gloria mea (*ſup. *erit) in ignominiam* apud vos? vel *Vſquequò gloriam meam (*ſup. *ponetis) in ignominiam?* Senſus eſt, Vſquequò regiam meam dignitatem ignominiâ afficietis? Vſquequò me legitimum regem è regio ſolio deiectum contemnetis? *Vſquequò diligetis vanitatem*, E hoc eſt, rem, quæ non eſt ſucceſſura, coniurationem ſcilicet Abſalomi. Eódem pertinet, quod ſequitur, *& quæretis mendacium*, hoc eſt, rem, quæ vos fallet. Latinus Græcū ſequutus, pro, *gloria mea in ignominiam*, habet *graui corde? Vt quid. Graui corde*, id eſt, obſtinato ſeu aggrauato animo; quemadmodum de Pharaone Exod. 7. 14. dicitur, *graue* (ſeu *aggrauatum*) *eſt cor Pharaonis*. Legit hîc Græcus, quem ſequitur Latinus, כְּבֵדֵי *chebede*, id eſt, *graues*, (quod erit inſtar עֲצוּם *atſum, robuſtus*, à ver-

Digitized by Google

bo עָצַם *atſam*, id eſt, *roborari)* vbi Hebræi כְבוֹדִי *cheuodhi*, id eſt, *gloria mea*. Præterea diuiſit לִכְלִמָּה *liclimma*, id eſt, *in ignominiam*, in duas dictiones, לֵב *leu*, videlicet, id eſt, *corde*, accipiendo ב pro כ, & לָמָּה *lamma*, id eſt, *quare, vt quid:* ex quo effecit ſuam illam verſionem βαρυκάρδιοι· ἵνα τί: quod Latinus expreſſit, *graui corde? vt quid* &c.

4 *Et ſcitote quòd ſegregauit Dominus ſanctum ſibi*, hoc eſt, ſegregauit me ſibi ex omnibus Iſraëlitis in regem, quia cognouit me eſſe ſanctum ac pium. Quî igitur vobis venit in mentem à me deficere, & alteri regnum tradere? *Segregauit*. Græc. & Lat. *mirificauit*, quod verbum non eſt alienum à propoſito: vbi de opilione ad regiam dignitatem euecto agitur: neque à Grammatica, cùm verba, quæ *mirabile facere*, & *ſeparare* hebraicè ſignificant, ſimilia ſint, atque idcirco ſuas ſignificationes facilè cōfundere poſſint ex regula Grammaticorum, & vſu hebraicæ linguæ. *Sanctum ſibi*. Græco τὸν ὅσιον αὐτοῦ, hoc eſt, pium, illi deuotum, τὸν ἀνακείμενον αὐτῷ, vt interpretatur D. Chryſoſtomus. Ego חָסִיד *chaſidh*, ſoleo exponere qui piè eſt affectus tum erga Deum, tum erga homines. *Sibi* refero egò ad *ſegregauit*. *Dominus exaudiet* me, quíque meis partibus ſtudent. Senſus eſt, Etſi nunc ſum in maximis anguſtiis, *ſcitote* quòd *Dominus exaudiet*, &c. Non dicit Dauid euaſurum ſe è præſenti diſcrimine ſuis viribus aut conſilio, ſed Dei ope. Nec dicit *exaudiet me*, ſed ſimpliciter *exaudiet*: loquitur enim vt princeps & caput, cuius eſt non tam ſibi quàm ſuis conſulere, non tam pro ſua quàm ſuorum ſalute precari & ſollicitum eſſe, ſemper cogitantem ſe non illis datum, ſed illos ſibi.

5 *Iraſcimini*, &c. Tertia pars pſalmi, in qua conuertit iam ſermonem ad ſuos. Si, inquit, iraſcimini & ægrè vobis eſt, fieri enim aliter non poteſt, propter has calamitates, cauete ne peccetis, ac nolite tantùm iræ indulgere, vt deficiatis à Deo: ſed *dicite in cordibus veſtris*, hoc eſt, cogitate apud vos, hoc omne Dei nutu contingere, atque illud eſſe, quod mihi per Nathan Deus olim fuerat comminatus, his verbis, *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua*, &c. 2. Sam. 12. 11. *In cubilibus veſtris*, hoc eſt, noctu, quod tempus accommodum eſt rebus ritè expendendis. *Et tacete*, æquo animo ferentes hæc mala, vtpote à Deo immiſſa. Chald. Raſi, Ezra, Kimhi & alij Hebræorum interpretantur, *Contremiſcite*, ſeu *Timete*: perinde ac ſi hoſtes alloquens diceret, (inquit

A Kimhi) Timete vobis à Deo, ſi non timetis à me: timete & contremiſcite à Deo, & ne peccetis ampliùs, me per ſummam rebellionem perſequendo. Sic ipſe Virg. Æneid. 1.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

Verbum רָגַז *raghaz*, propriè ſignificat commoueri irâ, vel pauore: vnde pro loci exigentiâ, aut interpretum arbitrio modò
B redditur *iraſci*, modò *contremiſcere*, ſeu *timere*. Hoc loco reddi poteſt vtroque modo. D. Paulus ad Epheſ. 4. quod hîc in ſpecie dicitur, ſuo inſtituto, vt ſolet, accommodans, de ira cohibenda, & iniuria condonandâ in genere interpretatus eſt.

Dicite in cordibus &c. hoc eſt, expendite hoc, quod vobis dico, noctu, quum liberior eſt animus ac ſedatior. *Et tacete*, hoc eſt, ceſſate, ac deſinite mihi eſſe rebelles: ſilentium enim non tantùm eſt ſermonis & vocis, ſed etiam operis, & motus, vt ob-
C ſeruat idem Kimhi, qui citat illud Iob. 30. 27. *Viſcera mea efferbuerunt, neque conticuerunt*, hoc eſt, *& fuerunt abſque vlla requie*, vt eſt in Vulgata: & illud Ioſ. 10. 13. *& ſiluit ſol*, pro, ſubſtitit, ſeu ſtetit.

6 *Sacrificate* &c. hoc eſt, Exigite, quæcunque facitis, ad iuſtitiæ normam: quod quidem legitimum ſacrificium eſt, & omnia ſacrificia longè ſuperat; atque hoc ſi facitis, *ſperate* &c. hoc eſt, expectate liberationem à Deo. Vel in ſenſu Hebræorum, qui hoc ad hoſtes Dauidis pertinere volunt: Propterea quòd peccaſtis, habetis opus
D expiatione: *Sacrificate* igitur *ſacrificium iuſtitiæ*, hoc eſt, feriæ pœnitentiæ, non impiorum more, quorum *ſacrificium* eſt *abominatio Domini*, vt eſt Prou. 15. 8. peractis enim ſacrificiis, ad ſua ipſi ſcelera reuertuntur: *& ſperate in Domino*, non in virib. veſtris, & numeroſo exercitu. Sic ferè Kimhi. Videtur autem ſacrificium & votum illud Abſalomi obliquè perſtringere, cuius perſoluendi prætextu, impetrata priùs à patre venia, Hebronem adijt, vbi
E coniurationem inſtituit, rexque ab vniuerſis conſalutatus eſt. Legendum hoc 2. Sam. 15.

7 *Multi dicunt* &c. Quarta & poſtrema pars pſalmi, in qua denique Deum alloquitur. Et quidem huius verſus ſenſus eſt, Multi ex meis fracti calamitatibus optant reſtitui pacem, ac tranquillitatem, ſubinde dicentes, *Quis oſtendet* &c. necnon, *eleua* &c. hoc eſt, reſpice nos lucido ac ſereno vultu, & faue. Sed hoc accipiendum potiùs quaſi dictum ab hoſtibus, per-

Digitized by Google

inde ac ſi diceret, Vtinam, inquiunt hoſtes mei, qui ſanè *multi* ſunt, ac *magni*, (vox enim רַבִּים *rabbim*, & *multi* & *magni* ſignificat) ſuccedat hæc coniuratio, ac mortuo Dauide regnet eius filius: quod autem mihi eſt pernicioſum, illis eſt bonum atque vtile, & illud vehementer optant: ſed tu *Domine eleua ſuper nos lumen vultus tui*, hoc eſt, reſpice nos ſereno vultu, & faue contrà quàm illi ſperant. Quid ſit *eleuare* ſeu *attollere Deum ſuper aliquem lumen vultus ſui*, facilè apparet ex illa benedicendi formula, quæ Num. 6. ſub finem Sacerdotibus præſcribitur, *Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Lucere faciat Dominus faciem ſuam ſuper te, & miſereatnr tui. Attollat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* Illud aliud nihil eſt, quàm Deum fauore aliquem proſequi. Pro *eleua* Græc. & Lat. verterunt *ſignatum eſt*: deſumpſerunt enim ſignificationem verbi נָסָה *neſa*, non à נָשָׂא *naſa*, ſed à נֵס *nes*, quod eſt *vexillum*, *ſignum*: id quod etiam fecit Raſi, qui interpretatus eſt illam vocem, *attolle in vexillum.* Illi autem putauerunt eſſe præteriti, & quidem paſſiui, vel intranſitiuæ ſignificationis. D. Hieron. vertit *leua*.

8 *Dediſti lætitiam* &c. Senſus huius, & ſequentis verſus eſt, Miror cur me extinctum tantopere hoſtes cupiant: nunquam enim illis inuidi, nec inuideo ſua bona; quin lætus ſemper accipio illis frumenti, ac vini vbertatem contigiſſe: ita enim co-

A gito: ſi ſic cum impiis agit Deus, quid boni non debeo ſperare in alterâ vitâ? Igitur ſecurus vnà cum meis deinceps dormiam, certus Dei eſſe ſolius veram quietem, ac tranquillitatem præſtare, quæ nunquam niſi in cælo nobis poteſt contingere. Fortaſſe poſtremo verſu hoc tantùm ſignificat, ſe ſolo Deo fretum nunquam hoſtes reformidaturum, ſed tranquillè ſemper dormiturum. Sanè hoc ſimplicius eſt, & magis in promptu. Sic autem ferè Kimhi interpretatur hos verſus: *Dediſti lætitiam* &c. Ipſi quidem pro

B beneficio iniuriam mihi referunt: ego enim ſemper delectatus ſum illorum bonis, quod ſignificat *à tempore*, (*quo*) *frumentum* &c. cùm illi contrà meis miſeriis lætentur. *Dediſti lætitiam* &c. Perinde eſt ac ſi diceret, Non à me hoc habeo, vt læter de hoſtium bonis, ſed à te, qui *venientem, vt ſe mundet*, (ita loquuntur Hebræi, hoc eſt, facientem quod in ſe eſt) *adiuuas*. *In pace ſimul cubabo*. Etſi illi in meam perniciem toto impetu feruntur, nihilominùs adhuc cupio vnà cum illis pace, ac tranquillitate

C frui: ac ſanè velint, nolint, *in pace ſimul* cum illis *cubabo, & dormiam*. *Quoniam tu, Domine, ſolus* &c. Certus enim ſum ſatisfacturum te meo deſiderio, téque ſolum facturum, vt ego confidenter, ac ſecurè vnà cum illis habitare poſſim. Sic ferè ille. *Securè*: ad ver. *ad ſpem*, ſeu *fiduciam*. Chald. habet *in ſpe*, vt Græc. & Latinus, quod hîc idem eſt ac turò, ſecurè, confidenter.

Digitized by Google

PSALMVS V. . V.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI ſuper
Nechiloth, pſalmus Da-
uid.
2 Verba mea auribus percipe, Do-
mine: intellige [a] clamorem meum.
3 Intende voci orationis meæ, Rex
meus, & Deus meus: quoniam ad te
[b] oro.
4 Domine manè exaudies vocem
meam: manè diſponam tibi, & ſpe-
culabor.
5 Quoniam non Deus volens ini-
quitatem tu es, neque [c] habitabit
iuxta te malignus.
6 Neque [d] permanebunt inſani an-
te oculos tuos: odiſti omnes qui ope-
rantur iniquitatem.
7 Perdes loquentes mendacium:
virum ſanguinum & doloſum abo-
minabitur Dominus.
8 Ego autem in multitudine miſeri-
cordię tuę introibo in domum tuam:
adorabo ad templũ [e] ſanctum tuum
in timore tuo.
9 Domine deduc me in iuſtitiâ tua
propter inimicos meos: dirige in con-
ſpectu meo viam tuam.
10 Quoniam non (eſt) in ore eo-
rum rectum; [f] cor eorum prauitates:
ſepulchrum patens eſt guttur eorum;
linguis ſuis blandiuntur.
11 Condemna illos Deus; decidant
à conſiliis ſuis; propter multitudinem
impietatum eorum expelle eos: quo-
niam rebellauerunt aduerſùm te.
12 Et lætabuntur omnes qui ſperant

[a] vel *meditationem meam.*
[b] ad verb. *orabo.*
[c] *morabitur iuxta (apud) te*
[d] heb. *conſiſtent*
[e] heb. *ſanctitatis tuæ*
[f] ad verb. *intimum*

VETVS.

IN finem, pro ea quæ hæredi-
tatem conſequitur, Pſal. Da-
uid.
2 *Verba mea auribus percipe Domine:*
intellige clamorem meum.
3 *Intende voci orationis meæ, rex*
meus & Deus meus.
4 *Quoniam ad te orabo: Domine ma-*
nè exaudies vocem meam.
5 *Manè aſtabo tibi & videbo: quo-*
niam non Deus volens iniquitatem tu
es.
6 *Neque habitabit iuxta te malignus:*
neque permanebunt iniuſti ante oculos
tuos.
7 *Odiſti omnes qui operantur iniquita-*
tem: perdes omnes qui loquuntur menda-
cium.
8 *Virum ſanguinum & doloſum abo-*
minabitur Dominus: ego autem in multi-
tudine miſericordiæ tuæ.
9 *Introibo in domum tuam: adorabo*
ad templum ſanctum tuum in timore
tuo.
10 *Domine deduc me in iuſtitia tua:*
propter inimicos meos dirige in conſpectu
tuo viam meam.
11 *Quoniam non eſt in ore eorum veri-*
tas: cor eorum vanum eſt.
12 *Sepulchrum patens eſt guttur eo-*
rum, linguis ſuis doloſè agebant, iudica
illos Deus.
13 *Decidant à cogitationibus ſuis, ſecun-*
dùm multitudinem impietatum eorum
expelle eos, quoniam irritauerunt te Do-
mine.
14 *Et lætentur omnes, qui ſperant*

Digitized by Google

in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

15 *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iuſto.*

16 *Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.*

in te, in æternum ouabunt, & proteges eos: & exultabunt in te, qui diligunt nomen tuum.

13 Quoniam tu benedices iuſto, Domine: vt ſcuto, bona voluntate coronabis eum.

COMMENTARIVS.

A*Rgumentum reperies mox poſt expoſitum Titulum ſeu primum verſum.*

1 נְחִילוֹת *Nechiloth.* Hæc vox nuſquam extat, niſi in hoc loco, ideóque incognita eſt, ac de ea variæ ſunt Interpretum ſententiæ. R. Hai deducit à נְחִיל שֶׁל דְבוֹרִים *nechil ſchel deuorim*, quod apud Hebræos doctores *examen apum* ſignificat: quaſi ſit inſtrumentum muſicum ſic appellatum à ſono, quem edit ſimilem ſuſurro, ac ſibilo apum. Chaldæus interpretatur *ſuper tibiis*, ſeu *ſuper choris*. Ezra putat eſſe initium alicuius carminis, ad cuius numeros hic pſalmus eſſet decantandus. Idem exponit *ſuper hæreditates.* Sic & alij in Ialkut & Midras Aggada. Atque hos ſequuti ſunt Græcus, qui vertit ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης, hoc eſt, *pro hærede*, & Latinus, qui vertit *pro ea, quæ hæreditatem conſequitur.* Raſi negat *nechiloth* ſonare *hæreditates*, & vllam in hoc pſalmo fieri mentionem hęreditatis: ſed idem eſſe affirmat, quod *exercitus*, idémque ſignificare quod נְחִיל *nechil*, hoc eſt, *turma*, ſeu *cœtus*, & נַחֲלֵי *nachale*, pſ. 18. 5. necnon 2. Sam. 22. 5. quæ vox ex Chaldæi interpretatione iſtis in locis nil aliud eſt, quàm *cœtus*, *turma*. Exiſtimat ergo hunc pſalmum eſſe orationem propter exercitus hoſtium oppugnantium Iſraëlitas, eſſéque conſcriptum à Dauide omnium Iſraëlitarum nomine. Sed fruſtra in inueſtiganda iſtius vocis ſignificatione laboramus, cùm nihil eâ de re certò affirmari poſſit, & parum hoc, vel potiùs nihil ad argumentum pſalmi pertineat.

Argumentum. *Illud ſolùm conſtat ex contextu, Dauidem hoc carmen edidiſſe, quum fugeret Abſalomum, ac vehementer exagitaretur ab Achitophele & ſimilibus peſtibus: aut quum fugeret Saulem, maléque acceptus fuiſſet à Doego, aliiſque nefarijs hominibus, qui verſarentur in aula Saulis.*

Dauid igitur in hoc Pſalmo preſſus ac pene oppreſſus hoſtium inſidijs (magnitudinem enim periculi manifeſtè oſtendit ingens ac

A *vehemens precandi ſtudium) Deum orat, palàm teſtans ſe bene ſperare, nempe citò ac ſine mora exaudiendum à Deo, cui neque improbitas, neque improbi placere queant, imò odio ſint, vt illos haudquaquam ferre poſſit, aut in ſuum conſpectum admittere: dein profitens certò ſe tenere Dei clementis ope ſacram ædem, à qua ſcilicet tunc exularet, liberè deinceps aditurum, ibique diuinum numen, vt antea ſolebat, reuerenter adoraturum. Inde obiter admiſcet precationem, quâ petit à Deo, ita curſum ſuæ vitæ regi ac gubernari, vt hoſtes, homines perfidi, nullam*

B *calumniandi ac maledicendi cauſſam habere poſſint. Tandem Deum precatur, ſuos hoſtes eorúmque conſilia euertat, affirmans fore, maximus vt inde fructus ad pios quoſque redeat, qui haud mediocrem ex eo ſpem concepturi ſunt, ac ſeriò de Dei ope triumphaturi.*

2 *Verba mea* &c. Quia vrgebat periculum, idcirco vehementior eſt in precando, idémque aliis atque aliis verbis, vt ſolent qui preſſi malis alterius opē implorant, in his duobus verſiculis repetit. *Auribus percipe.* Sic Scriptura αὐθρωποπάθως de Deo loquitur. Nam qui plantauit aurem, nihil o-

C pus habet auribus, vt audiat. *Clamorem meum.* In Heb. propriè *loquutionem meam*: vel *meditationem meam.* Vltimo modo acceperunt author Midras, Kimhi, & alij, hoc videlicet ſenſu, Audi vocem meam: & ſi fortè dolore vox fuerit interclusa, intellige tunc tacitos gemitus, ac meditationes. Aptè vſus eſt verbo *intellige* cum *meditatione.*

3 *Rex meus*, cuius opem imploro, vt ſubditus opem ſui regis. *Deus meus.* Hebraice אֱלֹהַי *elohai*, quæ vox Deum, vt iudicem, ſignificat, quaſi diceret, tu qui iudex meus es, méque aduerſus hoſtium iniurias ſoles defendere.

4 *Manè exaudies vocem meam*, nunc,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

nunc ſcilicet quum tuam opem imploro; neque, ſpero, in veſperam differes auxilium. Vrgebat tunc nimirum, quum hoc edidit carmen, aliquod periculum, à quo petit ſubitò liberari. *Manè* autem ait, quòd, vt ego quidem arbitror, manè hoc ediderit carmen. Deinde reſpexit ad morem precandi præſertim manè. Manè quippe orandum ante omnia negotia, dúmque animus ſomno recreatus liberior eſt: iuxta illud pſ. 88. 14. *Manè oratio mea præuenit te.* Manna, quod niſi pri-
Exo.16.21. ma luce colligeretur, exiguo ſolis radio calefactum liqueſcebat, cùm ab igne non conſumeretur omnino, ſignificauit profectò oportere præuenire ſolem ad benedictionem Dei, & ſub ortum lucis Deum adire atque adorare: alioqui omnes noſtras ſpes inſtar hybernæ glaciei, aut pruinæ ſtatim eſſe diſſoluendas, nóſque manna minimè eſſe collecturos. De hoc vide cap. 16. Sap. in fine. *Manè* Ezra interpretatur ſingulis matutinis. Raſi obſeruat dici hîc *manè*, quòd manè exerceatur iudicium de improbis, iuxta illud pſ. 101. 8. *In matutino interficiam omnes peccatores terræ:* Eſa. 33. 2. *Domine, miſerere noſtri, te (enim) expectauimus: eſto brachium noſtrum in mane.* Huc refer illud Ierem. 21. 12. *Iudicate manè iudicium.* Apud nos quoque iudicia capitis manè tantùm exercentur. *Diſponam tibi,* ſupplent Hebræi *orationem meam.* Ego malo repetere ex priore membro *vocem meam*: vel ſupplere *oculos meos*, propter verbum ſequens *ſpeculabor*: quaſi dicat, dirigam ac conuertam ad te oculos meos, & ſpeculabor. Eclipſes linguæ hebraicæ ſunt familiares: eáque ſæpe omittuntur, quæ facilè ſuppleri poſſunt. *Diſponam tibi* ſemper orationem vel vocem meam, vel oculos meos, vti nunc facio, quoties quid molientur hoſtes. *Et ſpeculabor*, ſublatis in cœlum oculis, an tu adſis mihi, & opem feras. Qui in oratione eſt, quaſi in ſpecula eſt, proſpiciens an quid auxilij à Deo affulgeat. Ezra vult cum hoc verbo repeti *tibi. Speculabor* tibi ſeu te, hoc eſt, quaſi è ſpecula ad te reſpiciam. Idem ſemper eſt ſenſus.

5 *Neque habitabit* &c. Hoc verbũ, & quæ ſequuntur, per præſens tempus exponi debent: eſt enim generalis ſententia in hoc, & ſequentibus verſibus, quâ vult ſignificare Deo omnem improbitatem diſplicere; & hac cogitatione ſe aduerſus hoſtes munit.

6 *Permanebunt.* In Heb. propriè *ſtabunt* ſeu *conſiſtent. Inſani,* hoc eſt, qui pro inſanis ſe gerunt. Inſani omnia vehementer faciunt, nec vllius rei tenent modum: ſic

A aliqui ſunt, alioqui apud homines bene cordati, quos cupiditatum intemperiæ, inſaniæque ita agitant, vt ſine modo peccent. Hos *inſanos* appellat Dauid: etſi Græcus & Latinus ſenſum tantùm ſecuti verterunt *iniuſti.* Huc refer illud Pſal. 75. 5. *Dixi inſanis,* (Græc. & Lat. *iniquis,*) *Ne inſaniatis*: (Lat. *Nolite iniquè agere*:) &c. *Ante oculos tuos.* Quos quis odit, ab ijs oculos ac faciem auertit, nec diu coram ſe verſari ſuſtinet. *Odiſti* &c. Hæc pars priorem explicat. *Qui operantur* &c. ad verb. *operatores iniquitatis*, emphaticè. Illos ſignificat
B quos inſanos dixerat.

7 *Perdes loquentes mendacium:* &c. Doegum vel Achitophelem, corúmque ſimiles peſtes apertè deſignat, aulicos videlicet Saulis, aut qui ſtabant à partibus Abſalomi, homines, vt in aulis regum ac principum, ſplendidè mendaces, verbo amicos, re hoſtes infenſiſſimos, & implacabiles. Obſeruat Kimhi in hoc verſu pro more linguæ ſanctæ miſceri ſecundam perſonam cum tertia.

8 *Ego autem in multitudine* &c. Tu iſto-
C rum conſpectum ac preces auerſaris; quin prorſus illos perdis: at ego tuâ miſericordiâ ac bonitate fretus, quam multoties iam expertus ſum, ſpero me aditurum, vt antea ſolebam, Arcam, aut Tabernaculum, ibique ſummâ cum reuerentiâ, & quæ tibi debetur, (hoc ſignificat τὸ *in timore tuo*) adoraturum, atque humiliter precaturum. Per *domum Dei* & *templum ſanctitatis eius* intellige Arcam aut Tabernaculum: tunc enim, cùm hunc pſalmum ſcripſit Dauid, nondum erat ædificatum templum Domi-
D no, ſed tantùm à morte Dauidis. Tabernaculum quod tunc vnà cum Arca erat in Silo, *domus Domini*, 1. Sam. 1. verſu 7. & 24. necnon etiam *templum Domini*, verſu 9. appellatur. Kimhi vult hîc intelligendam domum ſeu locum, vbi erat Arca.

9 *Domine deduc me* &c. hoc eſt, fac tuâ ope, vt incedam in viâ legis tuæ. *Propter inimicos meos*, quibus nihil magis eſt in votis, quàm vt peccem, ac ſic in iram tuam incurram. Vel ſenſus eſt, fac vt nihil ab æquo ac iuſto deflectam: alioquin ſi vel paulolum
E declinauero, protinus audiam hoſtes acerbè mihi inſultantes, ac mihi ius violatum exprobrantes. Hoc ſimplicius eſt.

10 *Quoniam non (eſt) in ore eorum* &c. Ratio eſt, cur dixerit *propter inimicos meos*: Quoniam, inquit, ij ſunt, in quorum ore nihil ſit rectum, nihil ſyncerum: ſiquidem verbis non reſpondet animus: ſed cùm foris ſummos amicos meos ſe ſimulent, intus hoſtes infenſiſſimi ſunt. *In ore eorum*, ad verbum *eius*, hoc eſt, vniuſcuiuſque exil-

Digitized by Google

lis, quemadmodum volunt Ezra & Kimhi. Bene ergo, & ad ſenſum in Græco & Latino *eorum*. *Cor*(ad ver. *intimũ*) *eorum prauitates*, hoc eſt, iuxta Raſi, cogitationes eorum ſunt dolus. *Intimum* hoc loco & alibi ſignificat *cor*, ideóque *cogitationes*, quarum principium Veteres cor eſſe crediderunt. *Intimum* hîc *ori* opponitur, vt & pſal. 62.5. *ore ſuo benedicunt, & intimo ſuo* (vbi Græc. Lat. & Chaldæus *corde ſuo) maledicunt*. Bene ergo Græc. & Latinus hîc reddiderunt *cor*. *Sepulchrum patens* &c. ad abſorbendum aliorum laborem, quemadmodum ſepulchrum abſorbet corpus. Raſi. Vel *ſepulchrum patens*, hoc eſt, exitium ſubitum. Ezra. Vel *ſepulchrum patens* &c. quia qui ab illis non cauet, ſed eos audit blandientes, tandem ruit in exitium. Ac ſic ferè Kimhi, qui per *guttur* notat intelligendos eſſe ſermones, quòd quædam litteræ in gutture ſonent, & principium ſermonis ſit guttur, ſiquidem vox exit è gutture, ſermo autem in ore perficitur.

11 *Condemna illos*. Sunt qui vertant *Deſola illos*. Verùm Kimhi vult exponi, *Delinquere fac illos*, ſcilicet in conſiliis ſuis: perinde ac ſi diceret, Non ſuccedat quod ipſi cogitarunt: quò pertinet quod ſequitur, *decidant à conſiliis ſuis*. Hoc Achitopheli accidiſſe loquitur hiſtoria, ac teſtis eſt 2. Sam. 17. ipſum Dei nutu conſilio fruſtratum laqueo mortem ſibi conſciuiſſe. *Propter multitudinem* (emphaticè) *impietatum* (emphaticè quoque) *eorum expelle eos*, hoc eſt, age illos in fugam, perſequere illos: quo modo Eſ. 13.14. dicitur, *Et erit quaſi damula* מֻדָּח *muddach, expulſa*, id eſt, agitata. Verte, ſi vis, *impelle eos*, hoc eſt, errare fac eos: quo modo Deut. 13.13. dicitur, *& impulerunt habitatores vrbis ſuæ, dicendo, Eamus & ſeruiamus dijs alienis*. *Quoniam rebellauerunt aduerſùm te*, me, quem voluiſti eſſe regem tui populi, reijciendo. Hanc rationem quum addit, perſpicuè oſtendit ſe non priuato affectu ductum, ſed Dei zelo accenſum hoſtibus imprecari: ſi tamen hîc imprecatio eſt, ac non potiùs vaticinium imprecandi formulâ conceptum, quo hoſtibus non vllum malum optet, ſed ſimpliciter denuntiet quid ijs tandem præuideat futurum, quia mereantur. Idem perpetuò iudicium eſſe debet de piorum hominum imprecationibus, quippe qui ſciant benedicendum ac benefaciendum inimicis.

12 *Et proteges eos*: ad verb. *& obteges ſuper eos*, quod ſignificat iuxta Kimhi, eris illis inſtar tabernaculi, ne quid detrimenti ferant ab hoſtibus. ו id eſt, *&*, hoc loco rationalis eſt coniunctio: *& proteges*, pro, quia proteges: hoc ſenſu, Quum viderint pij homines, & qui meas partes ſequuntur, te hoſtes meos diſieciſſe, corúmque conſilia euertiſſe: enimuerò tunc lætabuntur, & æternum triumphum canent, quia tu me protegendo illos proteges. Aut certè ſenſus eſt, Tunc meæ liberationis exemplo excitabuntur, vt certò credant te ſibi quoque in periculis adfuturum, quod ſignificat *&* (pro *quia*) *proteges eos*. Quòd *&* pro *quia* ſumatur habes exemplum Eſa. 64.5. *ecce tu iratus es, & peccauimus*, pro, *quia peccauimus*. Non multùm diſceſſerunt ab Hebræo Græc. & Latinus interpres, qui habēt, *& habitabis in eis*, hoc eſt, ſuper eos ad modum tentorij, quemadmodum explicat illuſtriſſimus Card. Bellarminus. *Exultabunt in te*, hoc eſt, in tuâ ope.

13 *Quoniam tu benedices iuſto*, hoc eſt, Quoniam videbunt te fauere innocenti, idcirco *exultabũt in te, qui* &c. *Coronabis* ſeu *Circumteges*, & in modum coronæ circundabis. *Eum*. Græcus & Lat. habent *nos*: quia legerunt נו abſque Daghes, vbi נּוּ. Verùm pronomen tertiæ perſonæ loco magis conuenit.

Digitized by Google

PSALMVS

VI. VI.

VERSIO

NOVA.

PRÆCENTORI in Neghinoth ſuper Octauam, pſalmus Dauid.

2 Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

3 Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

4 Et anima mea turbata eſt valde: & tu, Domine, vſquequo?

5 [a] Conuertere Domine, eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

a vel Reuertere

6 Quoniam non (eſt) in morte memoria tui: in ſepulchro quis confitebitur tibi?

7 Laboraui in gemitu meo; natare facio per ſingulas noctes lectum meũ: lachrymis meis ſtratum meum liquefacio.

8 Corroſus eſt præ furore oculus meus: [b] inueterauit propter omnes inimicos meos.

b vel amotus eſt

9 Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

10 Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

11 [c] Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur, erubeſcant momento.

c vel Erubeſcent, conturbabuntur: ſicque alia.

VETVS.

IN finem in carminibus, Pſalmus Dauid, pro octaua.

2 Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

3 Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

4 Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequò?

5 Conuertere Domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

6 Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

7 Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

8 Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

9 Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

10 Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

11 Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant valde velociter.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

Argumētum. *DAuid hunc pſalmum compoſuit, cùm in grauem morbum incidiſſet: vt placet Hebræorum Doctoribus. Putat tamen Kimhi fieri etiam poſſe, vt hunc pſalmum Dauid conſcripſerit, qui morbo laborantibus eſſet in promptu, quoties orare vellent: quod quidem mihi magis probabile videtur. Quicquid ſit, in hoc pſalmo Dauid vel ſuo, vel alterius nomine, furorem Dei deprecatur, miſericordiam verò precatur, quam vt conſequatur faciliùs, exponit Deo doloris ac morbi grauitatem: (ſciebat enim Dauid nunquam Deum magis nos reſpicere, quàm in rebus aduerſis) affirmátque ſe nulla alia ratione cupere viuere, quàm vt in Eccleſia Deum celebrare poſſit. Tandem ſecurus repulſæ, quaſi iam prorſus ſperata valetudine potiretur, ſatis vehementer inſultat hoſtibus, quos ſuo malo delectari cognoſcebat. Multi cenſent hoc carmen de morbo ſpirituali magis, quàm corporali eſſe accipiendum. Adferunt hanc rationem potiſſimùm, quòd Eccleſia ab antiquiſſimis temporibus inter pœnitentiales hunc pſalmum nunquam numeraſſet, niſi ad pœnitentiam pertineret. Verùm Hebræorum ſententiam potiùs ſequor, & verba accipio, vt ſonant, cùm nihil repugnet. Quid, quæſo, eſt* infirmum eſſe? *quid* ſanare? *Non nego tamen ad morbum ſpiritualem poſſe accommodari, ideóque inter pœnitentiales haud abs re cenſeri.*

1 *Super Octauam. Octaua* vel fuit inſtrumentum octo chordarum: vel ſpecies carminis, aut poëſeos conſtans octo tonis. Nihil conſtat hac de re, etiam inter Hebræos. Chaldæus interpretatus eſt, *citharam octo chordarum.*

2 *Domine, ne in furore tuo* &c. Si me arguere vis ac caſtigare ob delicta, ne, quæſo, in furore tuo, ſed lentè, vt ferre poſſim. Simile eſt illud Ierem. 10. 24. *Corripe me Domine: veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* Audi hîc D. Hieron. Pœnitentiæ hic pſalmus eſt, inquit, vbi Dauid non emendari refutat, & corripi, ſed in furore, & in irâ, quia infirmus ſit, & turbata ſint oſſa eius. Hactenus ille. Cæterùm hæc quum ait Dauid, perſpicuè oſtendit ſe agnoſcere morbum, quo laborabat, diuinitus immiſſum. Non enim ſimpliciter dicit, Domine, grauiter affectus ſum; ſed *Domine, ne in furore tuo arguas me,* &c. Quibus verbis apertè declarat ſentire morbum quo laborat, à Deo eſſe immiſſum, & quidem vti flagellum, quo caſtigetur, quaſi filius à patre. Nobis igitur exemplo Dauidis, quoties morbo, aut alia ærumna corripimur, peccatorum veniat in mentem, & confugiamus ad Dei miſericordiam, non vt impij, qui vt bona, ſic & mala ſua aliò quouis potiùs quàm ad Deum referunt, ideóque neque his ad emendationem proficiunt, neque illis ad gratiarum actionem prouocantur. Morbi aut calamitates non ex carnis ſenſu æſtimandæ, ſed ſpiritus: ac cogitandum Deum, quum affligit, tanquam filiis ſeſe nobis offerre atque exhibere, quò caſtiget & meliores efficiat, non quòd odio habeat; quòd ſi expertes diſciplinæ & correctionis eſſemus, nempe nos adulterinos, & non filios fore: ſiquidem non ſit filius, quem non caſtiget pater. Ad Heb. 12.

3 *Miſerere mei*, &c. Senſus, Fer mihi opem miſero, & omnibus viribus deſtituto: fac vt in ſtatum valetudinis priſtinum reſtituar: nam tantus eſt ac tam grauis dolor, vt vel oſſa ipſa, alioquin omnis ſenſus expertia, turbata ſint, ideóque prorſus actum ſit de me, niſi mox ſuccurras. *Oſſa.* Ezra accipit, vt ſonat: Kimhi verò ſynecdochicōs pro corpore, cuius illa ſunt baſis & fundamentum. Agit cum Deo, vt cum patre, eíque ſuum dolorem exponit, quò illum moueat ad ferendam opem.

4 *Et anima mea turbata eſt valde* vi doloris & metu mortis. *Domine vſquequò* differes curationem? vel *vſquequò* turbata erit anima mea?

5 *Conuertere* (vel potiùs *Reuertere*) ab æſtu iræ tuæ, & *eripe animam meam* ex hoc morbo. Sic Raſi, & alij. *Animam meam*, id eſt, *me*, vernaculè *ma perſonne*: & eſt ſignificantius quàm me. Sic ſumitur *animæ* vocabulum Eſa. 46. 2. *anima eorum in captiuitatem abijt*: vbi Græcus αὐτοὶ *ipſi captiui abducti ſunt*: ipſimet. Sic Matth. 4. vbi *mitte te deorſum*, Græcè σεαυτὸν, Syr. eſt נַפְשָׁךְ *naphſchach*, *animam tuam.* Ego potiùs acciperem hîc *animam* pro vita, hoc ſenſu, *eripe animam meam* à morte, hoc eſt, vitam: quo modo anima mori dicitur Iob. 36. 14. Vide ad verſ. 30. pſal. 22. Eódem ſenſus redit: *Propter miſericordiam tuam*, non propter meam iuſtitiam: ſcio enim reum eſſe me, ac propter delicta mihi à te immiſ-

ſum hunc morbum.

6 *Quoniam non* (*eſt*) *in morte* &c. Senſus eſt, Si moriar, non potero tui eſſe memor, aut confiteri tibi ampliùs apud mortales: at ſi priſtinam valetudinem reſtitueris, celebrabo te palàm, & in oculis omnium. Multùm lucis adfert huic loco illud Ezechiæ apud Eſa. 38. 18. *Non enim ſepulchrum confitebitur tibi, neque mors laudabit te:* &c. ver. 19. *Viuens, viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Quorum verſuum hæc eſt ſententia, Non mortui, & quorum corpora iacent in ſepulchris, ſed ij ſoli, qui in terris viuunt, tuam legem docere, tuum cultũ ad poſteros propagare, tua beneficia, ac miranda opera inter mortales, & in Eccleſia Dei celebrare, ac prædicare poſſunt. Eodem ſenſu Dauid pſal. 30. v. 10. *nunquid confitebitur tibi puluis? nunquid annunciabit veritatem tuam?* pſal. 115. 17. & 18. *Non mortui laudabunt te Domine* &c. *Sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino.* pſal. 118. 17. *Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini.* Non negant illi quidem Deum in cœlis ab Angelis, ac beatis celebrari, ſed volunt nihil ad mortales laudes iſtas pertinere. Inſtituit Deus Eccleſiam, vt eſſent qui Deum in terris colerent: idcirco Dauid hoc loco, & ſæpe pij homines vitam ſibi prolongari ſummis votis exoptant, quò Deum colere, eiúſque voluntatem exequi in hac vita poſſint, ad multiplicandam, atque augendam, vt loqui ſolent Hebræi, animæ mercedem ad futuram vitam. *Memoria tui.* In Græco & Latino, *qui memor ſit tui*, eodem ſenſu: etſi illi aliis punctis, quàm quæ nunc ſunt, videntur legiſſe, nimirum זֹכֶרְךָ *zocherecha*, *memor* (vel *recordans*) *tui*, vbi hodie זִכְרְךָ *zichrecha*, *memoria tui.* *In ſepulchro.* Græcus & Latinus habent *inferno.* Sed illi ſæpe *infernum* ponunt pro *ſepulchro.* Hebraicè eſt שְׁאוֹל *ſcheol*, quæ vox eſt ambigua, & *ſepulchrum*, & *infernum* ſignificat. Quòd *ſepulchrum* ſignificet, conuincit locus iſte Gen. 37. 35. *Deſcendam* (aiebat Iacob deflens filium ſuum Ioſeph, quem à feris deuoratum putabat) *ad filium meum lugens* שְׁאֹלָה *ſcheola*, hoc eſt, haud dubiè, *in ſepulchrum*: etſi hîc in Græco & Latino legitur *in infernum* Sed *inferni* vocabulum nemo, qui ſit ſanę mentis, pro damnatorum loco hîc accipiat. Nihil enim aliud dicere voluit Iacob, quàm ſe in filij luctu ad mortem & ſepulchrum vſque perſeueraturum. Cur, amabò, diceret ſe ad filium in locum damnatorum deſcenſurum? Eiuſdem eſt illud haud abſimile, *ſi accideret illum mori in via per quam ibitis, deſcendere faceretis*

A *canitiem meam cum dolore ad ſepulchrum*, in Vulg. *deducetis canos meos cum dolore ad inferos*, Gen. 42. 38. Simile quoque Tob. 3. 10. in Græco legere eſt, τὸ γῆρας αὐτοῦ κατάξω μετ᾽ ὀδύνης εἰς ᾅδου, quod de ſepulchro eſſe accipiendum intelliget, qui locum cõſulet, & conferet cum alio ſimili loco eiuſdem libri, c. 6. 15. vbi pro eo, quod apud Latinum eſt, *deponam ſenectutem illorum cum triſtitia ad inferos*, in Græco legitur, εἰς τὸν τάφον αὐτῶν. Hoc vltimum profectò euidenter probat præcedentes lo- B cos de ſepulchro eſſe exponendos. Num. quoque 16. 33. vox prædicta pro ſepulchro videtur accipienda, vbi legitur, *Deſcenderúntque ipſi, & quotquot ad eos pertinebant, viui in ſepulchrum* (in Vulg *infernum*,) *operti humo.* Nam iſtius verſiculi ſententia hæc videtur eſſe, Core, Dathan, & Abirom, de quibus ibi agitur, à terra fuiſſe abſorptos, ac ſic viuos ſepultos. Hæc ſententia euidenter colligitur ex ijs, quæ præcedunt, maximè verò ex mox præcurrente verſu, *Et aperiens terra os ſuum deuorauit illos cũ tabernaculis ſuis*, &c. *& vniuerſa ſub-* C *ſtantiâ.* Nota præſertim hæc poſtrema verba. Nam quis credat diuitias, & cætera eiuſmodi ad inferos rapta? Quòd *infernum* etiam ſignificet vox illa, Hebręi non negant, quemadmodum mox, & ad verſum 18. pſ. 9. & aliàs paſſim obſeruabitur. Vtrumque autem appellatur hebraicè à *petẽdo* ſeu *poſtulando*, quòd nunquam illa ſatientur, aut expleantur, ſed plura aſſiduè petant: ſicuti dicitur Prou. 27. 20. *Sepulchrum* (Gręc. & Lat. *Infernus*) *& perditio nunquam ſaturantur:* necnon Prou. 30. 15. & ſeq. *Tria ſunt* D *inſaturabilia*, &c. *Sepulchrum*, (Græc. & Lat. *Infernus*) *& os vuluæ, & terra, (quæ) non eſt ſatiata aquis*, &c. Qui loci, etiam ex Hebræorum quorundam ſententiâ, de inferno & loco impiorum poſt mortem accipi poſſunt. Malim ego illos de ſepulchro intelligere: & magis eſt in promptu. Verùm plures ſunt loci, vbi vox prædicta pro loco damnatorum ſumitur.

7 *Laboraui in gemitu meo*; &c. Ita morbum placere video meis hoſtibus, qui mea E ex morte impunitatem ſcelerum ſibi pollicentur, nunquam vt ceſſem ingemiſcere: imò tantam vim lachrymarum effundam, vt natare faciam ſingulis noctibus lectum meum. Dicit *per ſingulas noctes*, quòd ſoleant noctu morbi ingraueſcere, atque idcirco tunc magis ſua delicta morbi cauſas in memoriam reuocaret: aut, quod magis conuenit verſibus ſequentibus, de hoſtium petulantiâ tunc magis cogitaret. Vel dicit *per ſingulas noctes*, quòd noctu lachrymis liberiùs indulgeret, nemine

Digitized by Google

eum vidente. Quod autem dicit, *natare facio*, necnon *liqueſacio*, illud hyperbolicè eſt accipiendum. Neque verò ſui causâ ita vehementer doluiſſe virum ſanctum credendum eſt, ſed Dei, cuius voluntatem in eius regis, quem ipſe conſtituiſſet, deſiderata morte violari cognoſcebat.

8 *Corroſus*, ſeu, *Conſumptus eſt*: aliis *Computruit*, *contabuit*: aliis *Caligauit*: Chald. *Obſcuratus eſt*: Græco & Lat. *Turbatus eſt*. Difficile eſt ſtatuere de vocis עָשְׁשָׁה *aſcheſcha*, ſignificatione, quæ ter tantùm, vt puto, in ſacris litteris reperitur, idque in pſalmis, hîc & pſ. 31. verſ. 10. & 11. *Præ furore*, & ira qua incendor vidēs hoſtes adeo delectari meo morbo. *Inueterauit* ſeu *conſenuit*: iuxta alios *amotus eſt*.

9. *Diſcedite à me* &c. Altera pars Pſalmi, in quâ vel iam voti factus compos & à morbo recreatus, vel præuidens ſaltem, aut certò ſperans ſe à Deo exaudiendum, hoſtes iubet faceſſere, qui ipſum cuperent extinctum. *Diſcedite à me* quum ait, domeſticos, aut ſaltem familiares videtur notare. *Quoniam exaudiuit* &c. Hoc di-

A xit, cùm ex morbo conualuiſſet: aut propheticè loquitur. Vtroque modo Kimhi. Vel vtitur verbo præt. temp. *exaudiuit*, quòd certò teneret Deū ſuas preces admiſſurum: idcirco loquitur, quaſi iam admiſiſſet, vt ſæpe aliàs. Quum porrò dicit, *exaudiuit Dominus vocem fletus mei*, & quę ſequuntur, Deo acceptum refert, vt Ezra obſeruat, quòd ſanatus ſit, non item medicis: quoniam ad illum ſcilicet confugerit.

11 *Erubeſcant*, *& conturbentur* &c. vel *Erubeſcent*, &c. cùm viderint me conualuiſſe: illi enim meam mortem expectabant. Dicit *conturbentur* (ſeu *conturbabuntur*) *valde*, ΣΦΟΔΡΑ, vt obſeruat Ezra, *conturbata ſunt oſſa mea*, necnon, *anima mea turbata eſt valde*. *Conuertantur*, vel *conuertentur*, hoc eſt, iuxta Ezram, pœnitebunt, aut quærent mihi reconciliari. At
B iuxta Kimhi exponendum potiùs *reuertentur*, hoc ſenſu: ipſi cognoſcentes non ſucceſſiſſe, quod cogitarant, reuertentur ad me, vt mecum in gratiam redeant, & in iſto momento illos mei pudebit.

PSALMVS

VII. VII.

VERSIO

VETVS.

PSalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chuſi filij Iemini.

2 *Domine Deus meus in te ſperaui: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.*

3 *Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.*

4 *Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis:*

5 *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.*

6 *Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.*

NOVA.

SChiggaion Dauid, quod cantauit Domino ſuper verbis Chus filij Iemini.

2 Domine Deus meus in te ſperaui: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

3 Nequando rapiat, vt leo, animam meam: laceret, neque ſit qui ſaluum faciat.

4 Domine Deus meus ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

5 Si reddidi retribuenti mihi [a] mala: imò eripui oppugnantem me ſine cauſa:

[a] heb. malum:

6 Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terram vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Digitized by Google

7 Exurge Domine in ira tua; exalta te [b] contra furores inimicorum meorum : & expergiſcere ad me (qui) iudicium mandaſti.

8 Et [c] ſynagoga populorum circundabit te : & propter hanc in altum regredere.

9 Dominus iudicat populos : iudica me, Domine, ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

10 Conſumatur [d] nunc nequitia peccatorum : & [e] dirige iuſtum, tu qui exploras corda & renes, Deus iuſte.

11 Clypeus meus ſuper Deum, qui ſaluos facit rectos corde.

12 Deus iudex iuſtus : & Fortis iraſcitur [f] per ſingulos dies.

13 Niſi conuerſus fuerit, gladium ſuum acuet : arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

14 Et in eum parauit vaſa mortis; ſagittas ſuas [g] in ardentes parauit.

15 Ecce parturijt iniuſtitiam, & concepit [h] dolorem, & peperit mendacium.

16 Ciſternam fodit, & effodit eam, & incidit in foueam (quam) fecit.

17 Conuertetur [i] dolor eius in caput eius, & [l] in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

18 Confitebor Domino ſecundùm iuſtitiam eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

b in
c congregatio
d vel quæſo
e vel ſtabili
f ad verb. omni die.
g perſequentes
h moleſtiam,
i labor ſeu peruerſitas
l heb. ſuper

7 Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

8 Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti : & ſynagoga populorum circundabit te.

9 Et propter hanc in altum regredere : Dominus iudicat populos.

10 Iudica me Domine ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

11 Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum, ſcrutans corda & renes Deus.

12 Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde.

13 Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens; nunquid iraſcitur per ſingulos dies?

14 Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

15 Et in eo parauit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.

16 Ecce parturiit iniuſtitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

17 Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.

18 Conuertetur dolor eius in caput eius; & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

19 Confitebor Domino ſecundùm iuſtitiam eius : & pſallam nomini Domini altiſſimi.

COMMENTARIVS.

A*Rgumentum poſt expoſitum titulum tractabitur, quia titulus ad ipſum pertinet.*

1 *Schiggaion Dauid.* Putat Ezra fuiſſe *Schiggaion* initium cantilenæ, ad cuius tonum hic pſalmus decantaretur : Kimhi ſpeciem aliquam ſymphoniæ. *Super verbis.* Potes vertere *ſuper rebus*, & factis : *verbum* enim apud Hebræos rem quamcumque ſignificat. *Chus.* Hæc vox *Æthiopem* ſonat. Hac autem voce notari Saulem affirmant ferè omnes Rabbini, præter Ezram, qui exiſtimat *Chus* nomen fuiſſe alterius Iudæi cuiuſdam è poſteris Benjamin. Ratio quæ illum mouit, hæc eſt, quòd de Saule electo Domini nunquam dicturus fuiſſet Dauid, *Ecce parturijt iniuſtitiam*, &c. v. 15.

Digitized by Google

Sed hæc ratio non eſt ratio, inquit Kimhi: quidni enim hoc dixerit Dauid de Saule? cui dixit in os ipſum, vt eſt 1. Sam. 24. 14. *Ab impiis egredietur impietas*: & ibid. verſ. 13. *& vlciſcatur me Dominus de te.* In Deras affertur ratio, cur diſſimulauerit Dauid nomen Saulis, & ſub alieno nomine in ipſũ fuerit inuectus, quòd ſcriptum ſit Eccleſ. 10. 20. *Etiam in cogitatione tua regi ne detrahas.* Sed hæc ratio hîc non habet locum, vbi Dauid non modò de Saule cogitauit, ſed ita verum eius nomen ſuppreſſit, vt ſatis tamē indicaret, in quem ſcriberet: quum eum *Iemini filium* vocat, in cuius familia natus eſt Saul, qui ipſe ſe filium Iemini nominat: 1. Sam. 9. 21. *Chus* eum appellat, (quod ſonat Æthiopem) hoc eſt, perditum, ac profligatum hominem, qui non magis ingenium ac mores mutet, quàm Æthiops pellem, iuxta illud Ieremiæ 13. 23. *Nunquid mutabit Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas?* Dum eum *Chus* nominat, alludere vult ad *Kis* patrem Saulis: quod indicat paraphraſis Chald. quæ pro *Chus filij Iemini*, habet *Saulis filij Kis, qui de tribu Benjamin.* Nec refert quòd vnum per caph, alterum per Koph ſcribatur. Iam argumentum accipe. *Dauid grauiter percu[l]ſſus Saulis minis & contumeliis (quod dico propter hoc tituli* ſuper verbis) *Deum obnixè rogat, vt ſe tueatur, ſuam innocentiam ipſi commendans: orat in deſtinatum regnum aſſeri, non vt otio & voluptatibus indulgeat, ſed vt Eccleſia motibus diſſipata colligatur, cultúſque diuinus reſtituatur. Tandem ſua innocentia fretus, & fiducia, quam in Dei iuſtitiâ habet, certò prædicit ſuo ipſius gladio Saulem periturum: id quod euentus poſtea comprobauit, vt poſtea dicetur.*

Argumentũ.

2 *Domine Deus meus* &c. Propoſitio. In te ſperaui, non in humana ope: propterea ſalua me ab omnibus, qui à Saule ſtant. Quod ait, *omnibus*, valet ad amplificandum, quaſi diceret, Multos habeo hoſtes, à quibus omnibus, niſi tu opem feras, non poſſum ſeruari. Nam vt fortè vnius aut alterius inſidias ipſe vitare poſſim, non tamen omnium, niſi tu ſuccurras.

3 *Nequando rapiat* Saul. *Vt leo.* Sacræ litteræ regem commotum cum leone ſolent conferre, exempli gratia. Ierem. 4. 7. *Aſcendit leo* (Nabuchodonoſor ſcilicet) *de cubili ſuo.* Prou. 19. 12. *Sicut fremitus (rugitus) leonis, ita & regis ira.* Huc pertinet illa cuiuſdam Rabbini ſententia, *Si ingrediaris in vmbram regis, & appropinques, ſcito quòd iuxta leonem ſtabis, & appropinquabis.* Haud abs re igitur fecit Dauid, vt Saulem leoni prædam

Hai in Eruditione Intellectus:

A agenti compararet.

4 *Si feci iſtud*, quod à Saule & aliis vulgò obiici mihi audio. Loquitur de re nota, & quæ in ore eſſet omni populo: ex. gratia, quòd vitæ, aut regno Saulis inſidias ſtruxiſſet, publicam pacem turbaſſet, aut aliud ſimile deſignaſſet. Vel iuxta Raſi, & alios, *ſi feci iſtud*, quod ſcilicet poſtea exponit, nimirum *ſi eſt iniquitas in manibus meis*, & quod ſequitur. *Si eſt iniquitas* &c. hoc eſt, ſi quidquam peccaui in Saulem, aut quemuis alium.

5 *Si reddidi retribuenti mihi* &c. hoc eſt, Si
B retribui ei iuxta retributionem eius. Sic Raſi. Ezra quoque שלמי *ſcholemi*, quanquam coniugationis Kal, accipit in ſignificatione *retribuendi*, quam tamen, inquit, aliàs nunquam habet in Kal, ſed in Piel. Kimhi accipit in ſignificatione *pacem colendi.* Vertendum igitur ad huius mentem, *Si reddidi pacificè degenti mecum malum*: &c. Hæc autem erit ſententia: Tantùm abeſt vt Saulem, dum mecum pacificè degit, méque amanter tractauit, quicquam læſerim, vt illi, etiam cùm nullâ à me laceſſitus iniuriâ meæ
C vitæ vndique inſidiaretur, pepercerim, ſēper eius ſalutem meæ præponens. Quoties enim eius opprimendi facultate mihi oblatâ non ſum vſus: imò Abiſæum, & alios ad eius cædem non ſemel accenſos, etiam variis iniuriis prouocatus cohibui? Vide 1. Sam. 24. & 26. Illud *ſine cauſâ* Kimhi refert ad verbum *eripui*: quaſi diceret, nullo ab illo affectus beneficio. Ezra ad hoſtem refert, qui Dauidem ſcilicet immeritum perſequeretur.

6 *Perſequatur inimicus animam meam*, &c.
D quaſi dicat, Si non eſt ita, vt dico, *perſequatur inimicus* &c. *Perſequatur.* In Fonte ירדף *ijraddoph*, (in minùs correctis exēplaribus legitur ־ ſub ר) quod verbum Kimhi obſeruat formæ eſſe compoſitæ ex Kal ſimpliciter actiuo, & Piel bis actiuo, quaſi vellet dicere, Perſequatur per ſeipſũ Saul, & per alios. Obſeruat idem Kimhi, dicere *animam meam*, quòd ſciret ſe ad necem quæri, nec tantùm, vt in vincula coniiceretur. *Gloriam meam*, hoc eſt, iuxta Ezram, Kimhi, & alios, animam meam.
E Illud autem, *in puluerem deducat*, docent metaphoricè dictum, ſiquidem anima propriè dici non poteſt deſcendere in puluerem; ac ſimile proferunt ex pſ. 119. 25. *adhæſit pulueri anima mea.* Ezra alios duos Scripturæ locos profert, vbi vocabulum, *gloria*, pro *anima* vſurpetur: vnum ſcilicet ex Gen. 49. v. 6. *In concilium eorum non veniat anima mea*: cui reſpondet, inquit, ac ſimile eſt, quod ſtatim ſequitur, *in cœtu illorum non vniatur gloria mea.* Alterũ ex pſ.

16.9. *Lætatum eſt cor meum, & exultauit glo-* A
ria mea, quod ſtatim ſequitur hoc, *etiam caro mea* (hoc eſt, corpus) *requieſcet in ſpe.* Non longè abſum ab hac ſententia. Fortaſſe tamen ſimplicius erit *gloriam* accipere, vt ſonat, atque interpretari, *gloriam meam in puluerem deducat*, hoc eſt, perdat, & ſepeliat mecum nominis mei memoriam.

7 *Exurge Domine* &c. Hoc vult, Quando nullius criminis aut ſceleris reus ſum, ac Saul leonis rugientis inſtar me quaſi prædam inſectatur, cùm interim nemo ſit præter te, qui me poſſit ſeruare, B
exurge Domine in ira tua. Meir Arama *in irà tuà* interpretatur in Angelo diſperdente, qui appellatur *Ira*: quaſi diceret, Mitte Angelum vaſtatorem. *Exalta te contra (in) furores inimicorum meorum.* Senſus, oſtende atque exere tuam potentiam in coercendo ac reprimendo hoſtium meorum furore. *Et expergiſcere ad me*, id eſt, citò accurre ad me, nec differ vltrà auxilium. Quod ait, *Exurge, exalta te, expergiſcere*, ἀνθρωποπαθῶς eſt intelligendum. C
Dormire, iacere, ac ſedere otioſus Deus carni videtur, quum differt opem, nec ſtatim in impios animaduertit: cùm tamen nunquam dormiat qui cuſtodit Iſraël, vt dicitur pſ. 121. 4. ſurgere contrà, exaltare ſe, & expergiſci, quum ſuis fert opem, & ſceleratorum vim atque impetum reprimit. *Ad me.* In Vulg. *Deus meus.* In Hebræo eſt אֵלַי *elai*, id eſt, *ad me*, pro quo Græcus, quem Latinus ſequitur, legit אֵלִי, *eli*, id eſt, *Deus meus*, ſine iactura ſenſus, vt vides. *Qui iudicium man-* D
daſti ſup. mihi, Senſus eſt, mea quidem opinione, tu qui iudicandi munus, hoc eſt, ius regium, mihi per Samuelem, reiecto Saule, demandaſti: quaſi hoc velit, accurre ad me, facque tandem potiar eo iure, quod mihi contuliſti, méque eripe his malis. Regium munus eſt iudicare. Probat illud 1. Sam. 8. 5. *conſtitue nobis regem, vt iudicet nos.* Kimhi ſic interpretatur, *expergiſcere ad me (in) iudicio, (quod) mandaſti* ſuper me, id eſt, iudicio regni. Raſi aliam affert expoſitionem ex Midras: Expergiſcere ad me, vt poſſim in illos iu- E
dicium vltionis exercere, quod tu mandaſti, his verbis, *Conteres eas* (Gentes) *in virga ferrea*: Pſal. 2. 9.

8 *Et ſynagoga (ſeu congregatio) populorum* &c. Senſus, Tunc operam dabo, vt omnis populus in tuum cultum coaleſcat, & ad te vndique confluat. *Populorum* voce intelligit duodecim Tribus. *Et propter hanc* ſup. ſynagogam ſeu congregationem populorum. Senſus eſt, ſi non propter me, certè propter eccleſiam. *In altum regredere.* Metaphorica locutio eſt: nam cùm Deus, inquit Kimhi, diſſimulat peccata, videtur deſcendere è loco ſuæ potentiæ, & ſede iudicij: at quum idem animaduertit in ſcelera, & pœnas improbis debitas iudicio exigit, videtur ſurgere, eleuare ſe, & redire in locum iudicij: quo ſenſu, vbi agitur de Pharaone ſubmerſo, dicitur, *Cantate Domino, quoniam extollendo ſe extulit ſe: equum & aſcenſorem eius deiecit in mare:* Exod. 15. 1. Vno verbo *in altum regredere*, nihil aliud eſt quàm ſublime iuſtitiæ tuæ ſolium conſcende, & animaduerte in meos hoſtes.

9 *Dominus iudicat populos*, hoc eſt, habet poteſtatẽ in omnes, ac de omnibus iudicandi; eiúſque iudicio nemo eſt, qui non debeat ſe ſiſtere: itaque *iudica me, Domine*, &c. & vlciſcere de hoſtibus. Nihil te moueat hoc loco ſubita perſonæ mutatio: eſt enim frequens admodum in lingua hebraica. *Secundum iuſtitiam meam*, qui nulla in re illos læſi. Neque verò hoc de iuſtitia perſonæ, ſed cauſſæ intelligendum: alibi enim dicit, *non intres in iudicium cum ſeruo tuo*, pſal. 143. 2. *Super me*, hoc eſt, quæ in me eſt. Non abundat hoc, ſed habet emphaſim.

10 *Conſumatur nunc*, vel, *quæſo, nequitia peccatorum*, ſeu *improborum*. Senſus, Deſinat tandem ac finem capiat hoſtium malitia. Alij vertunt, *Conſumat nunc* (vel *quæſo*) *malum impios*: malum ſcilicet quod ipſi moliuntur. Sed Chaldæus accepit paſſiuè, & interpretatus eſt, *Conſumatur nunc malitia improborum.* Sic & alij Hebræorum. Et certè verbum hebræum גָּמַר *gamar*, poteſt eſſe neutrum, & actiuum. *Iuſtum.* Se ac ſuos intelligit, contrario ſenſu, atque hoſtes peccatores appellauit. Latinus habet, *Conſumetur* &c. necnon *diriges* &c. per futurum, quaſi ſit vaticinium de impiorum exitio. Sed melius eſt propter antecedentia verba imp. modi, hæc accipi quoque in imper. vt ſit imprecatio, quæ tamen vim habeat vaticinij, vt & aliæ in pſalmis. Græcus habet Συντελεσθήτω, necnon κατευθυνεῖ.

11 *Clypeus meus ſuper Deum*, hoc eſt, in Deo. Epiphonema eſt, quo fretus ſuâ innocentiâ concludit ſe Deum habiturum defenſorem. Latinus poſtremam ſuperioris verſus vocem huius initio attexuit, ſenſúmque magis quàm verba ſequutus vertit, *Iuſtum adiutorium meum à Domino.* In quibuſdam etiam Græcis codicibus legitur, Δικαία ἡ βοήθειά μου. In quibuſdam dico. Nam in melioris notæ codicibus δικαίως aduerbium claudit mox præcedentem verſum. D. Auguſt. qui legit *Iuſtum auxilium*, du-

Digitized by Google

plex ſtatuit auxilium, miſericors vnum, quod peccatori, qui nullum habet meritum, ſed adhuc iuſtificari deſiderat, credens in eum qui iuſtificat impium; iuſtum alterum, quod iam iuſto tribuitur.

12 *Deus iudex iuſtus*: &c. Altera pars pſalmi, in quâ iam Dei iuſtitiam contemplans, certò prædicit Saulis exitium. *Iudex iuſtus* aduersùs improbos. Aliis *iudicat iuſtum*, id eſt, cum vlciſcitur de improbis. Sed Ezræ *iuſtus* eſt adiectiuum *iudicis*. Deinde Chaldæus, Græcus & Lat. habent, *Deus iudex iuſtus. Fortis* (in Fonte אֵל *el*, quod Deum vt fortem ſignificat) *iraſcitur per ſingulos dies*, ad verb. *in omni die*. Iraſcitur, ſceleratis ſcilicet, & quidem quotidie: nam etiam dum ijs indulget, iraſcitur, contrario ſenſu atque quos diligit, caſtigare dicitur, Prou.3.12. Vtinam ſcelerati homines ad hoc animum aduertant, nec Dei indulgentiam malè interpretentur, ſed eâ potiùs ad pœnitentiam prouocentur.

13 *Niſi conuerſus fuerit* Saul, pro, Quia non conuertetur, vt annotat Kimhi. In Vulg. *conuerſi fueritis*, fortè quòd olim eſſet *conuerſus fuerit is*. In Græco tamen Ἐὰν μὴ ἐπιστραφῆτε. *Gladium ſuum acuet* Deus, hoc eſt, *acuet diram iram in* gladium & *lanceam*, ſicuti legitur Sap.5. *Arcum ſuum tetendit*, &c. quaſi diceret, quid dico, gladium ſuum exacuet, imò *arcum ſuum* iam *tetendit*, &c. Vt vates loquitur, & rem futuram verbo præteriti temporis ſignificat: nec falſus vates fuit: nam legimus 1.Sam.31.3. & 1. Paralip.10.3. Saulem & ſagittis hoſtium fuiſſe vulneratũ, & ſuo ſe gladio traieciſſe. Quoniam autem hanc illi pœnam Deus irrogauit, idcirco hic dicitur, eum gladio & ſagittis Domini interfectum iri. Nota obiter in Editione vulgata, locis citatis, dici quidem Saulem ſagittis fuiſſe vulneratum: at in Hebræo rem eſſe ambiguam: nam vbi in Editione vulgata, *& vulneratus eſt*, in Hebræo, legitur וַיָּחֶל *vaiiachel*, quod Chald. Kimhi, & alij interpretantur, *& timuit*: ac negat Kimhi tum fuiſſe percuſſum. Ioſephus tamen Antiqui. Iudaic. lib.7.cap.15. teſtis eſt vulneribus fuiſſe grauatum Saulem, antequam in gladium incumberet. Et ſanè nil repugnat verbum hebraicum reddi *& vulneratus fuit*, præſertim ſi à radice חָלַל *chalal*, deriuetur, aut ſaltem ſignificationem ab illa accipiat, vtpote vicinâ radice.

14 *In eum*. Ad ver. *illi*, quod ad arcum referri poteſt; ſicque commodè redditum eſt à Græco & Latino *in eo*: vel ad Saulem; ac tunc debebit reddi *in eum*, quod eſt melius propter ſequens membrum, quod eſt ſimile. *Vaſa mortis*, hoc eſt, inſtrumenta mortifera. *Vaſa* pro inſtrumentis more hebræo. *In ardentes*, hoc eſt, contra ardentes odio mei. Alij vertunt *in perſequentes* ſup. me. Verbum enim hebraicum דָּלַק *dalak*, & *ardere*, & *perſequi* ſeu *inſectari* ſignificat, ardenti ſcilicet & infeſto animo. Ergo, quoquo modo vertas, eódem redit ſententia.

15 *Ecce parturijt iniuſtitiam*, &c. Senſus, Ecce Saul multa aduersùm me meditatus eſt mala, (hoc ſignificat *concepit dolorem*, ſeu *laborem*) ac ſedulò etiam dedit operam, magnóque molimine & cruciatu anniſus eſt, vt perficeret, (hoc ſignificat *parturijt iniuſtitiam*) ſed hactenus inanes fuerunt atque irriti omnes illius labores & conſilia, hoc denique ſignificat *& peperit mendacium*. In hoc verſu elegans eſt allegoria in verbis *parturiendi*, *concipiendi*, & *pariendi*. Præterea videtur eſſe hyſteron proteron, dum parturitio conceptui præponitur: niſi fortè ad iſtum modum placet reſoluere, Ecce parturiit iniuſtitiam, qui concepit dolorem. Aduerbio *ecce* rem demonſtrat ac veluti oculis ſubiicit, quippe quæ recens eſſet, & fieri ſolita.

16 *Ciſternam fodit*, &c. Prouerbialis loquendi modus, quo ſignificare vult Dauid in ea mala incidiſſe Saulem, quæ ſibi parauerat. Explicat ſcilicet ampliùs poſtremam ſuperioris verſus partem, *& peperit mendacium*: ac videtur velle notare duas occaſiones præſertim: vnam, quum Saul in deſerto Engaddi ſpeluncam, in qua eſſet ipſe Dauid, reficiendi corporis gratia neſcius adiit, ac veluti ſponte ſe in poteſtatem Dauidis coniecit: alteram, quum Saulem in vallo dormiẽtem nactus eſt Dauid. Prouerbialem fuiſſe apud Hebræos loquendi formam, qui fodiſſet foueam, caſurum in eam, quum ſignificare vellent quâ viâ alterum quis captat, eâdem ipſum capi, probat illud Prouerb.26.27. *Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum*: necnon illud Eccleſiaſtis 10.8. *Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber.*

17 *Conuertetur dolor* ſeu potiùs *labor eius*, actiuè, hoc eſt, labor, quem is mihi faceſſit, &c. Experientiâ confirmatus ſperare ſe ait, imò certò prædicit tot mala, quæ aduersùm ſe molitur Saul, in ipſius caput caſura ac reditura. Nec falſus vates fuit: Saul quippe ſuo ipſius gladio perijt, vt conſtat ex 1. Sam.31.4.

18 *Confitebor*, ſup. tunc, *ſecundum iuſtitiam eius*, qua erga me vſus fuerit.

PSALMVS VIII.

VERSIO

NOVA.

PRÆCENTORI ſuper Hag-
gittith, Pſalmus Dauid.
2 Domine, Domine no-
ſter, quàm [a] admirabile eſt nomen
tuum in vniuersâ terrâ! [b] quoniam
eleuata eſt magnificentia tua ſuper
cœlos.
3 Ex ore infantium, & lactentium
fundaſti fortitudinem, propter ho-
ſtes tuos: vt deſtruas inimicum, & vl-
torem.
4 [c] Quoniam video cœlos tuos, ope-
ra digitorum tuorum: lunam & ſtel-
las, quas tu [d] aptaſti:
5 Quid eſt homo, quòd memor es
eius? & filius hominis, quòd viſitas
eum?
6 Minuiſti eum paulominùs ab An-
gelis: gloria & honore coronaſti
eum.
7 Conſtituiſti eum dominatorem
ſuper opera manuum tuarum: omnia
ſubiecisti ſub pedibus eius.
8 Oues & boues vniuerſas, [e] inſu-
per & pecora campi.
9 Volucres cœli, & piſces maris:
[f] qui perambulant ſemitas [g] maris.
10 Domine, Domine noſter, quàm
[h] admirabile eſt nomen tuum in vni-
uerſa terra!

a heb. *grande*
b heb. *quoniam* (vel *qui*) *ponis magnificentiã tuam*
c vel *Quum*
d vel *firmaſti:*
e *&* *etiam*
f *qua* &c. ad verb. *tranſiens* &c.
g heb. *marium.*
h heb. *grande*

VETVS.

*IN finem pro torcularibus,
Pſalmus Dauid.*
2 *Domine Dominus noſter,
quàm admirabile eſt nomen tuum in vni-
uerſa terra!*
3 *Quoniam eleuata eſt magnificentia
tua ſuper cælos.*
4 *Ex ore infantium & lactentium
perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt
deſtruas inimicum & vltorem.*
5 *Quoniam videbo cælos tuos, opera
digitorum tuorum: lunam & ſtellas, quæ
tu fundaſti.*
6 *Quid eſt homo, quòd memor es eius?
aut filius hominis, quoniam viſitas
eum?*
7 *Minuiſti eum paulominùs ab ange-
lis; gloria & honore coronaſti eum: &
conſtituiſti eum ſuper opera manuum
tuarum.*
8 *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius,
oues & boues vniuerſas, inſuper & pe-
cora campi;*
9 *Volucres cæli, & piſces maris, qui
perambulant ſemitas maris.*
10 *Domine Dominus noſter, quàm ad-
mirabile eſt nomen tuum in vniuerſa
terra!*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *IN hoc pſalmo Dauid in admirationem rapitur illius excellentis Dei gloriæ ac magnificentiæ, quà in terris, quà in cælis mirabiliter elucet: ſed Dei potiſſimùm φιλανθρωπία cahit, quà vilem hominem, præſertim ſi cum cælis conferatur, ad tantum honoris & dignitatis gradum euexit, vt Angelis ipſis pene æquauerit, & vniuerſa, quæ in terris exiſtunt, eius imperio ſubiecerit. Cæterùm, vt ita ſit, Chriſtiano homini dubium eſſe non debet, quin*

Digitized by Google

hic pſalmus ſit quoque propheticus de Chriſto, niſi velit mendacij arguere D. Paulum ad Heb. 2. qui hunc ferè totum de Chriſto interpretatur. Sed hoc argumentum nos minimè perſequemur, quod à Patribus fusè & copiosè ſatis eſt pertractatum, nec noſtrâ operâ indiget.

1 *Super Haggittith.* Non deſunt ex Hebræis qui גִּתִּית *gittith*, interpretentur *torcular*, quemadmodum Græcus, & Lat. Sed qui ſtrictiùs litteram perſequuntur, cenſent vel eſſe inſtrumentum muſicum è Geth aduectum, & in Geth inuentum, ac fabricari ſolitum: vel familiæ Obed-Edom Gethæi peculiare. Alij putant ſic vocari ſymphoniam, aut etiam muſicum inſtrumentum, cuius vſus eſſet tempore vindemiæ in prælis, & torcularibus. Alij *haggittith*, volunt fuiſſe initium vulgatæ cantilenæ, ad cuius modulos hic pſalmus eſſet decantandus. Alij Dauidem fuiſſe in Geth, tunc cùm hoc carmen conſcripſit. Alij denique aliter ſentiunt: incerti omnes, vt in re obſcura, & quæ ad muſicam videatur pertinere, quæ iamdiu cum politia Hebrææ gentis penitus intercidit. Sed parum eſt damni in huius vocis ignoratione, cùm illa, vt & aliæ ſimiles, quæ paſſim tibi occurrent in pſalmis, ad argumentum, & materiam carminis nihil prorſus pertineant.

2 *Quoniam eleuata eſt* &c. Heb. ad verbum, *Quoniam* (vel *qui*) *ponere* (pro *poſuit*) *magnificentiam* (ſeu *gloriam*) *tuam* &c. Senſus eſt, quàm illuſtre eſt nomen tuum in terrâ: quoniam vel ſupra ipſos cœlos longè eminet tua gloria ac magnificentia, vt illam aſſequi nemo poſſit. Quem ſenſum optimè expreſſere Græc. & Lat.

3 *Ex ore infantium & lactentium fundaſti fortitudinem* tuam ſup. hoc eſt, potentiam. Senſus eſt, Iam ab ipsâ infantis lactatione admirabilis tua elucet potentia. Idcirco hìc dicitur *fundaſti*, quia vt fundamentum initium eſt ædificij, ſic ipſa lactatio initium eſt cognoſcendæ Dei potentiæ, eiuſdémque miſericordiæ erga hominem iam in lucem editum: hoc enim tantùm accipiendum de homine in lucem edito: alioquin iam inde ab vtero matris admiranda ſunt prorſus Dei opera in homine efformando: ſed hæc alio pſalmo, nimirum 139. perſequitur Dauid, nec tam facilè in oculos hominum incurrunt, vt ipſa infantis lactatio, quæ omnibus palàm eſt, habétque hoc admirandæ Dei potentiæ ac miſericordiæ erga hominem argumentum, quòd matris mammæ aliter commodè fieri non potuerint: nam ſi mammæ foramen pateret latiùs, lac ipſum in os nimiùm magnâ copiâ erumpens, ſpiritus infantuli præfocaret: ſi tenuius, difficilis nimiùm exuctio eiuſdem labra læderet. Nihil obſtat,

A quòd id quoque in cæteris animantibus & brutis cernere eſt, hócque beneficium illis cum homine eſt commune: illud enim ſolus homo cognoſcit, ideóque de homine peculiariter dicitur. Præterea omnia animantia ſunt propter hominem, atque idcirco quæcunque beneficia in animantium genus Deus confert, in homines cenſetur conferre. Sed hoc etiam in hominis lactatione peculiare eſſe obſeruat Kimhi ex antiquioribus Rabbinis, quòd Deus matri mammas indidit *in loco intelligentiæ*, hoc
B eſt, circa ipſum cor, quod vulgò creditur eſſe animi atque intelligentiæ ſedes. Dicit igitur *Ex ore infantium & lactentium fundaſti fortitudinem*, ſeu *potentiam*: ſiquidem ex infantis lactatione ſciri poteſt nihil fieri temere, aut cæco naturæ impetu, vt falsò ſibi perſuadent Athei: quò pertinet quod ſubiungit mox, *propter hoſtes tuos*: &c. hoc eſt, vt conuinceres Atheos. Atheos vocat *hoſtes Dei*, vt qui Deum negantes Deo bellum inferre videantur, eúmque è cœlo velle deturbare. Sic ferè Kimhi enarrat hunc
C verſum. Rabbi Moſes Sacerdos, quem vocant, breuiter & bene, meo iudicio: *Ex ore infantium*, &c. qui etſi nondum loqui aut fari poſſunt, ipſi nihilominus multa ac magna tua beneficia prædicant: quippe quos foues, nutris, atque vt creſcant facis. Intelligit ſcilicet per *fortitudinem*, Dei potentiam, quæ ex eius beneficiis, & miſericordia erga infantes hominibus innoteſcit. Ezra affert aliam expoſitionem, quam magis probat: Propterea quòd homo præſtantior eſt omnibus inferioribus creaturis,
D dicit hunc in modum, quòd ab eo tempore, quo incipit paruulus loqui, ac fari, hoc ſignificat τὸ *ex ore infantium, & lactentium*, iam tunc incipit recipere virtutem animæ ſapientis, dum tandem aſſequatur iudicio rationis potentiam ſui creatoris: vis enim animæ in dies creſcit, hócque ſignificat τὸ *fundaſti fortitudinem*. *Inimicum & vltorem* eum interpretatur, qui odio proſequitur, & perſequitur verbo aut re eos, qui in Deum credunt. Arias Montanus ſic habet
E ad hunc verſum: Ait vates diuinæ laudis magnitudinem & firmitatem etiam in *ore infantium & lactentium* conſideratam reperiri; nec eam verò leuiter aut labiorum tenus, ſed vlteriùs etiam in ſenſu fundatam, vel nutu, & balbutienti ſono vocis aſtruentium Deum mundi Dominum & gubernatorem. Et quidem quæcumque ab

Digitized by Google

infantibus communiter & paſſim aguntur, ea ex natura eſſe, nemo naturæ compos inficietur: quæ verò ex natura proficiſcuntur, non ficta, aut noua, vel compoſita, ſed vera ſunt, & fundamentum firmum in re ac veritate probant. Nullus verò illius primæ ætatis puerulus eſt, quin vel ludens, vel cum æqualibus agens, etiam antequam voces reddere omnes didicerit, ſæpe de numine cœleſti loquatur, vel ſignificet; præcipuè dum cœlos intuetur, aut ea, quæ in ſublimi fiunt, ſentit, vt fulgura, tonitrua, niues, & imbres. Atque hoc etiam cum admiratione adnotauimus, in infantium, qui nondum nutricum voces imitari ſciunt, quacunque in gente natorum ore ſua ſponte vocem illam *Iah* ſonare, & audiri frequentiſſimè. Animaduerte, Lector, & aſſentiere: namque & tu infans idem pronunciaſti & garriſti. Et paucis interiectis concludit, ita fit, vt nominis ſui admirabilis initia & fundamenta prima, vel ab ipſo infantium, & lactentium ore firmiter iacta Deus vendicet. Hactenus ille, qui, vt vides, lectionem hebraicam præſertim ſequutus eſt, (etſi eódem redit verſio Græca & Latina) nec multùm diſtat ab interpretatione Rabbinorum. Mirum quod ait, *Iah* ſonare frequentiſſimè in ore infantium. Noſtri vulgò alium ſenſum adferunt horum verſuum, illúmque propheticum, hoc modo, O quàm illuſtre nomen tuum apud mortales! Tu ſiquidem, cuius Maieſtas in cœlis reſidet, imò ſupra cœlos longè eminet, nihilominùs tantùm te abieciſti, vt per Apoſtolos, homines rudes & indoctos, & ſimplicibus pueris ſimiles, fundare volueris Eccleſiam, aut Legem in omnem æternitatem. Certè Raſi per *infantes* & *lactentes* intelligit Leuitas, & Sacerdotes, atque, quod hîc dicitur, interpretatur de diuina Maieſtate, quæ cùm in cœlo reſidere debuiſſet, tamen ſe ita deiecit, vt in Sanctuario voluerit habitare, *& ex ore infantium, & lactentium fundauerit fortitudinem*, hoc eſt, inſtituerit ſuam fortitudinem ac potentiam celebrari per Leuitas, & Sacerdotes. Nihil moror cur Leuitas & Sacerdotes *infantes* & *lactentes* velit appellari. Ex Hebræorum quorundam ſententia potes etiam interpretari, *fundaſti fortitudinem* Legis per *infantes*, & *lactentes*, hoc eſt, ſcholæ alumnos, & diſcipulos ſapientum: ſic doctores ipſos ac ſapientes Hebræi vocant. Hæc quàm ſimilia, ac conſentanea ſint noſtrorum interpretationi, quam poſtremo loco attulimus, quámque illam iuuent, facilè omnes intelligunt. Græcus & Lat. pro eo quod in Hebræo *fundaſti fortitudinem*, legunt *perfeciſti laudem* ſuppletuam: quod quidem à ſenſu Hebræo-

A rum, ac præſertim Raſi, non diſtat. Certè Chriſtus ipſe Matthæi 21. hunc locum citat in eadem verba, quæ hodie ſunt in Græca & Lat. verſione Pſalmorum. Vide Matt. 21. in Græco & Syro exemplari. Aquila vertit, ἐθεμελίωσας κράτος, iuxta Hebraicam lectionem hodiernam. Idem porrò ſenſus eſt in vtraque lectione. *Propter inimicos tuos*: &c. Noſtri vulgò diabolos hîc intelligunt.

4 *Quoniam* (ſeu potiùs *Quum*) *video* &c. Senſus eſt, Cùm ego contemplor cœleſtia ac ſublimia illa corpora, atque è regione vi-
B litatem hominis conſidero, totus admirabundus atque obſtupeſcens exclamo, *Quid eſt homo, quòd* &c. Non eſt prætereundum, quod obſeruat Ezra ad hunc verſum, decem eſſe cœlos, (quorum vltimum vocat Solium gloriæ, nos Empyreum nominamus) atque idcirco dici de illis hoc loco, quòd ſint *opera digitorum*, qui decem ſunt. Quærat aliquis cur nulla hîc fiat Solis mentio. Sunt ex Hebræis qui reſpondeant, nec coniectura omnino diſplicet, carmen hoc noctu, quod tempus meditationi commodum imprimis, à Dauide compoſitum,
C cùm in lunam & ſtellas intueretur, nec Solem cerneret. Alij frigent.

5 *Quid eſt homo*, &c. Hebraicè eſt אנוש *enoſch*, quæ vox hominem, vt infirmum & fragilem, ſignificat: ideóque huic loco apta eſt, in quo de homine cum cœlis comparato, & quem Deus ſua cura dignetur, ſermo eſt: ſed multò aptior, ſi, vt putat Euſebius, & nititur hoc verſu, eſſet à verbo נשה id eſt, *obliuiſci*, hominémque ſignificaret quaſi *obliuioſum*, vt eſſet ſenſus, Quid eſt homo, qui te, tuáque beneficia obliuiſci-
D tur, vt eius ſis memor? Verùm non eſt hoc legitimum Etymon, ſed alluſio tantùm.

Et filius hominis &c. *Filius* אדם *adham*, id eſt, *hominis*, hominem, vt terrenum, hoc eſt, ex argilla & luto factum, ideóque vilem, & abiectum, ſignificat: אדם *adham*, enim, vt omnibus notum, eſt ab אדמה *adhama*, hoc eſt, terra. Sic ſeſe Chriſtus *filium hominis* vocabat, vt non modò hominem ſe probaret, ſed hominem infimæ conditionis, ac vermem po-
E tiùs quàm hominem, opprobrium hominum, & abiectionem (deſpectum) plebis; quo modo ipſe ſe pſal. 22. 7. modeſtiæ ergò nominat. Contrà *filius viri* eximium aliquem hominem ſignificat, vt dictum eſt ad verſ. 5. pſalm. 4. Quid? ſi hîc accipias *Adam* pro nomine proprio, non appellatiuo, & vertas, *filius Adam*, hoc eſt, homo Adamo ſimilis, & ſicut ille diuinorum mandatorum, ac beneficiorum immemor, ergáque Deum ingratus. Hoc, ſcio, erit al-

Digitized by Google

legoricum, ſed non omnino alienum tamen. Ac ſic Raſi Geneſ. 11. 5. vbi legitur, *Deſcendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrem, quam ædificabant filij Adam*, explicat *filios Adam*, filios primi hominis, qui, vt ille beneficij diuini immemor dixit, Geneſ. 3. 12. *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, ipſa* (emphaticè) *dedit mihi de arbore, & comedi:* (reiiciens ſcilicet culpam in vxorem, quam vitæ ſociam à Deo acceperat, ac ſic quodammodò in Deum) ſic ipſi ingratè agentes aduersùs eum rebellarunt, à quo tot beneficia acceperant, & qui ipſos ſaluos & incolumes à diluuio præſtiterat. Vtantur his allegoricis explicationibus, qui volent. Mihi ſanè non omnino diſplicent. *Quòd viſitas eum*, hoc eſt, rationem eius habes, & curam geris, ſubminiſtrando illi tuâ prouidentiâ omnia neceſſaria: illius, inquam, curam geris, qui tam vilis & abiectus eſt: vel iuxta vltimam expoſitionem, qui tui & beneficiorum à te acceptorum prorſus eſt immemor. Nota phraſim hebraicam: *viſitare aliquem*, in bonum ſcilicet, hoc eſt, de aliquo bene mereri: at *viſitare contra* vel *ſuper aliquem* in malam partem dicitur, & ſignificat animaduertere in aliquem. Vltimi habes illuſtre exemplum Eſ. 13. 11. *Et viſitabo ſuper* (*contra*) *orbem, malum*, (in Vulg. *ſuper orbis mala*,) *& contra impios iniquitatem eorum.* Sic cum nudo etiam accuſatiuo conſtruitur verbum *viſitandi*, Ier. 6. 15. *in tempore, quo viſitabo eos, corruent, dicit Dominus.* D. Paulus ad Hebræos 2. hunc verſum de Chriſto exponit.

6 *Ab Angelis.* Non ſunt audiendi, qui ex Hebræo vertunt *à Deo*, etſi vox Hebræa אלהים *Elohim*, eſt ambigua, & vtrumque ſignificare poteſt: nam præterquàm quòd D. Paulus ad Hebræos 2. vocem illam pro *Angelis* accipit, ſic etiam Chald. Raſi, Ezra, Kimhi, & alij interpretantur. Et quidem hunc ſenſum adfert Kimhi: *Minuiſti eum paulominus ab Angelis*, quandoquidem anima hominis, etſi Angelis eſt ſimilis, quia non eſt corporea, hoc tamen eſt infra naturam Angelicam, quòd ſit in corpore. Magna laus artificis in vili materia egregium opus deſcribere. Magna igitur laus Dei Opt. Max. ex luto & argilla hominem Angelis, hoc eſt, puris mentibus pene parem extruxiſſe. *Gloriâ & honore coronaſti eum*, hoc eſt, iuxta Kimhi, animâ ſuperioris ordinis, per quam *dominari feciſti eum ſuper opera manuum tuarum*, hoc eſt, in hæc inferiora: aut ſuperiora etiam, vi intellectus, per quam Sphærarum, & ſtellarum motum cōprehendit. Sed hoc, & quod ſequitur, præſertim de Chriſto explicandum, teſte Apoſtolo ad Heb. 2. Chriſto, inquam, cui, quicquid de hominis dignitate dicitur, vti capiti, inſtauratorique noſtro imprimis competit: & qui ſolus hominum in omnia creata abſolutum obtinet imperium, omnéſque homines ſuæ tandem Eccleſiæ ſubiecturus eſt: *in cuius manu Pater dedit omnia*, Ioh. 3. *Qui imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna*, ita vt *homines mirarentur, dicentes, Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Matt. 8.

7 *Omnia ſubieciſti* &c. Hoc tantùm accipiendum de his inferioribus, iuxta illud Geneſeos 9. 2. *Et terror veſter ac tremor veſter ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli*, &c.

8 *Oues & boues.* Ouium & boum meminit, quòd homini ad victum & veſtitum neceſſaria ſint magis, quàm equi, aut aſini. *Pecora campi.* Feras ac ſylueſtres beſtias intelligit, in quas etiam homo, ſi non vi, certè arte & conſilio imperium exercet.

9 *Volucres cœli*, &c. Etiam in ea, inquit, quæ non degunt in terris, homo arte, & ſolertia dominatur. *Qui*, vel, *quæ perambulant* &c. In Heb. *tranſiens ſemitas* &c. quod multi ex Hebræis putant piſces ſignificare, qui tranant maris ſemitas, ita vt *tranſiens* referri debeat ad verbum *ſubieciſti*, & vertere poſſis, ſi voles, *tranſeuntem*: quo modo accepit Latinus. In Græco eſt τὰ διαπορευόμενα: vnde corrigi poſſet in Vulgatâ, *quæ ambulant*, quamquam parum refert. Non diſplicet quod Ezra, & Kimhi exiſtimant, ſignificari hac poſtrema parte verſus, hominem ſuâ ſapientiâ ac induſtria naues aptare, quibus ipſa maria decurrat, & in alto etiam ipſos piſces venetur: atque hoc modo accipiendo vertendum erit, *tranſit ſemitas* &c. Chaldæus priore modo accepit, & *balenam quæ pertranſit ſemitas maris* interpretatus eſt.

10 *Domine, Domine noſter, quàm admirabile* &c. Poſtquam Dei ex vnius hominis conditione potentiam & magnificentiam celebrauit, nunc ex iis omnibus, quæ in terra conſpiciuntur, ſummatim celebrat, eandem, quam initio verſ. 2. repetens exclamationem.

Digitized by Google

PSALMVS IX.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI ſuper
morte Labben, Pſalmus
Dauid.
2 Confitebor [a] Domi-
ne in toto corde meo: narrabo om-
nia mirabilia tua.
3 Lætabor & exultabo in te: pſallam
nomini tuo Altiſſime.
4 Quòd conuerſi ſint inimici mei
retrorſum: corruerint, & perierint à
facie tua.
5 Quoniam feciſti iudicium meum,
& cauſam meam: ſediſti ſuper thro-
num, qui iudicas iuſtitiam.
6 [b] Increpaſti Gentes, & perdidiſti
impium: nomen eorum deleſti in ſe-
culum & æternum.
7 Inimici defecerunt vaſtitates in
æternũ; & ciuitates deſtruxiſti: periit
memoria eorum cum ipſis.
8 Et Dominus in æternum perma-
nebit: parauit ad iudicium thronum
ſuum.
9 Et ipſe iudicabit orbem terræ in
æquitate: iudicabit populos in [c] iu-
ſtitiâ.
10 Et erit Dominus [d] refugium pau-
peri: refugium [e] in opportunitatibus
in tribulatione.
11 Et ſperent in te qui nouerunt no-
men tuum: quoniam non dereliqui-
ſti quærentes te Domine.
12 Pſallite Domino [e] qui habitat
in Sion: annuntiate inter Gentes ope-
ra eius.
13 Quoniam requirens [f] ſangui-
nem, eorum recordatus eſt: non eſt
oblitus clamorem pauperum.

- a vel *Dominum*
- b *Subuertiſti*
- c heb. *rectitudinibus.*
- d ad verb. *propugnaculum, arx*
- e ad verb. *ad tempora in anguſtia.*
- e vel *habitatori Sion:*
- f heb. *ſanguines,*

VETUS.

IN finem pro occultis filij,
Pſalmus Dauid.
2 Confitebor tibi Domine in
toto corde meo: narrabo omnia mirabi-
lia tua.
3 Lætabor & exultabo in te: pſallam
nomini tuo Altiſſime.
4 In conuertendo inimicum meum re-
trorſum: infirmabuntur, & peribunt à
facie tua.
5 Quoniam feciſti iudicium meum &
cauſam meam: ſediſti ſuper thronum qui
iudicas iuſtitiam.
6 Increpaſti Gentes, & perijt impius:
nomen eorum deleſti in æternum, & in
ſæculum ſæculi.
7 Inimici defecerunt frameæ in finem:
& ciuitates eorum deſtruxiſti.
8 Perijt memoria eorum cum ſonitu: &
Dominus in æternum permanet.
9 Parauit in iudicio thronum ſuum: &
ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iu-
dicabit populos in iuſtitia.
10 Et factus eſt Dominus refugium
pauperi: adiutor in opportunitatibus, in
tribulatione.
11 Et ſperent in te qui nouerunt nomen
tuum: quoniam non dereliquiſti quæren-
tes te Domine.
12 Pſallite Domino, qui habitat in
Sion: annuntiate inter Gentes ſtudia
eius:
13 Quoniam requirens ſanguinem eo-
rum recordatus eſt: non eſt oblitus clamo-
rem pauperum.

14 *Miſerere*

Digitized by Google

14 *Miſerere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.*

15 *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

16 *Exultabo in ſalutari tuo: infixæ ſunt Gentes in interitu, quem fecerunt.*

17 *In laqueo iſto, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.*

18 *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.*

19 *Conuertantur peccatores in infernum, omnes Gentes quæ obliuiſcuntur Deum.*

20 *Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.*

21 *Exurge Domine, non confortetur homo: iudicentur Gentes in conſpectu tuo.*

22 *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos: vt ſciant Gentes quoniam homines ſunt.*

14 Miſerere mei Domine: vide afflictionem meam de inimicis meis, qui exaltas me de portis mortis.

15 Vt annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion: exultem in ſalute tua.

16 Demerſæ ſunt Gentes in foueam (quam) fecerunt: in reti iſto, (quod) abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.

17 Cognitus eſt Dominus; [g] iudicia fecit: in [h] operibus manuum ſuarum illaqueatus eſt peccator; meditatio. — g heb. iudicium; h heb. opere

18 [i] Conuertantur peccatores in [l] infernum: omnes Gentes quæ obliuiſcuntur Deum. — i Reuertantur; l ſepulchrum

19 Quoniam non in perpetuum obliuio erit pauperis: [m] patientia pauperum (non) peribit in æternum. — m expectatio

20 Exurge Domine, non roboretur homo: iudicentur Gentes in conſpectu tuo.

21 Pone, Domine, timorem [n] ſuper eos: ſciant Gentes, (quòd) homines [o] ſunt. — n heb. eis; o heb. ipſi

COMMENTARIVS.

A*Rgumentum videbis mox in fine explicationis tituli.*

1 *Super morte* &c. Hebræorum quidam ſunt qui עַל-מוּת לַבֵּן *al-muth Labben* interpretentur *ſuper morte filij*, ſcilicet Abſalomi. Sed hoc non probat Raſi: quòd non ſit ſcriptum הַבֵּן *habben*, ſed לַבֵּן *labben*, & nihil ſit in hoc pſalmo, quod pro iſta ſententia faciat. Alij לַבֵּן *labben*, putant eſſe נָבָל *Nabal* per tranſpoſitionem litterarum, húncque pſalmum conſcriptum eſſe à Dauide, poſtquam mortuus eſſet Nabal Carmelita. Verùm præterquam quòd eiuſmodi tranſpoſitio non eſt neceſſaria, in hoc pſalmo notatur quidam qui perniciem, & damna intulerit Iſraëlitis, cùm ipſe Nabal nemini Iſraëlitarum legatur nocuiſſe: ſed tantùm auaritiâ malè audierit. Alij exiſtimant לַבֵּן idem eſſe, ac ſi ſcriberetur cum Iod, atq; ea voce deſignari Goliath, qui dictus eſt *vir* הַבֵּנַיִם *habbenaiim*, id eſt, *medietatum*, 1. Sam. 17. 4. hoc eſt, ſequeſter & intermedius, interponens ſe inter duo caſtra, & duello pugnam tranſa- A cturus. Hi ergo volunt hoc carmen eſſe Ἐπινίκιον de interfecto Goliath. In hac ſententia ſunt Chaldæus, Kimhi, & alij. Conſtat ſanè ex contextu pſalmi celebrari inſignem aliquam victoriam. Ego ita de Goliath interpretabor, vt quiuis tamen facilè poſſit ad quamcumque aliam victoriam accommodare: fieri enim poteſt, vt Labben fuerit nomen Regis, aut principis cuiuſdam extranei, qui Dauidi & Iſraëlitis bellum intulerit. C Vtut ſe habet res, *Dauid in hoc carmine gratias agit Deo pro inſigni quapiam victoria, præcipuíque hoſtis ruina: tum iuſtitiam Dei, qui ſuos, quum opus eſt, defendit, pluribus celebrat, pios Dei cultores exhortans vt idcirco ſpem in eo collocent, eiúſque opera palàm prædicent: denique Deum precatur, vt quemadmodum nunc, ſic deinceps ſceleratos perpetuò compeſcat.* — Argumentũ

2 *Omnia mirabilia tua.* Dicit *omnia*, quòd, nouo beneficio accepto à Deo, teneatur homo præterita Dei beneficia cele-

brare: quo ſenſu ſcribitur Pſalmo 111. 4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum*, quæ olim in Ægypto edidit, noua edendo: illa enim ſimul cum his ab hominibus celebrantur. Sic ferè Kimhi.

3. *Altiſſime.* Appoſitum Epithetum: quaſi dicat, ô qui recenti exemplo docuiſti, à tuo nutu pendere omnia, téque humanas vires, quamuis maximas, vbi vis, facilè poſſe euertere.

4 *Quòd conuerſi ſint* &c. Occiſo Goliath, omnes qui erant in caſtris Philiſtæorum, terga verterunt: quemadmodum dicitur 1. Sam. 17. 51. *Videntes autem Philiſtijm, quòd mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt.* Kimhi. *A facie tua*, non mea.

5 *Quoniam feciſti iudicium meum*, &c. Hoc eſt, Tu ipſe enim diſceptaſti cauſam meam, ac pugnaſti pro me. Stupendum ſanè fuit miraculum, & Dei opus, quòd, cùm Goliath totus eſſet ferro armatus, lapis in frontem, quæ ſola ictibus patebat, incubuerit. Sic ferè Kimhi. Quùm dicit *iudicium meum*, &c. ſignificat hoſtes fuiſſe in culpa, & priores arma aduersùs Iſraëlitas cepiſſe, vt conſtat ex 1. Sam. 17. 1. *Super thronum* iudicij.

6 *Increpaſti* vel *Subuertiſti*: quando enim verbum גָּעַר *gaar*, ſine ב conſtruitur, vt hîc, *perdere*, ſeu *ſubuertere* ſignificat, quemadmodum obſeruat Kimhi hoc loco. *Gentes*, hoc eſt, Philiſtæos. *Impium*, Goliath. *Nomen eorum deleſti in ſeculum*, &c. Hoc verſu de iis loquitur, qui occubuerunt in eo bello. Sed dicet aliquis, Nomen Goliath manet ad hæc vſque tempora. Manet, ſed duntaxat ad ignominiæ exemplum, atque idcirco nomen ampliùs non eſt, quod ſine nomine eſt, & ignominiam adiunctam habet. Hîc ergo nomen ſume non pro inani nomine, quo quis tantùm appellatur, ſed pro decore, & gloria, quo modo ſæpe aliàs vſurpatur. Hoc ſenſu Eccleſiaſtici 41.14. legitur, *Luctus hominum in corporibus ipſorum: nomen autem hominum non bonum delebitur*: cuius verſus hæc eſt ſententia, Etſi hominum improborum funera cognati atque amici lachrymis & lamentis conentur decorare, eorum memoriam tamen extinguendam ac delendam prorſus. Sola virtutis memoria in animis hominum viuere poteſt. Non monumenta, non aræ, quæ plerúmque ad præſentis temporis gratiam tantùm conſecrantur, hominum memoriam ab interitu vindicare poſſunt, ſed rectè facta. Eadem ſententia occurrit Prou. 10. 7. *nomen impiorum putreſcet*, ſeu, vt Chaldæus habet, *extinguitur*.

7 *Inimici defecerunt* (ſeu *finitæ ſunt*) *vaſtitates* &c. Senſus eſt, Finem habent illæ vaſtitates, quas ſe facturum ſuperbè minabatur hoſtis, ſcilicet Goliath. Nomine ſingulari notat ipſum Goliath, vel aliquem alium peculiarem hoſtem: niſi velis nomen ſingulare accipere collectiuè. *Inimici defecerunt vaſtitates*, pro, *Defecerunt vaſtitates inimici*, per hyperbaton: nam hebraicè nomen in genitiuo ſequi debet. Integra oratio, ſicuti ſciunt linguæ hebraicæ periti, eſſe debuerat, *Inimicus, defecerunt vaſtitates eius.* Neque verò deſunt ex Hebræis, qui legant חֲרָבוֹת *charauoth*, id eſt, *gladij*, pro חֳרָבוֹת *chorauoth*, id eſt, *vaſtitates.* Atque ita ſe legiſſe prædictam vocem, nimirum per chateph patach, in antiquo exemplari, affirmat filius Labrati, vt obſeruat hoc loco Ezra. Raſi etiam accepit iſtam vocem pro *gladiis*: quamquam & aliam ſignificationem non reiecit. Sic & Author verſionis Syriacæ, qui habet, *Inimici mei defecerunt gladio.* Sic denique Græcus & Latinus, qui habent hîc *frameæ*. *Ciuitates* ſup. eorum: quod quidem pronomen additum à Latino, non item à Græco. Non legimus vllam in eo bello dirutam aut exciſam vrbem. Sed fieri potuit, etſi nulla in ſacris litteris huius rei fiat mentio, vt Hebræi aliquas vrbes, ad quas nonnulli è caſtris Philiſtæorum, occiſo Goliath, ſeſe ſubitò receperant, euerterint atque exciderint. Addo pſalmum hunc de alia victoria fortaſſe intelligendum eſſe, vti dictum eſt in Argumento. *Perijt memoria eorum* hoſtium *cum ipſis.* In Heb. eſt הֵמָּה *hemma*, quod D. Hieron. Felix Pratenſis, Pagnin. & alij reddunt *cum ipſis*. Sed Latinus, aut Græcus, quem ſequitur, legit per alia puncta הָמֶה *hame*, quod reperitur Ezech. 7.11. & ſignificat iuxta Kimhi, & alios *ſtrepitum*, *tumultum*, necnon *ſonitum*, à verbo הָמָה *hama*: & interpretatus eſt *cum ſonitu*: quaſi ſenſus eſſet, eorum memoriam cum illo ſtrepitu, qui impiorum vitam perpetuò comitatur, abiiſſe: vel inſtar ſoni cuiuſdam in auras euanuiſſe. Optima ſanè ſententia, nec ab Hebræo, ſi abſque punctis conſideretur, aliena. Hic verſus ab aliis aliter atque aliter verti ſolet, atque exponi. Sed neque aliorum verſiones, neque etiam Hebræorum interpretationes mihi placent. Mihi videor ſic poſſe etiam vertere, *Inimice, conſummatæ ſunt vaſtitates, & ciuitates deſtruxiſti? perijt memoria eorum cum ipſis:* quaſi ſubitò ad hoſtem ſermonem conuertat, ab eóque per ironiam quærat, An confectæ ſint vaſtitates, quas antè animo meditabatur, & ciuitates exciderit, ſicuti interminatus fuerat, ſtatim ſubiungens *perijt memoria* &c. quaſi dicat, imò hoſtes ipſi

Digitized by Google

prorſus perierunt, nullam ſui memoriam relinquentes, niſi ad opprobrium ac deteſtationem.

8 *Et Dominus in æternum permanebit.* Hi & illi pereunt: at Dominus æternùm permanet, hos & illos iudicans; quò pertinet, quod mox ſequitur, *parauit ad iudiciū* &c. Simile eſt pſal. 102. 28. *Ipſa peribunt, tu autem permanes.* Kimhi. *Iudicabit orbem terræ* &c. quemadmodum me.

10 *In opportunitatibus* &c. Ad verb. *ad tempora in anguſtiâ*, hoc eſt, ad tempora, quibus fuerit in anguſtiâ, quo tempore fuerit in anguſtia: vel, opportunè, vernaculè *à temps*, ſeu *en temps*, in anguſtiâ. Chald. & Raſi priore modo accipiunt, ac ſimpliciter interpretantur *in temporibus anguſtiæ*. Græcus & Lat. quos ſequimur, poſteriore. Verum ſanè quidem eſt Deum ſuis ſemper adeſſe in periculis & calamitatibus: at præcipuè quædam captat tempora palam demonſtrandæ erga ſuos curæ & beneuolentiæ, quum ſcilicet maximè neceſſe eſt, atque vtile, cùm iis, tum Eccleſiæ. Sinit enim interdum Deus ſuos affligi atque exerceri, etſi nunquam deſerit, quò deinde glorioſior appareat liberatio, magiſque, vbi opus eſt, illius conſpiciatur prouidentia. Bene ait igitur *refugium in opportunitatibus in tribulatione.*

11 *Et ſperent* &c. Senſus eſt. Æquum eſt, vt ſperent in te deinceps qui te nouerunt, quoniam experti ſunt hodie, quòd *non dereliquiſti* &c.

12 *In Sion.* Quamquam eo tempore adhuc erat Sion in poteſtate Iebuſæorum, tamen traditio erat apud Hebræos in Sion aliquādo habitaturum Deum, ibíque ædificandum templum. Kimhi. Fieri poteſt, ſicuti dictum eſt in argumento, vt hic pſalmus à Dauide in alia occaſione fuerit conſcriptus, cùm iam in illius poteſtate eſſet arx Sion, & in illam Area, præcipuum Dei in terris domicilium, eſſet inuecta.

13 *Quoniam requirens ſanguinem*, &c. Chaldæus hoc ſic explicat, *Quoniam requirens ſanguinem innocentis, iuſtorum recordatus eſt.* Kimhi verò ſic ferè, Deus qui inquirit in cædes, ſeu, vt habet, ſanguines miſerorum, animaduertendo in homicidas, *eorum* ſup. ſanguinum *recordatus eſt*, quos Philiſtæi in Iſraël effuderant.

14 *Vide afflictionē meam*, ſi in quam deinceps incidam: & ſicut ab hoc hoſte me eripuiſti, ſic fac deinceps. *Videre afflictionem de hoſtibus*, eſt, videndo quæ vis ab hoſtibus inferatur, opem ferre. *Qui exaltas me* &c. omnes enim exiſtimabant ipſum à Goliath interfectum iri. Quia autem *portæ mortis* (hoc eſt, ſepulchrum) ſub terrâ ſunt, idcirco, inquit Ezra, dicit *exaltas*. Iuxta Kimhi *portæ mortis* ſignificant proximitatem mortis. Qui in porta eſt, parum abeſt quin intra domum ſit.

15 *In portis.* Portas hîc dicit contra illud *portis mortis*: & per portas intelligit locum publicum, in quo conuentus agebantur, & iudicia exercebantur: nam id fiebat ad portas ciuitatum. *Filiæ Sion*, hoc eſt, populi Sion. More Scripturæ populum nominat *filiam*: vrbs enim populi quaſi mater eſt. Chaldæus vocabulum *filiæ* exponit *congregationem*. Dicit *in portis filiæ Sion*, etſi nondum Hieroſolymis & Sione potiretur, quòd diuino edoctus numine ſciret ſe aliquando potiturum, & ibi extruendum templum. Vide ſuprà, ver. 12.

16 *Demerſæ ſunt gentes in foueam* &c. Redit ad celebrandam de hoſtibus victoriam, eorúmque ruinam. Fit plerúmque vt quod quis malum alteri molitur, idipſum patiatur, & ſceleris artifex arte ſua pereat, ac ſuis ipſius dolis atque inſidijs irretitus capiatur. Hoc accidiſſe ſuis hoſtibus canit in hoc verſu Dauid. Neque verò id cæcæ cuidam ſorti tribuit, ſed Deo, qui lentus eſt quidem, ſed certus vindex piorum; & magna exempla in caput inuenientium regerit, par pari tandem reddens: hoc enim eſt quod ait in mox ſequente verſu, *Cognitus eſt Dominus*, &c. *In foueam.* In Vulgatâ, *in interitu*. Sed melius & conuenientius poſteriori membro *in foueam*: nam poſterius mēbrum in Pſalmis eandem ferme ſententiam, quam prius, continere ſolet: & שחת *ſchachath*, propriè *foueam*, ſeu *foſſam* ſignificat: etſi huius vocis ſignificationem Græcus, qui vertit εἰς διαφθορὰ, & Latinus, qui *in interitu*, à verbo שחת *ſchicheth*, quod eſt *corrupit, interfecit*, deſumpſerunt. Sen. lib. 10. Declam.

17 *Cognitus eſt Dominus*; is quippe *iudiciá* (ad verb. *iudicium*) *fecit*, atque exemplum illud edidit iuſtitiæ in Philiſtæos, aut alios hoſtes: vel in Goliath, aut aliquem alium. Poteſt verti, ac, puto, melius eſt, *Cognitum eſt, Dominus iudicium fecit*: &c. quaſi diceret, Exploratū eſt Deum iudiciū feciſſe &c. *Iudiciū* Raſi interpretatur (fuit enim Gallus Lunenſis, aut Trecenſis) *iuſtice*. *In operibus* (heb. *opere*) *manuum ſuarum illaqueatus eſt peccator*, ſcilicet Goliath, cuius caput ſuo ipſius gladio amputatū, vel aliquis alius præcipuus hoſtis, aut hoſtium dux. *Peccator* tamē poteſt hîc accipi collectiuè. *Meditatio.* Abruptum hoc valde & præciſum, quaſi vellet dicere, quæ res aſſiduâ ac perpetuâ meditatione digna eſt. Inde ſequitur *Sela*, vox de quâ dictum ad verſ. 3. pſal. 3. Eam reddit hoc loco Chaldæus *in ſecula*, id

quod bene quadrat ad præcedentem vocē *meditatio.* Raſi ad has duas voces habet, meditabimur iſtud æternùm : Ezra, iſtud narrabo verè : Kimhi, ſalus iſta nobis eſt meditatio, & confeſſio : quorum poſtremus, vt vides, *ſela* non interpretatur. Porrò neque hanc, neque illam vocem Græcus, & Latinus reddiderunt, ſed omiſerunt prorſus, iudicantes, vt apparet, vtramque eſſe muſicam: neque profectò abs re: prior enim illa, ſi redditur, vt ſonat, nimis abruptam videtur efficere ſententiam. Nos tamen è prædictorum Rabbinorum & aliorum ſententiâ priorem reddidimus *meditatio*, poſteriore prorſus neglectâ, vtpote quam ad muſicam tantùm pertinere iudicamus.

18 *Conuertantur* &c. Senſus eſt, Sicuti hoſtes illi noſtri perierunt, ſic pereant quotquot Deum obliuiſcuntur. Plerique Hebræorum vocem שְׁאוֹל *ſcheol,* hîc non pro *inferno*, ſed *ſepulchro* accipiunt, atque exponunt *Conuertantur* vel *Reuertantur in ſepulchrum*, moriantur ac pereant. Atque obſeruat Ezra dici *reuertantur*, quòd homo è terra creatus ſit. Emphaticè ſanè *Reuertantur in ſepulchrum,* in locum ſcilicet, vnde ſumpti ſunt, nimirum terram. Sic Eccleſiaſtici 40. 1. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum*, (in manuſcripto exemplari ἀπαί-των) *vſque in diem* ἐπιστροφῆς *reuerſionis* (in alio tamen exemplari ἐπὶ ταφῇ, & in Vulg. *ſepulturæ*: ſed vulgò & meliùs ἐπιστροφῆς) *in matrem omnium*, terram nimirum. Sic dicebat Iob 1. 21. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ*, ſimpliciter, etſi ex Hebræis quidam hîc per matrem intelligunt terram, *& nudus reuertar illuc*, in ſepulchrum, locum ſcilicet certum ac notum. Vel *illuc* dixit terram oſtendens. Non deſunt qui שְׁאוֹל *ſcheol*, in hoc

A verſu pro inferno exponant, vt videre eſt ex Midras, & putent duplici litterâ motum ad locum ſignificante, ל ſcilicet initio vocis, & ה in fine, notari infimum gradum inferorum, in quem coniiciendi ſint impij, poſtquàm in vltimo iudicio ſe ad Dei tribunal ex inferorū clauſtris ſtiterint, & condemnati eòdem in imam partem gradúmve inferorum reuertentur: atque hîc idcirco dici *reuertentur*. Ita ferè Abba Bar Zebedæi, quem citat Raſi.

19 *Quoniam non in finem* &c. Ratio ſupe-
B rioris verſus ſumpta à Dei natura, quaſi diceret, Sic pereant æternùm ſcelerati, & quotquot tui iuſti iudicis ac tuæ prouidentiæ obliti tuos affligunt: fieri enim non poteſt, vt pauperum ac miſerorum perpetuò obliuiſcaris, ac ſpe fruſtrentur qui ad te cōfugiunt. Nota in poſteriore membro nullam eſſe negandi particulam, ſed ex priore accerſendam pro more hebraicæ linguæ, vt obſeruat Kimhi.

20 *Exurge Domine* ad iudicium impiorum. *Exurge* αἰθερπονώθως. *Non roboretur homo.* Senſus eſt, oſtende vires humanas
C nihil poſſe aduersùm te: nec permitte deinceps vt vires ſuas oſtentet homo mortalis & caducus. Hominem vt caducum ac calamitoſū ſignificat vocabulum אֱנוֹשׁ *enoſch*, emphaticè hîc adhibitum. Vide ad verſum 5. ſuperioris pſalmi.

21 *Pone Domine timorem* &c. hoc eſt, Fac vt te gentes timeant, ac ſciant *(quòd) homines ſunt*, atque ideo fragiles & imbecilli. Emphaticè hîc quoque in Heb. eſt אֱנוֹשׁ *enoſch.* *Timorem.* Græco & Lat. *legiſlatorem*, hoc eſt, doctorem, ac monitorem, qui eos reprimat. Legit Latinus מוֹרֶה *more*, cum Segol, vbi Hebræi מוֹרָה *mora*, cum Camets, quod vulgò interpretantur *timorem*, à radice יָרֵא *iare, timuit*, he pro aleph.

Digitized by Google

PSALMVS

Heb. X.

VERSIO

VETVS

In qua idem eſt hic pſalm. cum præcedente.

VT quid Domine receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?

2 *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant.*

3 *Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ: & iniquus benedicitur.*

4 *Exacerbauit Dominum peccator, ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.*

5 *Non eſt Deus in conſpectu eius: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.*

6 *Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur.*

7 *Dixit enim in corde ſuo: Non mouebor à generatione in generationem, ſine malo.*

8 *Cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo: ſub lingua eius labor & dolor.*

9 *Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.*

10 *Oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.*

11 *Inſidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.*

12 *In laqueo ſuo humiliabit eum, inclinabit ſe, & cadet cùm dominatus fuerit pauperum.*

13 *Dixit enim in corde ſuo: Oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam ne videat in finem.*

NOVA.

VT quid, Domine, ſtas longè? abſcondis [a] in opportunitatibus in tribulatione?

2 [b] Dum ſuperbit impius, perſecutionem patitur pauper: [c] comprehendantur in conſiliis quæ cogitant.

3 Quoniam laudat ſe peccator [d] in deſideriis animæ ſuæ: & [e] iniquum benedicit, exacerbat Dominum.

4 Peccator præ elatione faciei ſuæ non quærit: non eſt Deus (in) omnibus cogitationibus eius.

5 Proſperè ſuccedunt viæ illius in omni tempore; [f] altè ſunt iudicia tua à facie eius: [g] omnes inimicos ſuos difflat.

6 Dicit in corde ſuo, Non mouebor à generatione in generationem, qui (ſum) ſine malo.

7 [h] Maledictione os eius plenum eſt, & fraudibus, & dolo: ſub lingua eius labor, & dolor.

8 Sedet in inſidiis villarum; in occultis interficit innocentem: oculi eius in pauperem reſpiciunt.

9 Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in tugurio ſuo; inſidiatur, vt rapiat pauperem: rapit pauperem, dum attraxit eum in [i] laqueum ſuum.

10 [l] Humiliat ſe, inclinat ſe, & cadit in vires eius turba pauperum.

11 Dicit in corde ſuo, Obliuiſcitur Deus: occultat faciem ſuam, [m] ne videat in æternum.

a heb. *ad tempora in anguſtia?*
b heb. *in ſuperbia impij*
c *comprehenduntur*
d heb. *ſuper deſiderio*
e heb. *oppreſſorem*
f ad verb. *altitudo (ſunt) iudicia* &c.
g ad verb. *in omnes hoſtes ſuos ſufflat.*
h *Execratione*
i *rete*
l heb. *atterit ſe.*
m *non videt*

n heb. eleua manum tuam; 12 Exurge Domine Deus, [n] & exaltetur manus tua: ne obliuiſcaris pauperum.

13 Propter quid irritat impius Deũ? dicit in corde ſuo, (Quòd) non inquires?

o vel certè 14 Vides [o] quoniam tu laborem, p iram & [p] dolorem conſideras, vt tradas in q heb. derelinquet manus tuas: tibi [q] derelictus eſt pauper; r heb. fuiſti orphano tu [r] eris adiutor.

15 Contere brachium peccatoris, & maligni; inquire peccatum illius: non inuenies.

16 Dominus rex in ſeculum, & in æternum: perierunt Gentes de terra illius.

17 Deſiderium humilium exaudis Domine: præparas cor eorum, audit auris tua.

18 Vt iudices pupillo & pauperi: vt non addat vltrà ſæuire homo de terra.

14 Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliuiſcaris pauperum.

15 Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo: Non requiret.

16 Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras: vt tradas eos in manus tuas.

17 Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor.

18 Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur.

19 Dominus regnabit in æternum, & in ſæculum ſæculi: peribitis Gentes de terra illius.

20 Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

21 Iudicare pupillo & humili, vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *HVnc Pſalmum Græcus, & qui eum ſemper ſequitur, Latinus interpres cum præcedente vnum faciunt. Sed Hebræi omnes diſtinguunt: & certè argumentum habet aliud prorſus, & diuerſum omnino ſtylum, ac longè ſublimiorem. Nec verò videtur Dauid in aliqua peculiari occaſione, inquit Kimhi, hunc pſalmum conſcripſiſſe, ſed tanquam exemplar quoddam precationis, quo vterentur quibus periculum immineret ab hoſtibus. Pſalmus hic autem duas habet partes. In prima deſcribit, imò exagitat Dauid magno orationis impetu ingenium & mores improborum hominum, qui ſua potentia & opibus ad tenuiorum perniciem abutuntur: qui id tantùm rectum ducunt quod libido imperat, iiſque ſolùm fauent, ac gratulantur, quos ſui ſimiles reperiunt: qui elati arrogantia Deum non curant; imò diuinam prouidentiam è rebus humanis tollunt: quos perpetua fœlicitas nullis interrupta malis ſecuros reddit in poſterum omnis periculi, vt cum Niobe dicere ſoleant,*

Maior ſum quàm cui poſſit fortuna nocere,
Exceſſere metum mea iam bona:

qui illud vnum agunt, vt doli artiſque ignaros homines imprudentes & incautos decipiant: qui publicas vias obſident, vt viatores excipiant, eóſque vitâ, & bonis ſpolient: qui, vbi opus eſt, ſeſe deiiciunt, & demittunt vſque adeo, donec miſerorum turba ipſorum vnguibus in prædam cedat. Nempe iſti, inquit, nihil verentur peccare: quippe qui ſi non palàm, non enim audent legum metu, certè apud ſe ſtatuunt Deum nulla tangi cura rerum humanarum, ideóque in omne genus ſcelerum præcipites ruunt. In altera parte Deum magno ardore precatur, ne ſuos deſerat, & impios homines inultos ſinat, quò vel ſuo ipſi malo, vel alieno ſapientiores facti Deum ſcelerum vindicem cogantur fateri, tandémque malefacere deſinant. Denique poſtquam precatus eſt, affirmat id Deum, qui potens ſit, & velit miſeris morem gerere, dubio procul facturum, improbóſque potenter vlturum, quò cæteros quidem homines à maleficiis abſterreat. Hæc ferè ſynopſis huius pſalmi, qui non pa-

Digitized by Google

rum habet obſcuritatis, non quidem in argumento, ſed in ipſis vocibus, quæ vbique ferme ambiguæ ſunt.

1 *Stas longè?* &c. Quando Deus fert opem miſero, videtur propiùs ad illum accedere: quo ſenſu dicitur Deuter. 4. 7. *Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris:* quum verò non fert opem, ſed in malis deſerit, videtur longiùs recedere, & oculos à miſero abſcondere. Sic ferè Kimhi. *Abſcondis* ſup. te, vel oculos: quod fœliciter Latinus expreſſit verbo *deſpicis.* *In opportunitatibus* &c. Vide ad verſ. 10. ſuperioris pſal.

2 *Dum ſuperbit* &c. ad verb. *In ſuperbia* (ſeu *elatione*) *impij*, hoc eſt, Dum euehitur impius ad potentiam, & acquirit opes, quæ eum ſuperbum reddunt, perſecutionem patitur pauper. Similis eſt ſententia Pro 29. 2. *Quum impij ſumpſerint principatum, gemet populus.* *Perſecutionem patitur.* Græco & Lat. *incenditur.* Verbum quidem יִדְלַק *ijdhlak*, ſignificare vtrúmque poteſt: ſed prior ſignificatio huic loco meliùs conuenit. Verti poteſt *In ſuperbià* (hoc eſt, ſuperbè) *impius perſequitur pauperem*: alij enim ex Hebræis verbũ prædictum intranſitiuè, alij actiuè accipiunt. *Cõprehendantur* &c. Græc. & Lat. *comprehenduntur*: ac ſic etiam ad mentem Raſi eſſet vertendum, hoc ſenſu, *comprehenduntur* ſup. pauperes ac miſeri *in conſilijs, quæ cogitant* aduersùs illos impij. Sic Raſi. Verùm magis ſe mihi probant Chaldæus, Ezra & Kimhi, qui poſterius hoc membrum ad impios referunt, quibus imprecetur Dauid hunc in modum: *comprehendantur* & capiantur iſti ſuis ipſorum machinationibus, quas in pauperum perniciem ſtruunt. Porrò nil mirum videri debet, quòd ſubitò mutetur numerus ſingularis in pluralem, quia illa nomina *impius, pauper* hîc collectiuè ſumi debent. Ezra exponit *comprehendantur* impius, qui aliis eſt præfectus, & eius ſocij. *In conſilijs.* מְזִמּוֹת *mezimmoth*, *cogitationes*, *conſilia*, ſed plerumque *praua*, ſignificat. *Quæ cogitant.* In Vulg. *quibus cogitant*, ex Græco οἷς διαλογίζονται: Græcis enim antecedenti relatiuum in eodem caſu rite coniungitur.

3 *Quoniam laudat ſe* &c. Refert hoc Raſi ad primum verſum. Kimhi ad poſterius membrum ſuperioris verſus: perinde ac ſi diceret Dauid, Propterea quòd gloriatur impius, ſi ſuas cupiditates expleuerit, iiſque ſecurus indulget, ſic vt ſciat eſſe alium ſe ſuperiorem, & capiatur ipſe ſuis A machinationibus. Sic ferè Kimhi, qui verbum הִלֵּל *hillel*, etſi coniug. Piel, accepit intranſitiuè, vt Syrus quoque, & Chaldæus. Pſal. 44. 9. idem verbum intranſitiuè communiter ſumitur. Latinus poſuit hîc *laudatur* pro *laudat ſe*, ſeu *gloriatur*: ſic & pſ. 44. 11. *laudabimur* pro *gloriabimur*. Vide illic. *Iniquum* (ad verb. *oppreſſorem*) *benedicit*, impius nimirum, qui ſimiles ſui laudat. Potes vertere *& iniquus* (ſeu *oppreſſor*) *benedicit ſibi*, hoc eſt, ſibi blanditur, ac gratulatur de ſuis rapinis, B *& peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicat*, vt ait Eſaias cap. 3. 9. *Iniquus.* Vox hebraica בֹּצֵעַ *botſea*, ſignificat propriè eum qui per fas & nefas lucrum ſequitur: vnde verti poteſt *auarus*. Sed optimè & ſignificanter Latinus *iniquus* reddidit, tum quòd *radix omnium malorum eſt cupiditas*, vt ait D. Paulus 1. ad Timoth. 6. tum quòd vox hebræa propriè ſignificat *oppreſſorem*, *defraudatorem*, qui optimè voce *iniquus* intelligitur. Chaldæus interpretatus גַּבְרָא טָלוּמָא *gaura taloma*, hoc eſt, *virum oppreſſorem* ſeu C *virum nequam*. *Exacerbat Dominum* ſuis dictis & factis. Totus verſus ad mentem Ezræ verti debet, *Quoniam laudat impium ſuper deſiderio animæ eius, & auarum benedicit (qui) exacerbat Dominum*, hoc ſenſu, Quoniam laudat impius, de quo ſuprà facta eſt mentio, impium alterum qui æſtuat deſideriis, & benedicit ac laudat oppreſſorem, qui Deum quotidie ad iracundiam prouocat. Fauent huic interpretationi verba הִלֵּל *hillel*, & בֵּרֵךְ *berech*, quæ aliàs actiua ſunt, vtpote coniugationis Piel. D Non improbo quin hæc verba accipiantur actiuè: ſed in vltimo membro non puto neceſſe eſſe ſupplere *qui*, quod ſupplet Ezra.

4 *Præ elatione faciei ſuæ*, hoc eſt, præ ſuperbia, quam vultu præfert. *Non quærit* Deum, nec quæ Dei ſunt: negligit quæ ad ſalutem pertinent: quò ſpectat quod ſequitur, *non (eſt) Deus (in) omnibus cogitationibus eius*: vbi ad mentem Kimhi vertendum, *Non (eſt) Deus, omnes cogitationes* E *eius*, hoc ſenſu, nihil aliud cogitat, quàm nullum eſſe Deum, qui animaduertat in ſcelera, atque ideo licere homini, quicquid libet. Sic ille. Facit pro vltima expoſitione quòd deeſt hebraicè præpoſitio *in*.

5 *Proſperè ſuccedunt* &c. iuxta alios *Dolore afficiunt viæ illius* &c. pios ſcilicet, qui vel impiorum hominum iniuriis, vel proſperitate quotidie offenduntur. In hoc ſenſu *viæ* actiones vel ſucceſſus ſignifica-

Digitized by Google

bunt. Sed melius eſt, & magis conuenit ſequentibus *Proſperè ſuccedunt viæ illius* &c. ac ſic habet Chaldæus. *Altè ſunt (* hoc eſt, longè abſunt *) iudicia tua* &c. ad verb. *altitudo (ſunt) iudicia tua coram eo* : quod interpretatur Raſi ſic : ſublata ſunt, & procul amota iudicia caſtigationum, ac pœnarum tuarum à conſpectu illius, quippe quæ illum nunquam attingant. Kimhi breuius, ſed eodem ſenſu : *altitudo (ſunt) iudicia tua* &c. ita vt illum non attingant, ac propterea immodeſtè, atque inſolenter ſe gerit. Huc pertinet illud pſal. 73. 5. *In labore hominis non ſunt (* impij,*) & cum hominibus non flagellantur*: verſ. 6. *Ideo vt torques cingit eos ſuperbia: operit ornamentum violëtiæ illos*. Chald. hoc quoque interpretatur, *procul ſunt iudicia tua à conſpectu illius*. Græc. & Latinus *auferuntur iudicia* &c. *Omnes inimicos (hoſtes) difflat* ſpiritu, quaſi ventus folia. Hyperbolica locutio, pro, facilè & nullo negotio hoſtes diſturbat, & quaſi ſolo oris flatu : ita illi omnia ex ſententia eueniunt. Similis locutio apud Plautum in Milite glorioſo. Alij eodem ſenſu vertunt, *omnes inimicos ſuos illaqueat*.

6 *Dicit* &c. quum ſcilicet videt omnia ſibi ad nutum ſuccedere. *Non mouebor* &c. de hoc gradu honoris, & potentiæ : *qui* (vel *quia*) *ſum ſine malo*, hoc eſt, qui hactenus nihil ſum expertus mali.

7 *Maledictione* ſeu *execratione os eius plenum eſt*, &c. Senſus eſt, Impius, cùm vult aliquem circumuenire, pleno ore illi iurat, vt oſtendat ſe ex animo iurare; atque hæ ſunt *fraudes* & *dolus*, propterea quòd aliud habet in ore, aliud in pectore; quò pertinet poſterius membrum *ſub linguâ eius labor & dolor*, hoc eſt, in verbis eius fraudulentis iniuriæ deliteſcunt. Non de nihilo eſt quòd *ſub lingua* dicat, non *in lingua*. Nam præpoſitione *ſub* vult ſignificare non in ſceleratorum verbis palàm apparere malè faciendi voluntatem, ſed ſub ijs deliteſcere, nimirum in animo. Impij namque, quò faciliùs imponant, ita norunt ornare ſua verba, vt ab iis omnis fraudis ſuſpicio longè ſit remota. *Sub lingua* nonnulli interpretantur in corde, quod ſub lingua eſt ſitum.

8 *Sedet in inſidiis villarum* ; &c. In hoc & ſequente verſu pingit occultas ſceleratorum molitiones, quibus vitæ & bonis innocentum inſidiantur; in hoc verſu quidem, imagine latronis villarum exitus obſidentis, vt viatores, vbi commodum erit, bonis ac vitâ ſpoliet; in altero autem verſu, imagine leonis è luſtris ſuis proſpicientis num qua ſe offerat præda, atque in eam

A ſummo impetu irruentis. *In inſidijs villarum*. Græcus & Lat. *in inſidijs cum diuitibus*: qui videntur vel עֲשִׁירִים *aſchirim*, legiſſe, quæ vox *diuites* ſonat, pro חֲצֵרִים *chatſerim*, affini quodammodò voce, ſaltem quoad pronuntiationem : vel certè accepiſſe חֲצֵרִים *chatſerim*, non in ſignificatione *villarum*, ſed in ſignificatione *atriorum*, quæ plerúmque adhærebant diuitum domibus ac magnatum palatiis, & quodammodo ſenſum expreſſiſſe, pro, *in inſidiis atriorum*, exponendo, vt dictum eſt. Verùm

B ſignificatio *villarum* videtur meliùs quadrare: eámque ſecutus eſt Kimhi, qui obſeruat illam vocem ſignificare vrbes abſque muro, quæ iuxta vias ſint poſitæ. A Græco tamen & Lat. Chaldæus facit, qui interpretatus eſt, *Sedet in inſidijs* דְּדִרְתַיָּא *dhedhartaiia*, id eſt, *atriorum* procul dubio, etſi Eugubinus vertit *villarum*. Adde Symmachum, qui vertit, ἐγκάθηται ἐνεδρεύων περὶ τὰς αὐλάς; D. Hieronymum, qui, *Sedet inſidians iuxta veſtibula*. *In occultis interficit* &c. Nam plerumque impius non malè agit palàm, ſed clàm, ne videatur ab ho-

C minibus, de Deo nihil laborans, qui videt omnia. Sic ferè ad hoc Kimhi. *Oculi eius in pauperem reſpiciunt*, vt in eum irruat. Vox hebraica יִצְפֹּנוּ *ijtſponu*, hoc loco ſignificat ex occulto loco reſpicere.

9 *Inſidiatur in abſcondito*, &c. Altera imago, de quâ mox dictum, quæ ſceleratorum hominum ſæuitiam & crudelitatem tantò meliùs repræſentat, quantò leo quouis homine truculentior eſt. *Inſidiatur vt rapiat*, &c. Explicat nunc ſimplicibus verbis id quod figuratè dixerat. *Rapit pauperem,*

D *dum attraxit eum in laqueum* (prop. *rete*) *ſuum*, hoc eſt, ſummo impetu pauperem ac miſerum hominem pertractum in retia inuadit, boníſque, & vitâ interdum, ſpoliat. *Pauperem* pro miſero vſurpat, quo modo frequenter Galli. Vide ſis quantò illuſtrior & clarior ſenſus in Hebræo, quàm in Græco & Lat. Græcus ſiquidem & Latinus interpres haud ſatis commodè, vt videtur, poſtremam huius verſus vocem בְּרִשְׁתּוֹ *veriſchto*, neglecto accentu paſuk,

E initio ſequentis attexuerunt, vertentes, *In laqueo ſuo humiliabit eum*, &c.

10 *Humiliat ſe*, &c. ad verb *Atteret ſe*, pro, deprimet ſe, deiiciet ſe, attritum ſe oſtendet. Sic pſal. 143. 3. *Attriuit in terram vitam meam*, hoc eſt, proſtrauit, vel attritam deiecit. Eſt & alius modus, inquit, quo impij inſidias ſtruunt : illi enim aliquando ſe deiiciunt, humiles præbent, minùs potentes amicis, & viribus ſe oſtendunt, quò faciliùs ea ſimulatione incautis imponant, ac perniciem ferant. Eſt, inquit

Digitized by Google

Raſi, mos inſidiatoris, vt ſeſe incuruet, quò faciliùs lateat. *In vires eius*. Vel *in robuſta eius* membra, ſcilicet manus & vngues. Gallicè dicimus *tomber dans les mains ou pattes de quelqu'vn*. Potes vertere *in robuſtos eius*, ſcilicet amicos. Iis, quæ hactenus de impio dixit, oſtendit impium in omnibus, quæ agit, ſibi ab hominibus cauere, non à Deo, quòd apud ſe cogitet ipſum nec videre, nec cognoſcere: quò pertinet verſus ſequens.

11 *Dicit in corde ſuo, Obliuiſcitur Deus*, hoc eſt, Nō videt nec cognoſcit, quæ in terris ab hominibus geruntur, aut ſi cognoſcit, eorum obliuiſcitur, atque etiam faciem auertit, ne videat vſquam, réſque humanas negligit.

12 *Exurge Domine* &c. Propterea quòd impius dicit te non videre, exurge tu, *& exaltetur manus tua* (heb. *eleua manum tuam*) aduersùs illum, & *ne obliuiſcaris pauperum*, ſicut ille ſolet dicere, *Obliuiſcitur Deus. Pauperum*. Iuxta aliam lectionem *humilium*. De hac re vide ad verſum 17.

13 *Propter quid* &c. Sic connecte cum præcedente, *Exurge* &c. & *ne obliuiſcaris pauperum*: *propter quid* aliud enim *irritat*, téque blaſphemiis laceſſit impius, ac dicit apud ſe te non inquiſiturum in ſcelera, niſi quia videt impunè eſſe ſceleratis, téque pauperum obliuiſci?

14 *Vides, quoniam tu laborem*, &c. Impius dicit te nihil videre: ſed tu vides omnia: tu enim dubio procul omnes moleſtias, & iniurias nunc cernis, quas impij tenuioribus inferunt. Sic Kimhi. *Quoniam*. Mallem *certè*: ſic enim eſſet ſenſus perſpicuus magis, & particula כִּי *ci*, à quibuſdam interdum redditur *certè*. Vide ad verſ. 21. pſ. 73. quo in verſu prædicta particula dubio procul eſt affirmandi: aut expletiua tantùm. *Vt tradas in manus tuas*, hoc eſt, vt illas iniurias in manus ſumas, quando voles pauperes illos de impiis vindicare: ſiquidem *tibi derelictus eſt pauper*; &c. Poteſt verti, *vt tradas in manu tuâ*, hoc ſenſu, iuxta Ezram, in tua eſt poteſtate impio par reddere, quandocunque voles. Exponi ſic poteſt, *vt tradas* ſupp. iis laborem & dolorem quem aliis exhibuerunt, *in manu tua*, in tua eſt poteſtate: quod in ſenſū Ezræ recidit. *Tibi derelictus eſt* &c. Heb. *tibi derelinquit*, ad verb. *derelinquet* ſup. cauſam ſuam. *Tu eris*, vel *tu es*: in heb. *tu fuiſti*, quod eòdem recidit: ſiquidem in ſententiis præteritum & futurum pro præſ. vſurpatur, vt aliàs obſeruatum eſt. Kimhi tamen præteritum pro præt. accipit: ſic enim exponit, pauper tibi committit ſuam cauſam, quia multoties expertus eſt, te opem tuliſſe pupillo, iiſque qui deſtituti eſſent omni ope. Non erit profectò, vt ego quidem ſentio, incommoda hæc ſententia.

15 *Contere brachium*, hoc eſt, vim & robur. *Inquire peccatum illius*, qui dicit te non inquirere, vt dictum eſt ſuprà, verſu 13. fac vt ſciat te inquirere in ſcelera: quod ſi tu feceris, *non inuenies* impium in terra: nam ſi confregeris iſtius ſcelerati robur; qui ſupererunt, iſto exemplo admoniti reſipiſcēt. Sic ferè Kimhi. Raſi, qui hoc, vt aliàs ſolet, in Chriſtianos detorquet, ſic, *Contere brachium* Eſau impij: (Chriſtianos intelligit) *& maligni* (ſic enim ad eius mentem diſtinguendum, & pro eo facit athnach diſtinguendi ac pauſæ nota in præcedente dictione) *quæres impietatem eius, non inuenies*. Impij Iſraëlitæ cernentes impiis omnia ſuccedere, facilè ad peccandum feruntur: verùm ex quo confregeris brachium impiorum, ſi voles quærere impietatem impiorum Iſraëlitarum, nullibi inuenies. Sic ille. Nos hac interpretatione, ac diſtinctione adiuti ſic hunc verſum exponi poſſe iudicamus, *Contere brachium impij* alicuius: hoc ſi tu feceris, *maligni quæres impietatem eius, non inuenies*, hoc eſt, nulla ampliùs impietas remanebit in terra: nam cæteri quidem improbi homines iſto pœnæ exemplo admoniti honeſtiùs vitam inſtituent. Nota phraſin *maligni quæres impietatem eius*, pro *quæres impietatem maligni*: abundat enim hîc pronomen relatiuum, vt ſæpe in lingua hebraica. Sic pſ. 1. 4. *tanquam gluma quam diſiicit eam ventus*: ita enim eſt ad verbum. Poteſt huius loci hic eſſe ſenſus, *Cōtere brachium peccatoris & maligni: quæres peccatum* &c. hoc eſt, tum eius peccatum, & impietatem ſi quæras, ampliùs non inuenies, ſiue quia funditus perierit, vt nullum ampliùs extet veſtigium illius impietatis, ſiue quia malo admonitus reſipuerit. Hunc ſenſum videntur ſequuti Græc. & Latinus, qui paſſiuè verterunt, vt & Chald. qui habet, *quærentur improbitates eorum, & non inuenientur*.

16 *Dominus Rex* (Græco βασιλεὺς) ſup. erit &c. Bene ergo Latinus *regnabit*. Subitahîc fit mutatio ſecundæ perſonæ in tertiam, quod hebraicæ linguæ, in ſacris litteris præſertim, eſt familiare, & habet aliquid emphaſeos, & elegantiæ. Senſus eſt, Poſtquam impiorum vim ac potentiam tua potentia repreſſeris, ac de iis ſupplicium ſumpſeris, tunc fiet palàm omnibus te regem eſſe ſempiternum. Oratio eſt pro more linguæ hebraicæ conciſa. Simile eſt Exo. 15. 18. *Dominus regnabit in ſæculum &*

Digitized by Google

in æternum. *Perierunt gentes* &c. Præteritum pro futuro, vt ſæpe in prædictionibus propter euentus certitudinem: quaſi diceret, ac tunc quotquot erunt impij (hîc enim Iſraëlitas impios vocat *gentes*, quippe qui nihil minùs ſint quàm Iſraëlitæ) non habebunt vltrà locum in terrâ Domini, hoc eſt, in terra Iſraëlis: terram enim Iſraëlis ipſe Deus terram ſuam vocat Leuit. 25. 23. Græcus & Latinus datâ operâ videtur poſuiſſe ſecundam perſonam *peribitis*, vt eſſet ſubita ad ipſos impios apoſtrophe. Ad mentem Raſi vertendum eſſet, *Dominus Rex in æternum, (poſtquam) perierint gentes* &c. Dicam quod ſentio. Mihi videor poſſe connectere hunc verſum cum ſuperiore in hunc modum: Spero equidem Deum confracturum ſceleratorum robur, illum Deum ſcilicet, qui rex æternus eſt, ac perpetuò potens, & qui ſeptem illas gentes è terra ſuâ (terram Iſraëlitarum terram Dei vocat) olim expulit. Exemplo illo ſcilicet ſpem, quam in Deum habet, confirmat: Deus eſt, inquit, æternus rex, déque eius terrâ olim perierunt gentes: poteſt igitur me exaudire: poteſt, inquam, & vult: nam libenter ad preces humilium aures aduertit; hócque illud eſt quod in ſequente verſu dicit. Quid? ſi dicas hoc verſu Dauidem vtpote certum Deum ſuis nunquam defuturum, more ſuo Deo gratulari, & gratias agere de lato auxilio, & ante victoriam encomium canere, quod etſi aliàs reprehendi ſolet, tamen in propheta, eóque qui certò auxilium à Deo expectet, valde eſt laudandum. Nemo diuinam opem fruſtra implorat, modò ex fide: ſed aut hoc impetrat, quod petit, aut aliquid melius, vt alicubi inquit D. Bernardus. Idcirco Dauid omnes ferè pſalmos, in quibus Dei auxilium implorat, gratiarum actione claudit. Habes exemplum pſal. 3. pſal. 6. pſal. 7 pſal. 13. pſ. 56. pſ. 57. Hîc igitur poſtquàm Deum precatus eſt, vt impiorum potentiam euertat, tandem concludit his verbis, Deus illé, quem impij illi negant regere humanum genus, ſolus Rex eſt: quippe qui ſuam potentiam in euertendis ac delendis impiis oſtenderit. Id quod euẽturum credit, vt iam factum pronuntiat: *perierunt*, inquit, *gentes*, hoc eſt, impij, &c. Ignoſce ſi hîc prolixior fui. Locus erat arduus & difficilis.

17 *Deſiderium humilium*, hoc eſt, orationem humilium iuxta illorum deſiderium: aut ſenſus eſt, Exaudis deſiderium eorum, antequam illud verbis ſignificent, iuxta illud Eſaiæ 65 24. *Eritque, antequam clament, ego exaudiam.* Vtroque modo Kimhi. Quò pertinet etiam quod ſequitur in

A Græco & Lat. *præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Nota obiter Latinum videri legiſſe תֹּכֶן *tochen*, quod eſt *diſpoſitio*, à verbo תָּכַן *tachan*, pro תָּכִין *tachin*, *præparas*, ad verb. *præparabis*. *Humilium.* Græc. & Lat. *pauperum*, ſiue quòd legerint עֲנִיִּים *aniim*, id eſt, *pauperum*, pro עֲנָוִים *anauim*, id eſt, *manſuetorum*, *humilium*, (י) pro (ו:) ſiue quòd ſenſum tantùm, non vocem ſecuti fuerint. Sicuti enim ſimiles ſunt hæ voces, & ab eodem themate, ſic affine eſt earum ſignificatum, eundémque pene ſenſum faciunt. B Manſueti & humiles, etſi pauperes non ſunt, certè tamen vt pauperes ſe gerunt: & עָנִי *ani*, quod propriè eſt *pauper*, D. Matthæus cap. 21. citans locum Zachariæ 9. 9. *manſuetum* reddit. Sic etiam Chald. Raſi, Kimhi ad iſtum Zach. locum exponunt. *Præparas cor eorum*, hoc eſt, amoues ab illorum animis curam rerum ſecularium, ac tu illis fers opem, vt præparent tibi, vt par eſt, animos ſuos, tumque *audit* (vel *facis vt audiat*) *auris tua* orationem illorum. Sic ferè Kimhi. Hinc manifeſtè probari poteſt C gratia præueniens, & conuinci error Pelagij, qui negabat velle eſſe à Deo, atque illud D. Pauli ad Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate*, de poſſe velle explicabat, id eſt, de potentia volendi, ſeu voluntate ac libertate, quam ſolam diceret eſſe à Deo, non autem actum voluntatis. Sed diſputauit egregiè aduersùs hunc errorem D. Aug. lib. de Gratia Chriſti.

18 *Vt iudices* &c. Senſus eſt, Illorum au- D tem oratio eſt, vt iudices pupillum, & pauperem, hoc eſt, illos vindices de oppreſſoribus. *Vt non addat vltrà ſæuire* (aut *violentia vti*) *homo de terrâ.* Iuxta Kimhi vertendum; *vt non addat terrere* eos, ſcilicet pupillum, & humilem, ſed ipſi te ſolùm timeant, *homo de terrâ*. Malè, meo iudicio, Pagninus in ſuo Theſauro, Rad. עָרַץ *arats*, citat Kimhi interpretantem ſic, *vt non terreat hominem de terra*: eſt enim intelligendus Kimhi, vt diximus: nam conſtruit verbum *terrere* ſic, *terrere* eos &c. E *non terrere hominem de terrâ*. Mihi ſic videtur: alij iudicent. Cæterùm *homo de (e) terra*, hoc eſt, miſer homuncio totus ex argilla compoſitus, habitans domum luteam, terrenum habens fundamentum. Iob. 4. 19. Emphaſim habet אֱנוֹשׁ *enoſch*, quod propriè *hominem* calamitoſum ſignificat. Singularem quoque vim habet quod addit *de*, ſeu, *è terra*, quaſi diceret, ne ampliùs homo è terræ veluti fiſſuris emergens terrore afficiat pupillos ac cæteros miſeros homines, quum fiet palàm te, ô Deus, illorum cu-

Digitized by Google

ram è ſupremis cœlis gerere. Quum enim ait *de terrâ*, tacitam dubio procul infert antitheſin inter humile terræ domicilium, & cœli altitudinem, quam Deus miſerorum vindex habitat. Ex Raſi exponendum *vt non addat vltrà* Eſau (Chriſtianos ſic appellat) *conterere hominem*, hoc eſt, miſeros & calamitoſos. Poteſt ſanè exponi, *vt non addat vltrà* quis *conterere*, ſeu *terrere hominem de terrâ*; id eſt, hominem terrenum ac miſerum.

PSALMVS

X. Heb. XI.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Pſalmus Dauid.

In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Tranſmigra in montem ſicut paſſer?

2 *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.*

3 *Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit?*

4 *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius:*

5 *Oculi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.*

6 *Dominus interrogat iuſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

7 *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.*

8 *Quoniam iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.*

NOVA.

PRAECENTORI (Pſalmus) Dauid.

In Domino confido: quomodò dicitis animæ meæ, Trãſmigra in montem[a] (ſicut) paſſer?

2 Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; parauerunt ſagittam ſuam ſuper neruum: vt ſagittent in obſcuro in rectos corde.

3 Quoniam [b] fundamẽta deſtruentur: iuſtus quid fecit?

4 Dominus in templo ſancto ſuo; Dominus, in cœlo ſedes eius: oculi eius reſpiciunt; palpebræ eius probant filios hominum.

5 Dominus iuſtum probat: impium autem, & qui diligit iniquitatem, odit anima eius.

6 Pluet ſuper peccatores [c] carbonem, ignem & ſulphur: & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

7 Quoniam iuſtus Dominus iuſtitias diligit: æquitatem videt vultus eius.

[a] heb. veſtrum

[b] vel retia

[c] vel laqueos.

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *HVnc pſalmum videtur Dauid edidiſſe, cùm fugeret Saulem, aduerſus eos, qui per ſpeciem amicitiæ locum illi apud ſe offerebant. Cum iis ergo expoſtulat, ſuam in Deo fiduciam prædicans, quem ſperet hoſtium conſilia & technas euerſurum. Poſtea hypotheſin ad theſin reuocans adfert rationem ſuæ fiduciæ, ex eo quòd Deus è cœlo terras regat, & hominum genus, cùmque iuſtus ſit, iuſtos diligat, & contrà iniuſtos odio proſequatur, ideòque tandem puniat, ſiue in hoc, ſiue in altero ſeculo.*

Digitized by Google

1 *In Domino confido*, qui mihi regnum demandauit. *Quomodò dicitis* &c. Senſus eſt, Quomodò audetis mihi perſuadere, vt ex monte in montem migrem, ſicuti miſera auicula hinc inde vagatur è nido in nidum: in montem, inquam, veſtrum? *Quoniam ecce peccatores* &c. *Animæ meæ*, hoc eſt, mihi. Vide ad verſ. 5. pſal. 6. *Montem:* heb. *montem veſtrum*, hoc eſt, qui veſter eſt, ô hoſtes? quaſi diceret, *in montem*, montem, inquam, *veſtrum*? Conciſa eſt locutio. Omiſſa eſt particula *veſtrum* à Græco, & Latino, ſiue quòd viderent facere illam ſenſum obſcuriorem, ſiue quòd fortaſſe legerint הַר כְּמוֹ *har cemo*, id eſt, *montem ſicut*, vbi hodie הַרְכֶם *harcem*, *montem veſtrum*. Ac priore modo legit Chald. qui interpretatus eſt, *tranſmigra in montem, ſicut paſſer*. Hebræi, vt hodie legunt, coguntur ſupplere *ſicut*. Meliùs videntur legiſſe Græc. & Latinus: idcirco nos ſecuti illos ſumus.

2 *Quoniam ecce peccatores* &c. Senſus eſt, Ecce enim certò ſcio & vos & ſceleratos omnes vitæ meæ inſidiari, & omnem occaſionem quærere demerendi Saulis. *In obſcuro*. Ex inſidiis. *Rectos corde*, me ſcilicet & fugæ comites: nullius enim mihi delicti conſcius ſum, quod ad vos attinet.

3 *Quoniam fundamenta* &c. Refer hoc ad illa verba primi verſus, *In Domino confido*, *quoniam* ſcilicet *fundamenta*, hoc eſt, conſilia impiorũ, *deſtruentur*. Conſilia rerũ bene agendarum ſunt fundamenta: idcirco *fundamenta* vocat. *Iuſtus quid fecit?* Senſus eſt, ego enim quid commiſi ſceleris? Alij interpretantur *retia deſtruentur*, & per *retia* intelligunt inſidias, & technas impiorum. Sed prior expoſitio meliùs conuenit verbo *deſtruentur* ſeu *diruentur*.

4 *Dominus in templo* &c. Ratio eſt ſpei quam in Deum habet, petita ab eius prouidentia: ſenſúſque eſt, Etſi Deus eſt in cœlo, inde tamen cuncta in his terris adminiſtrat, ac diligenter curat res hominum: quo ſenſu dicitur pſalm. 138. 6. *Excelſus Dominus, & humilem reſpicit, & altus à longè cognoſcit.* Sic Eliphaz Themanites Iob 22. 12. & ſequent. *Annon Deus (in) ſublimitate cæli? & vide caput ſtellarum, quòd excelſæ ſint. Et dices,* (hoc eſt, Dicéſne propterea) *Quid nouit Deus? nunquid per caliginem iudicat? Nubes (ſunt) latibulum illi, & non videt: & ambitum cæli perambulat.* *In templo ſancto ſuo*, id eſt, in cœlo, vt ſequens membrum oſtendit, quod pro more eſt exegeſis præcedentis: necdum enim tempore Dauidis Deus habuit templum in terris. *Probant*, hoc eſt, attentè & accuratè examinant, & explorant.

A 5 *Dominus iuſtum probat* peculiari ratione, exercendo ſcilicet eius in cruce patientiam ad meriti cumulum, & alienæ conſtantiæ exemplum: aut caſtigando ad præteritorum delictorum pœnam, & futurorum remedium: quo ſenſu legitur Prou. 3. 12. *Quem diligit Dominus, corripit.* Tobiæ 12. 13. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te.* Eccleſiaſtici 27. 5. *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Scio hîc aliter eſſe in Græco. Optima comparatio, & quæ probet B quod diximus. Vt enim probatio per fornacem & ignem dura ac violenta, ſed tamen eiuſmodi, vt emundet metalla, & rubiginem omnem, ac ſcoriam excoquat: ita res aduerſæ, quibus Deus ſuos interdum exercet, duræ quidem, & difficiles, ſed tamen vtiles maximè. *Omnis diſciplina*, id eſt caſtigatio à Deo, *in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* Ad Heb. 12. *Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fue-*
C *rit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Iac. 1. *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit.* Ad Rom. 5. *Odit anima eius*, nec ſtatim caſtigat, aut in eius ſcelera animaduertit: ſiquidem correctio nil ei prodeſſet: ſed pœnas illi debitas diu differt, imò etiam ſæpe reſeruat in alterum ſeculum: túncque *Pluet ſuper peccatores* &c. vt dicetur mox. *Odit anima eius*. Plus eſt, quàm ſi diceret, odit D ipſe: ſonat enim, odit ex animo, odit intimè & acerbè, & ἀνθρωποπαθῶς dicitur.

6 *Pluet ſuper peccatores* &c. Raſi hoc accipit de pœnis Gehennæ, ſeu, inferni. Ezra & alij accipiunt de ſubitis, & inopinatis illis pœnis, quas Deus impiis immittit, cùm eſt tempus. Vocibus *carbonis*, *ignis*, *ſulphuris* & *ſpiritus procellarum*, fulmen ſignificat: & quidem per *carbonem* videtur peculiariter notare lapidem illum ignitum, quem ſecum vehit fulmen, magnáque vi inſtar ia-
E culi in terras contorquet: per *ignem*, ipſum fulmen, fulmen enim ignis eſt è nubibus erumpens: per *ſulfur*, tetrum ac ſulfureum illum odorem, qui afflatur è fulmine: per *ſpiritum* denique *procellarum*, tempeſtatem horrendam, quæ fulminis comes, imò cauſſa eſſe ſolet: quibus omnibus optimè impiorum pœnæ repræſentantur: quòd vt fulmen, & tempeſtas derepentè, etiam quum maxima eſt ſerenitas, ingruit, ita repentina vindicta impiis inſtet, ac tum maximè, quum ſecuri ſibi videntur, & extra omnem aleam poſiti. Ira Domini, ſicut fur in

Digitized by Google

1.Theſſ.5. & Apoc.3. fur in nocte, ita venit: quumque dicunt, Pax, & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperuenit interitus, ſicut dolor in vtero habenti, & non effugiunt. Quæ res nos admonere debet, vt non dormiamus, ſed ſemper vigilemus, ne nos ira Dei tanquam fur comprehendat: quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis. *Pluet.* Verbo *pluendi* notat magnam vim pœnarũ. Kimhi putat vti verbo *pluendi*, quòd impiorum pœnæ è cœlo ſint. Reſpicit autem dubio procul ad illud Gen.19.24. *Et pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem.* Quod nos *carbonem*, multi, etiam ex Hebræis, interpretantur *laqueos*. Verùm *carbonis* ſignificatio cum ſequentibus meliùs conuenit, meo iudicio, & cum verbo *pluendi*. Vel ergo פַּחִים *pachim*, eiuſdem eſt ſignificationis ac פֶּחָם *pecham*, id eſt, *carbo*, ſed alterius formæ: vel eſt numeri plur. pro פְּחָמִים *pechamim*, id eſt, *carbones*, quod putat Raſi. *Procellarum.* Alij vertunt *tremorum* ſeu *horrorum*: alij *ardorum*: ac poſteriore quidem modo accipit

A Raſi: priore Ezra: vtroque Kimhi. At Chaldæus, Menachem, & alij *turbinum*, ſeu *procellarum* interpretantur. Hos ſequimur propter Græcum & Latinum interpretem, qui ſic verterunt: etſi non reiicimus alias interpretationes, hanc præſertim, *ardorum*, quippe quæ præcedentibus optimè congruat, vbi *carbonum*, *ignis*, & *ſulphuris* fit mentio. Per *ſpiritum* autem *ardorum* intelligendi erunt venti vrentes, quales illi ſunt in Africa, qui arenas ardentes calore Solis excitant, & homines inuolutos ita confeſtim adurunt, quaſi ad ignem toſti eſſent. *Pars calicis*, hoc eſt, portionis, vt

B pſ.16.5. *Dominus pars hæreditatis* (heb. *portionis*) *meæ, & calicis mei.* Dicitur autem *pars calicis*, ad maiorem emphaſim, & auxeſim, pro, omnimoda pars: duo enim nomina eiuſdem ſignificationis ad ampliorem ſignificationem conſuetudine hebraicæ linguæ ſimul coniungi ſolent. Sic Dan. 12.2. *terra pulueris*, hoc eſt, terra puluerulenta: & pſ.40.3. *lutum cœni*, hoc eſt, lutum multum, ac profundiſſimum: vel, iuxta Kimhi, lutum omnis generis. Vide illic.

PSALMVS

XI. | XII.

VERSIO

VETVS.	NOVA.
IN finem pro octaua, Pſalmus Dauid.	PRÆCENTORI ſuper Octauam, Pſalmus Dauid.
2 *Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.*	2 Saluum fac Domine, quoniam defecit [a] ſanctus: quoniam defecerunt fideles à filiis hominum. *a probus.*
3 *Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa, in corde & corde locuti ſunt.*	3 Vana loquuntur vnuſquiſque ad proximum ſuum labio [b] doloſo: in corde & corde loquuntur. *b heb. blanditiarum:*
4 *Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.*	4 Excindat Dominus vniuerſa labia [c] doloſa: linguam magniloquam. *c heb. blanditiarum*
5 *Qui dixerunt, Linguam noſtram magnificabimus: labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?*	5 Qui dixerunt, Linguam noſtram roborabimus, labia noſtra nobiſcum ſunt: quis noſter Dominus eſt?

Digitized by Google

d heb. vaſtitatem

6 Propter [d] miſeriam inopum; propter gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus: ponam in ſalute, laqueum iniiciat illi.

e heb. munda:
f vel in catino terra,

7 Eloquia Domini, eloquia [e] caſta: argentum igne examinatum, [f] probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

g heb. eũ

8 Tu Domine ſeruabis eos: cuſtodies [g] eos à generatione hac in æternum.

9 In circuitu impij ambulant, cùm extollitur vilis aliquis apud filios hominum.

6 *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.*

7 *Ponam in ſalutari: fiducialiter agam in eo.*

8 *Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.*

9 *Tu Domine ſeruabis nos: & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.*

10 *In circuitu impij ambulant: ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.*

COMMENTARIVS.

Argumĕtum. *Opem Dei implorat Dauid ſatis longam querelam inſtituens de moribus ſui ſeculi, in quo omnia plena ſint fraudibus, & ſimulatione, & nulla in hominibus reliqua probitas aut fides: optátque vt Deus aſſentatrices & ſuperbè ſeſe efferentes linguas excindat. Poſtea Deum ipſum inducit loquentem, & opem pollicentem. Probabile eſt hoc carmen à Dauide eſſe factum, cùm à Doëg, & Ziphæis Sauli eſſet proditus, ac nullibi tutò hærere poſſet. Vide 1. Sam. 22. & 23. Neque dubium eſt quin aulicos præcipuè notet.*

1 *Super Octauam.* Vide ad verſ. 1. pſ. 6.

2 *Saluum me fac.* Orditur pſalmum à petitione, quæ eſt propoſitio. *Defecit ſanctus,* vel potiùs *probus* ſeu *beneficus*: חָסִיד *chaſidh,* enim propriè ſignificat virum probum, & beneficum, qui de aliis bene mereri ſtudeat, & ſuam operam, atque officium probare Deo, & hominibus: qui pio eſt affectu tum in Deum, tum in homines. Senſus ergo eſt, Magna eſt penuria proborum hominum, ac beneficorum: nulla reliqua eſt in hominibus probitas. *Deſierunt fideles* ſeu *veraces* &c. In Græco & Lat. *diminutæ ſunt veritates* &c. אֱמוּנִים *emunim*, certè & *veritates* ſeu *fidelitates*, & *veraces* ſeu *fideles* poteſt ſignificare: ſed prius membrum, vbi eſt adiectiuum, poſtulat vt hîc adiectiuè ſumatur: ac ſic D. Hieron. Ezra, Chald. & alij Hebræorum accipiunt. Senſus autem eſt, nuſquam tuta fides: omnes enim, ij etiam, quorum ego fide nitebar maximè, inſidias mihi comparant, ſtudioſè explorantes loca, in quibus delitеſco, vt me Sauli prodant. *A filijs hominum*, hoc eſt, à mortalibus, qui toti ex argilla & luto ſunt facti: in Heb. enim eſt אָדָם *adham*, quod hominem, vt terrenum, ſignificat, vti annotatum ad verſ. 5. pſ. 8.

3 *Vana* (*Vanum*) *loquuntur vnuſquiſque*

A &c. Senſus, Nulla nunc dictis fides, dum quiſque aliud ſentit ac loquitur, & falsò blandiendo aliud ore promit, aliud intus claudit, cúmque malè, vt Comicus ait, corde conſultet, bene loquitur lingua. *Labio doloſo*, ad verb. *blanditiarum*, eodem ſenſu: nam viſcus merus ac dolus nimiæ blanditiæ ſunt. Parum refert hoc ad primum, an ad ſecundum referatur membrum. *In corde & corde loquuntur*, id eſt, duplici corde, quippe qui verbis amicitiam profiteantur, cùm acerba odia intus occultent, atque ideo duplici veluti corde atque animo præditi ſint. Hoc ſenſu D. Iacobus *virum duplicem*
B *animo* dixit, Epiſt. cap. 1. Sic Græci, Latini, Galli dicunt *duplicem virum*, qui bene cùm dicat, malè retro cogitat, vt quidam ait: *cuius lingua*, vt eſt Ier. 9. 8. *ſagitta vulnerans* ſeu *exacuta*: vt enim hæc incautum & nihil cogitantem grauiter lædit, ſic lingua quæ *dolum loquitur*: ſic qui *in ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & in corde ſuo ponit inſidias ſuas*, vel vt in Vulg. *ponit ei inſidias*. Ierem. loco cit. Taxat hoc & præcedente verſu perfidiam hominum, ac præſertim aulicorum ſui temporis in genere, & quidem ex occaſione, quam dixi in argumento.

4 *Excindat* &c. Oratio, quæ, vt apud

Digitized by Google

Prophetas mos eſt, vim habet vaticinij. Nã viri ſancti quum ſceleratis hominib. imprecantur, non quid ipſi cupiãt, ſed quid illi mereantur, oſtendunt: aut quid illis tandem futurum ſit, denuntiant. Vertere potes *Excindet* &c. Sed præſtat propter verbum imper. modi, quod eſt in 2. verſu, vertere *Excindat*. *Linguam magniloquam*, id eſt, ſuperbè ſeſe efferentem, & magna crepantem, quum ait, oſtendit perſpicuè ſe de aulicis loqui potiſſimùm. Nam inferioris ſubſellij hominibus hoc non conuenit.

5 *Qui dicunt*, &c. Expolitio iſtorum verborum, *linguam magniloquam*. *Linguam noſtram roborabimus*, hoc eſt, Faciemus, vt lingua noſtra, atque eloquentia præualeat: facilè perſuadebimus quicquid voluerimus. Chaldæus interpretatus eſt *in lingua noſtra præualebimus*, necnon Raſi. Q. d. nos noſtra eloquentia nihil non efficiemus. Alij eodem ſenſu vertunt, *Propter linguam noſtram roborabimur*. *Labia noſtra nobiſcum ſunt*, ſeu penes nos ſunt: &c. hoc eſt, licet nobis dicere quicquid libet: neminem enim agnoſcimus ſuperiorem, aut Dominum. Huc refer illud veterum Hebræorum, *Quicunque nimiùm ſe effert, is Deum negat, quòd dictum ſit Deuter.* 8. 14. *Tum eleuetur cor tuum, & obliuiſcaris Domini Dei tui.* Hæc ſententia legitur apud Rambam in *Miſchne Thora*, Libro de *Scientia*, Tract. de *affectionibus*, cap. 2.

6 *Propter miſeriam*, ad verb. *vaſtationem* &c. Promittit ſibi Dauid ſalutem à Deo, & quidem non ſuo, ſed populi merito: & quò efficacior ſit ſermo, & altiùs piorum animos penetret, Deum ipſum facit loquentem, ac ſalutem pollicentem. *Inopum* ſeu *afflictorum*: vox enim hebraica עֲנִיִּים *aniiim*, vtrumque ſignificat. *Laqueum injiciat illi.* Ironica eſt conceſſio, hoc ſenſu, omnia experiatur Saul, nihil non tentet, moueat omnes machinas, tendat vndique laqueos ſtruátque inſidias, ego ipſum Dauidem ſeruabo. Potes vertere *ponam* (ſup. eum) *in ſalute (ab eo qui) laqueum injicit illi*, hoc eſt, ſeruabo eum, & in tuto conſtituam. Diſcere eſt ex hoc verſu Deum pauperum miſeriis ac gemitibus commotum, ac veluti expergefactum regibus ipſis opem ferre. Potes tamen ſic interpretari, *ponam* (ſup. eos) *in ſalute* (*ab eo qui*) *laqueum injicit illis*, inopibus videlicet & pauperibus: quo modo accipit Kimhi. Nihil obſtat quòd in hebræo eſt לוֹ *lo*, *illi*: ſæpe enim reperias ſingulare pro plurali: ac tunc ſingulare diſtributiuè exponi ſolet: exempli gratia hoc loco τὸ *illi* expo-

A nes vnicuique illorum, ac reddes Latinè *illis*, ſpectato magis ſenſu, quàm voce.

7 *Eloquia Domini* &c. Caue dicas, Non eueniet forſan quod dicit Dominus: nam *eloquia Domini* ſunt *eloquia caſta*, (heb. *munda*,) hoc eſt, vera, atque ab omni mendacij ſorde ac ſcoriis pura, ſúntque veluti *argentum igne examinatum: probatum terræ*, &c. Pro *probatum terræ*, alij vertunt *in catino terræ*: atque ita Chaldæus: alij (*à*) *Domino terræ*, Deo ſcilicet, qui ea expurgat, atque defæcat: alij aliter. Opti-
B mè & ad rem *in catino terræ*. Vbi nota addi *terræ*: ſiquidem catinus, atque eiuſmodi alia vaſa ex optima conficiuntur terra. Sed non malè in Græco & Latino *probatum terræ*: בַּעֲלִיל *baalil*, enim apud hebræos doctores, vt obſeruant Raſi, & Kimhi, ſignificat *euidens*, *apparens*. Cùm ergo dicit *probatum terræ*, hoc eſt, tam bonum, vt omnibus appareat & probetur. Et certè in לָאָרֶץ *laarets*, id eſt, *terræ*, eſt ל articulus datiui. *Septuplum*, id eſt, multoties: nam ſeptimus numerus pro magno numero vſurpatur in ſacris litteris. Sic Leu.
C 26. 24. *percutiam vos ſepties propter peccata veſtra.* Prou. 24 16. *ſepties cadet iuſtus*, &c. Geneſ. 4. 15. *omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur.* Aliàs fortaſſe copioſiùs dicetur de hac re.

8 *Tu Domine ſeruabis eos* pauperes, vel, vt vult Ezra, *ea* eloquia. Apoſtrophe eſt ad Deum, quaſi diceret, Ita erit, vt tu polliceris. Vel eſt oratio ad Deum, & potes vertere, *Domine ſerua eos*. *Cuſtodies eos*: ad verbum *eum*, hoc eſt, vnumquemque eorum: diſtributiuè enim explican-
D dum nomen vel pronomen ſingul. cum alio plurali iunctum, vt hîc. Fortaſſe tamen ſeipſum intelligit. Græc. & Lat. habent vtrobique *nos* pro *eos*: legerunt enim נו pro נו.

9 *In circuitu impij ambulant*, &c. Ratio eſt ſuperioris verſus, cur optet ſcilicet, aut roget pauperes aut ſe ſeruari. Impij, inquit, inuidiâ crepant, quum homo infimæ ſortis euehitur, ac tunc vndique in eius perniciem conſpirant, parantes inſidias: quod certè in me, qui ex paſtore rex ſum factus,
E quotidie experior. Hoc ſenſu accipit Raſi; ad cuius mentem vertendum *quum exaltatur vilitas filijs hominum*, hoc eſt, vt ipſe explicat, cùm extollitur vilis aliquis in oculis hominum. Eodem ſenſu accipit Ezra, niſi quòd explicat, *quum exaltantur* (*viri*) *vilitatis*. Nam ad זֻלּוּת *zulloth*, ſubaudiendum eſſe vult אַנְשֵׁי *anſche*, id eſt, *viri*. Profert ſimiles eclipſes ex Eſ. 3. 25. Ezech. 2. 8. pſ. 109. 4. Sed nihil eſt opus ſin-

gere eiuſmodi defectionem. Dic tantùm A abſtractum poni pro concreto. Kimhi ita habet ad hunc verſum, *In circuitu impij ambulant.* Quoniam improbi homines circum iuſtos obambulant, quò iſtis malefaciant: idcirco neceſſe eſt hos ab illis ſerues. *Cùm exaltantur, vilitas* (*eſt*) *filijs hominum*, (ſic enim ad Kimhi ſententiam vertendum) id eſt, quum extolluntur impij, iacent cæteri homines, actúmque prorſus de illis eſt, iuxta illud Prou. 29. 2. *Quum impij ſumpſerint principatum, gemet populus.* Sic ille. Adde, ſi placet, illud Prouerb. 28. 12. *cùm eucbuntur impij, inueſtigatur homo*, vel, vt eſt in Vulgata, *regnantibus impijs ruinæ hominum.* Necnon illud eiuſdem cap. ver. 28. *Quum ſurrexerint impij, abſcondentur homines.* Priore ſenſu accepit D. Hieron. qui vertit, *In circuitu impij ambulabunt, cùm exaltati fuerint viliſsimi filij hominum.* Menachem exponit כְּרֻם *cerum*, quod ad verbum videtur eſſe *ſecundum exaltari*, pro כְּרִים *cerem*, id eſt, *ſicut rhinoceros*, ſeu *monoceros*, & זֻלּוּת *zulloth*, C pro זוֹלֵל *zolel*, id eſt, *vorator*, vt hæc ſit ſententia huius verſus, *In circuitu* pauperis ac miſeri *ambulant impij*, vt ipſum deuorent atque abſorbeant, *ſicut rhinoceros vorator* (ſeu *voracitatis*) *ad filios hominis*, hoc eſt, ad vorandos homines ſolet diſcurrere. Ita ferè Menachem. Sed hoc videtur omnino coactum, & alienum eſſe à Grammatica. Chaldæus tamen ad eundem ferè modum accepit, qui interpretatus eſt, *Circùm, circùm impij ambulant, ſicut ſanguiſuga, quæ exugit ſanguinem filiorum hominis.* Quid cauſæ ſit cur Græcus & Lat. verterint in poſteriore huius verſus membro, *ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*, prorſus neſcio, niſi fortè pro זֻלּוּת *zulloth*, quod *vilitatem* ſonat, legerunt דַּלִּיתָ *dillitha*, hoc eſt, *exaltaſti*, quod optimè Græc. expreſſerit, B ἐπολυώρησας, *multa cura dignatus es*; Lat. *multiplicaſti.* Nam quod ad כְּרֻם *cerum*, attinet, facilè profectò potuerunt interpretari *ſecundùm altitudinem* ſup. *tuam.* Senſus porrò Græcæ & Lat. verſionis non eodem modo ab omnibus Interpretibus exponitur, dum in re obſcura ſuis quiſque coniecturis nititur. Si mihi liceat attingere etiam Græcam illam & Lat. editionem, hanc puto eſſe vtriuſque ſententiam in hoc verſu, Circumquaque in tuorum perniciem diſcurrunt ſcelerati: at, ô Domine, pro tuâ altitudine tuos exaltare ſoles, ac curam geris miſerorum. Nempe per *filios hominum* promptum eſt intelligere miſeros & abiectos homines, quales plerumque pij eſſe ſolent, quos præſertim ſuâ curâ dignatur Deus. Par huic ferme occurret ſententia pſ. 103. 11. *Quoniam ſecundùm altitudinem cœli à terra*, (heb. *ſuper terram*,) *corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.*

Digitized by Google

PSALMVS

XII. XIII.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Pſalmus
Dauid.
2 *Vſquequò Domi-*
ne obliuiſceris me in fi-
nem? vſquequò auer-
tis faciem tuam à me?
3 *Quamdiu ponam conſilia in anima*
mea: dolorem in corde meo per diem?
4 *Vſquequò exaltabitur inimicus*
meus ſuper me? reſpice, & exaudi me
Domine Deus meus.
5 *Illumina oculos meos ne vmquam ob-*
dormiam in morte: nequando dicat ini-
micus meus: Præualui aduerſus eum.
6 *Qui tribulant me, exultabunt ſi mo-*
tus fuero: ego autem in miſericordia tua
ſperaui.
7 *Exultabit cor meum in ſalutari tuo:*
cantabo Domino qui bona tribuit mi-
hi: & pſallam nomini Domini altiſ-
ſimi.

NOVA.

PRAECENTORI, Pſal-
mus Dauid.
2 Vſquequo Domi-
ne obliuiſcêris mei in
æternum? vſquequo
abſcondes faciem tuam à me?
3 Vſquequo ponam conſilia in ani-
ma mea, dolorem in corde meo per
diem? vſquequo exaltabitur inimicus
meus ſuper me?
4 Reſpice, exaudi me, Domine
Deus meus: illumina oculos meos
ne vnquam obdormiam in mor-
tem.
5 Nequando dicat inimicus meus,
Præualui aduerſus eum: [a] qui tribu- [a] hoſtes mei
lant me, exultent, ſi [b] motus fuero. [b] vel nutauero.
6 Ego autem in miſericordia tua
ſperaui; exultabit cor meum in ſalute
tua: cantabo Domino, quia bona tri-
buit mihi.

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *DAuid in maximis anguſtiis conſtitutus vicem ſuam miſeratur, & auxilium Dei implorat, ſperans, ac certò ſibi pollicens non fore irritas preces.*

2 *Vſquequò Domine obliuiſceris mei* &c. A hoc eſt, curam mei abiicies: differes auxiliũ, ac talẽ te mihi exhibebis, ac ſi mei prorſus eſſes oblitus? Hoc dicitur ἀνθρωποπαθῶς, ſicut & quod ſequitur, *abſcondes faciem tuã à me*, hoc eſt, nõ me dignaberis aſpectu, imò vultum à me auertes. *Abſcondere faciem ab aliquo* indignationem & odiũ notat, & grauius eſt, quàm *obliuiſci*. Querela eſt in hoc & ſequente verſu, quæ interrogatione conſtat. Ad querelas enim imprimis accommodatæ ſunt interrogationes, quæ acriores & vehementiores ſunt, & ad excitandam miſerationem potentiores.

3 *Vſquequo ponam conſilia* &c. Quouſque neceſſe habeo mecum inire conſilia, (meipſum excruciando & anxiè deliberando) quo pacto ex diſcrimine, in quo nunc verſor, poſſim euadere? *Per diem*, id eſt, interdiu etiam, quando alioquin mortales negotiis addicti ſuarum curarum obliuiſci ſolent; nam vſque adeo multi ſunt dolores mei, vt ex animo nunquam recedant. *Vſquequo exaltabitur* &c. quouſque mihi ac fortunis meis dominabitur? Ita ferè Kimhi.

4 *Reſpice, exaudi* &c. Querelæ ſubiungit precationem, quæ eſt propoſitio.

Digitized by Google

Reſpice eſt contra illud primi verſus, *abſcondes faciem tuam à me*: quaſi diceret, Tu qui hactenus viſus es vultum à me auertiſſe, nunc tempus eſt, vt ad me oculos & aures conuertas. *Domine.* In Hebræo eſt יהוה quod eſt nomen Dei proprium: perinde ac ſi dicat, tu qui Deus es, & potes me ſeruare. *Deus meus.* In Hebræo eſt אֱלֹהָי *elohai*, quod Deum, vt iudicem, ſignificat: perinde ac ſi dicat, tu, qui cùm iudex omnium ſis, ius meum debes tueri, meáſque iniurias ab hoſtibus perſequi. *Illumina*, me reſpiciendo, *oculos meos* tot miſeriis, ac calamitatibus, veluti tenebris, obcæcatos. Frequens eſt in ſacris litteris, vt luce, ac lucernâ proſperitatem, gloriam, ac fœlicitatem, ſic tenebris miſerias, ærumnas, ac calamitates metaphoricè ſignificari. Probat hoc vnus hic locus Iob 15. 22. *Non credit, quòd reuerti poſſit de tenebris*, ſcilicet calamitatum. Addo illud Iob 17. 12. in edit. vulg. (nam aliter in heb.) *poſt tenebras ſpero lucem*. Sunt multa his ſimilia. Ratio forſan huius metaphoræ eſt, quòd in rebus proſperis & ad voluntatem fluentibus omnia apparent lucida, ac ſplendida magis, quippe ſpiritibus ipſis tunc lucidioribus: contrà verò in calamitatibus, ſpiritibus perturbatis, oculi caligant: ideóq; tunc aſpectus omniũ rerũ ſqualidior, & videntur cuncta tenebris inuolui. *Obdormiam (in) mortem.* Deeſt hebraicè particula *in*. Iuxta Ezram, Kimhi, & alios vertendum, *dormiam (ſomnum* ſeu *dormitionem) mortis*: ſiquidem nomina, vt obſeruat Ezra, ſunt בְּכֹחַ הַפְּעָלִים *in vi* ſeu *virtute verborum*, hoc eſt, nomina verbalia in ipſis verbis includuntur. Quòd mors ſomnus appelletur non eſt neceſſe admonere. Ier. 51. 59. *Dormiant ſomnum ſempiternum*, hoc eſt, æterna morte moriantur. Chriſtus Ioh. 11. *Lazarus*, inquiebat, *amicus noſter dormit*, hoc eſt, mortuus eſt: *ſed vado vt à ſomno*, id eſt, morte, *exuſcitem eum*. Chaldæus porrò hunc verſum ſic interpretatus eſt, *Attende & accipe orationem meam Domine Deus: illumina oculos meos in lege tua, ne fortè peccem, & dormiam cum reis mortis.*

A

5 *Nequando dicat inimicus*, &c. Accipe hunc verſum, vt ſonat, hoc ſenſu, Nequando glorientur hoſtes, ac triumphent, ſi vel paululum nutauero. Chaldæus tamen per *inimicum*, fomitem peccati intelligit, ac ſic interpretatur hunc verſum, *Ne fortè dicat fomes malus, Dominatus ſum ei: hoſtes mei exultent, quòd declinauerim à ſemitis tuis.* In ſententia nimirum Chaldæi interpretis petit edoceri legem Dei, ne peccet, tandémque vnà cum impiis æterna morte

B

pereat: ne peccet, indéque hoſtes exultandi occaſionem habeant.

6 *In miſericordia tua ſperaui* te mihi ſalutem allaturum: etſi enim tua ope ſum indignus, facies tu id propter tuam miſericordiam. Sic Kimhi. *Exultabit cor meum in ſalute tua*, hoc eſt, quum ſalutem mihi attuleris. *Cantabo Domino, quia bona tribuit mihi.* Loquitur quaſi iam beneficio ſperato potiretur, & ex malis emerſiſſet: id quod ſæpe facit Dauid, ſiue vt Propheta, ſiue vt certus omnino non defuturum Deum. Vel ſenſus eſt, Tunc, quum mihi

C

Deus opem tulerit, cantabo Domino, quoniam mihi benefecerit. Nota obiter verbum גָּמַל *gamal*, quod vulgò redditur *retribuere*, non ſemper ſignificare par pari referre, ſeu idem reponere, nimirum beneficium pro beneficio, iniuriam pro iniuriâ, ſed etiam priorem conferre in aliquem, vel bonum, hoc eſt, *benefacere*, vel malum, hoc eſt, *malefacere*, vt obſeruat Kimhi ad verſum 4. cap. 3. Ioëlis: ac citat quidem illic, vt probet hoc verbum ſignificare *priorem conferre*, hunc locum, & alium

D

pſal. 137. 8. *beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis*, vbi vltimum verbum, *retribuiſti*, de paris relatione intelligi non poteſt. Obſeruat etiam quando coniungitur cum verbo שִׁלֵּם *ſchillem*, tunc ſignificare *compenſationem*, vt in illo loco Ioëlis cit. Hîc ſignificat *priorem conferre*: vnde bene in Vulgata *bona tribuit*: quaſi dicat Deum priorem ſibi bona contuliſſe. Bene quoque in Græco τῷ εὐεργετήσαντί με. Hoc verbum, quando Deo tribuitur, in hanc partem potiùs accipiatur.

Digitized by Google

PSALMVS

XIII. XIV.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Pſalmus Da-uid.
Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.
2 *Corrupti ſunt, & abominabiles fa-*
cti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat
bonum, non eſt vſque ad vnum.
3 *Dominus de cælo proſpexit ſuper fi-*
lios hominum, vt videat ſi eſt intelligens,
aut requirens Deum.
4 *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles*
facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non
eſt vſque ad vnum.
5 *Sepulchrum patens eſt guttur eorum:*
linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſ-
pidum ſub labiis eorum.
6 *Quorum os maledictione & amari-*
tudine plenum eſt: veloces pedes eorum
ad effundendum ſanguinem.
7 *Contritio & infelicitas in viis eo-*
rum, & viam pacis non cognouerunt:
non eſt timor Dei ante oculos eorum.
8 *Nónne cognoſcent omnes qui ope-*
rantur iniquitatem, qui deuorant plebem
meam ſicut eſcam panis?
9 *Dominum non inuocauerunt, illic*
trepidauerunt timore, vbi non erat ti-
mor.
10 *Quoniam Dominus in generatione*
iuſta eſt, conſilium inopis confudiſtis:
quoniam Dominus ſpes eius eſt.
11 *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël?*
cùm auerterit Dominus captiuitatem ple-
bis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur
Iſraël.

NOVA.

PRAECENTORI (Pſalmus) Dauid.
Dixit inſipiens in corde ſuo, Non (eſt) Deus: corrupti ſunt, [a]abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt qui faciat bonum.

a heb. *abominandum fecerunt opus*

2 Dominus de cœlo proſpexit ſu-
per filios hominum, vt videat ſi eſt
intelligens: requirens Deum.
3 Omnes declinauerunt, ſimul fœ-
tuerunt, non eſt qui faciat bonum:
non (eſt) [b] vſque ad vnum.

b heb. *etiā vnum.*

4 Nónne cognoſcent omnes [c] qui
operantur iniquitatem; qui deuorant
plebem meam, (ſicut) deuorant pa-
nem: Dominum non inuocant?
5 Illic timebunt timore: quoniam
Dominus in generatione iuſti (eſt.)
6 Conſilium inopis [d] confunditis:
quoniam Dominus ſpes eius (eſt.)
7 Quis dabit ex Sion ſalutem Iſ-
raël? cùm conuerterit Dominus ca-
ptiuitatem plebis ſuæ, exultabit Ia-
cob, lætabitur Iſraël.

c heb. *operatores iniquitatis;*

d heb. *confūdetis*

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *QVeritur omnia plena eſſe impiis, & contemptoribus Dei, qui potentiâ ad tenuiorum perniciem abutantur. Eorum ingenium pulchrè deſcribit. In eos inuehitur diuinam vltionem prædicens, piis contrà ſalutem precans, ac pollicens. Vide plura de argumento ad poſtremum verſum.*

1 *Dixit inſipiens* &c. Orditur à fonte om- A
nium ſcelerum impietate. *Inſipiens.* Non ſignificat hîc, vt & aliàs ſæpe, *inſipiens*, qui ratione careat, ſed qui ratione, quâ interdum pollet, abutatur. *In corde ſuo.* Nec ipſi enim, inquit D. Aug. hoc loco, ſacrilegi & deteſtandi quidam philoſophi, qui peruerſa & falſa de Deo ſentiunt, auſi ſunt dicere, *Non eſt Deus.* Ideo ergo, inquit, dixit *in corde ſuo*: quia hoc nemo audet dicere, etiamſi auſus fuerit cogitare. Similiter dicit pſ. 10. 11. *Dicit in corde ſuo, Obliuiſcitur Deus*: &c. necnon verſu 13. eiuſdem pſalmi, *dicit* B
in corde ſuo, (Quòd) non inquires? Non eſt Deus. Non eſt hîc יְהוָה quod Deum, vt primum ens, ſeu ens entium, ſed אֱלֹהִים *Elohim*, quod Deum, vt iudicem ac gubernatorem, ſignificat: quaſi velit dicere, non inueniri quidem qui Deum eſſe inficientur, ſed eſſe quammultos qui negent Deum curare ac regere res humanas, bonis præmia largiri, ſcelera vindicare: atque idcirco eò excreuiſſe hominum malitiam, nihil vt iam vereantur peccare, ſed libenter, neque pœnam metuentes in omnia vel maximè C
deteſtanda ſcelera ſe proijciant; & ne vnus quidem eorum virtuti ſtudeat; quò pertinet altera pars verſus, *non eſt qui faciat bonum*, quod hyperbolicè dictum accipi debet, quaſi hoc velit, neminem ferè eſſe qui prauâ illâ de Deo opinione non ſit imbutus, adeòque non libenter peccet, ac multò minùs virtutem colat. *Corrupti ſunt.* In hebræo *corruperunt* ſup. viam ſuam. Sic Gen. 6. 12. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* *Abominabiles facti ſunt* &c. In heb. *abominandum fecerunt opus.* Pſ. 53. qui huic D
eſt ferè prorſus ſimilis, eſt ad verbum in hebræo *abominandam fecerunt iniquitatem.*

2 *Dominus de cælo proſpexit* &c. Pingit Deum è ſummis cælis quid faciant mortales conſiderantem: quod dum facit, manifeſtè profectò eorum refutat opinionem, qui non curare Deum ac ne cognoſcere quidem res humanas ſentiunt. Alibi, vt Gen. 18. 21. & aliis in locis, dicitur Deus deſcendere, vt ſciat quæ in terris geruntur: at hîc pronuntiat Deum è cælo, quaſi è feneſtra, in terras proſpicere, apertè eos irridens, de quibus egerat in primo verſu: qui, vt eſt Iob 22. 14. ſibi perſuadent nubes eſſe latibulum Deo, quæ ipſum impediant ne noſtra videre poſſit. Non ideo igitur ait hoc loco Deum deſcendere, ne impiorum & prophanorum hominum opinioni videretur fauere.

3 *Omnes declinauerunt*, &c. Sic coniunge, Et ecce dixit, Dominus ſcilicet, *Omnes declinauerunt* à via recta, &c. סָר *ſar*, ex Ezra & Kimhi vertendum *declinauerunt*, ſeu *declinauit*: ex aliis, teſte Kimhi, *retroceſſerunt*, ſeu *retroceſſit*, vt idem ſignificet quod סָג *ſagh*, quod pro hoc vſurpatur pſ. 53. qui prorſus eſt huic ſimilis: iuxta alios *fætuerunt*, ex ſignificatione סְרִי *ſeri*, in lingua Chaldaica: & huc congruit id quod mox ſequitur. *Fætuerunt*, hoc eſt, corrupti ſunt, iuxta Ezram. Metaphorica eſt locutio. Chald. habet *pigri facti ſunt*, ſeu *torpuerunt*: quem ſenſum etiam Latinus eleganter expreſſit, *inutiles facti ſunt.* Porrò hæc iam non à Dauide, ſed ab ipſo Deo dicũtur, vt paret ex verſ. 4. vbi dicitur *plebem meam.* Deo ſermonem tribuit, vt plus auctoritatis habeat oratio. Poſt hunc verſum non leguntur in hebræo tres verſus, qui à Græco. & Latino interprete hîc inſerti ſunt ex cap. 3. Epiſt. ad Rom. vbi varia ſcripturæ teſtimonia congerit Apoſtolus. Primus illorum deſumptus eſt ex pſal. 5. 10. & pſal. 140. 3. Secundus ex pſalm. 10. 17. & Eſa. 59. 7. & Prouerb. 1. 16. Tertius ex eodem cap. Eſaiæ verſ. 7. & 8.

4 *Nónne cognoſcent* tandẽ ſuo magno malo eſſe Deum, & iuſtum iudicem, qui animaduertat in ſcelera? In heb. *cognouerunt*, præt. pro fut. vt ſæpiſſimè in prophetiis ac prædictionibus. Accipe tamen, ſi vis, præteritum, vt ſonat, hoc ſenſu, Nónne (vel Num) ſcelerati iſti cognouerunt, quaſi dicat, non: hîc enim הֲלֹא *halo*, *nónne*, ſiue *num*, eſt admirantis, vt obſeruat Kimhi, vel, vt noſtri volunt, obiurgantis, ſeu increpantis, perinde ac ſi dicat, Num iſti mente præditi ſunt, ac non potiùs deſipiunt & delirant prorſus, qui ſibi perſuadentes *non eſſe iudicium, nec iudicem*, vt loquuntur He-

Digitized by Google

bræi, interea omni ſcelere ſe contaminãt, ac populi mei fortunas ſine metu ac peccati conſcientia deuorant? quod ſignificat illud *deuorant*, ſeu *comedunt plebem meam, (ſicut) deuorant panem*, ſeu (*perinde ac ſi*) *comederent panem*. Emphaſim habet hæc metaphora, cui haud diſſimilis extat Num. 14. 9. *neque timeatis populum terræ huius, quia panis noſter ſunt*, quod Latinus explicat, *quia ſicut panem, ita eos poſſumus deuorare*, hoc eſt, facilè ac nullo negotio. Lucem adferet loco huic locus Prou. 30. 14. *Eſt generatio cuius dentes ſunt gladij, & cultri molares eius, vt deuorent inopes de terrâ, & pauperes ex hominibus*: necnon Iob 29. 17. *Et conterebam molares iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*. Sed inſtar omnium eſt ille, qui occurrit Michææ 3. verſu 2. & ſequente, *qui violenter tollunt (diripiunt) pelles eorum deſuper (ab) eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum. Et qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper eis excoriauerunt: & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt, ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ*: quibus verbis ſignificatur principes & duces domus Iſraël, de quibus ibi queritur Deus, tenuiorum bona ac fortunas, quæ reficiendo corpori, & vitæ ſuſtentandæ neceſſariæ eſſent, incredibili cupiditate deuoraſſe, ideóque eorum veluti pellem detraxiſſe, carnem comediſſe, oſſáque concidiſſe. Vulgatum eſt illud apud Latinos prouerbium, *Piſces magni paruulos comedunt*. Fortaſſe iſta phraſis ſignificat crudeliter ſæuire, & quidem cum animi voluptate, vt quibus obſonium ſit bonos & pios affligere. D. Aug. ad hunc locum ſic habet: *Qui deuorant populũ meum, ſicut cibum panis*, id eſt, quotidie. Cibus enim panis quotidianus eſt. Deuorant autem populum qui ſua commoda ex illo capiunt, non referentes miniſterium ſuum ad gloriam Dei, & ad eorum, quibus præſunt, ſalutem. Hactenus ille. *Plebem meam*. Pauperes, innocentes, ac miſeros Deus nominat plebem ſuam, vt qui illi peculiariter curæ ſint. *Dominum non inuocant*, ad verb. *inuocauerunt*? quippe qui non putant aliquod eſſe numen, quod his terris præſit, réſque & facta hominum curet, ac gubernet, ſed omnia ad neceſſitatem fati, aut fortunæ temeritatem eſſe referenda. Potes ſic reddere ad mentem quorundam Hebræorum, *comedentes populum meum comederunt panem: Dominum non inuocauerunt*: hoc ſenſu, propterea quòd ipſi comedunt populum meum, nec tamen hactenus deſierunt comedere panem; perinde ac ſi diceret, quoniam illi non perierunt, ſed impunè illis fuit, induxerunt animum nullum eſſe Deum ſcelerum vindicem: ac propterea *Dominum non inuocauerunt*, hoc eſt, Deum non colunt, quem non arbitrantur ſe cernere: aut, quod in idem recidit, perſeuerant in ſceleribus, neque reſipiſcunt, aut ad Deum ſe conuertunt eius miſericordiam implorantes.

5 *Illic timebunt*, ab verb. *timuerunt*, præt. pro fut. vt verſu præcedente. *Illic*, hoc eſt, in loco, vbi operantur iniquitatem, & deuorant plebem meam.

6 *Conſilium inopis* &c. Subita eſt apoſtrophe Dauidis ad impios: perinde ac ſi diceret Dauid verba ipſius Dei excipiens: Et verò vos, ô impij, piorum conſilium irridere, ac confundere ſoletis: hanc enim habet vim futurum, quod in Hebræo eſt.

7 *Quis dabit* &c. Votum eſt ipſius Dauidis, quo piis ac miſeris opem à Deo precatur. Dicit autem *ex Sion*, quoniam Arca, in quâ Deus præſertim ſuam præſentiam oſtendebat, tunc eſſet in Sion: quo modo pſal. 20. 2. *de Sion tueatur te*. Fortaſſe Dauid animo tunc præſagiens futuras captiuitates in hoc votum ſubitò erupit. Neque alienum eſſet propter hunc verſum, in quo captiuitatis fit mentio, totum pſalmum accipere quaſi dictum à Dauide diuino numine afflato, in perſonâ eorum qui futuri erãt captiui in Babylonia, qui quidem de impietate ac crudelitate hoſtium querantur, & ſalutem à Deo efflagitent. Neque dubium eſt, quin Dauid hoc vltimo verſu ſubito enthuſiaſmo correptus de ſpiritali captiuitate, atq; ideo ſpiritali liberatione per Chriſtum futura, præſertim cogitarit. *Quis dabit*, id eſt, vtinam detur, vt ſæpe in ſacris litteris: éſtque vox non dubitantis, ſicut ignaris linguæ hebrææ videri poteſt, ſed optantis: vota autem ſanctorum, quod volo diligenter obſeruari, in ſacris litteris vim habent prædictionum certò euenturarum.

Digitized by Google

PSALMVS

XV. XIV.

VERSIO

NOVA.

PSalmus Dauid.

1 Domine, quis diuerſabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in monte ſancto tuo?
2. Qui graditur [a] ſine macula, & operatur iuſtitiam, & loquitur veritatem in corde ſuo.
3 Qui non detrahit [b] lingua ſua, nec facit proximo ſuo malum, & opprobrium non accipit aduerſus propinquum ſuum.
4 [c] Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius [d] malignus, timentes autem Dominum glorificat: iurat affligere (ſe,) & non mutat.
5 Pecuniam ſuam non dat ad vſuram, & munera ſuper innocentem nō accipit: qui facit hæc non [e] mouebitur in æternum.

a heb. *integer,*
b ad verb. *ſuper linguam ſuā,*
c *Contemptus eſt*
d ad verb. *reiectus, ſeu reprobatus,*
e *labetur*

VETVS.

PSalmus Dauid.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?
2 *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam:*
3 *Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua:*
4 *Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.*
5 *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat:*
6 *Qui iurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.*
7 *Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.*

COMMENTARIVS.

Argumentū. DOcet *qui futuri ſint cœlorum ciues, Dei, atque æternæ vitæ hæredes: vel, qui* ciues *ſeu* conciues ſanctorum, & domeſtici Dei, *hoc eſt, qui vera Eccleſiæ membra cenſeri debeant; quod potiùs puto propter verbum* גור gur *primi membri primi verſus, quod eſt propriè* peregrinari, & tanquam in hoſpitio diuerſari, *ſeu* modicùm habitare, *atque idcirco Eccleſiæ, quæ piorum hoſpitium, non domicilium eſt, rite conuenit, non item cœlis Beatorum æterno domicilio: etſi non nego verbum hebraicum etiam pro* habitare *&* commorari *ſimpliciter ſumi: quo modo accepit hîc Vulgatus. Hos igitur Eccleſiæ, ſiue Regni cœleſtis ciues verè cenſendos ait, qui, dum verſantur in his terris, integris ſunt moribus, iuſtitiam colunt, ex animo ſemper loquuntur: obtrectant aut iniuriam faciunt nemini, ac ne quidem aures calumniatoribus præbent: qui ſceleratos quantumuis florentes deſpiciunt, pios contrà licet obſcuros obſeruant, ac ſi quid arduum vouerint, ſententiam nunquam mutant: lucrum ex alterius damno non captant, nec vnquam ſe corrumpi muneribus patiuntur. Quotquot, inquit, ſic ſe gerunt, veri ſunt & nunquam expungendi Eccleſiæ aut cœleſtis regni ciues.* Epheſ. 2.

1 *Domine, quis diuerſabitur* &c. Deo quæſtionem proponit grauiſſimam, Quinam A æternæ vitæ futuri ſint hæredes: aut qui de Eccleſia verè cenſeri debeant. *In taber-*

Digitized by Google

naculo. Non dicit Templo, quia nondum erat extructum templum, ſed tantùm tempore Salomonis. Arcæ Dauid tabernaculum tetenderat, 1. Paral.15.1. *In monte ſancto tuo*, heb. *ſanctitatis tuæ*. Intelligit montem Sion, Arcæ domicilium: vel montem Moriam, in quo extruendum erat templum. Alij *tabernaculum Dei*, & *montem ſanctitatis eius* cœlos interpretātur. Quòd Cœli appellari poſſint *tabernaculum Dei*, docet illud Eſ.40.22. *qui extendit velut cortinā* (in Vulg. *velut nihilum*, & ſic in Chald. כִּזְעֵר *cizer*, *velut parum*: in Græco ὡς χαμάρᾳν) *cœlos & expandit eos, ſicut tabernaculum ad inhabitādum*. Sic D. Paulus ad Heb. 8. volens probare Chriſtum æternum eſſe ſacerdotem, cum ait eſſe *ſanctorum miniſtrum, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo*, quaſi diceret eum Sacerdotis officio fungi, ac veluti ſacris operari in cælo vero tabernaculo, quod cariem ſentire non poteſt, vt illud quod Beſeleel in deſerto extruxit. Quanquam ibi per tabernaculum verum intelligi poſſunt fidelium animæ, in quibus Deus, tanquam in tabernaculo, inhabitat, & quæ ſunt templum eius ſanctum.

2 *Qui graditur* &c. Inducitur iam Deus loquens, & reſpondens quæſtioni. *Qui graditur* &c. Ad verb. *Ambulans integer*, vel iuxta alios *(in) integra*, ſup. via, vel denique *(in) integritate*: quæ omnia eundem ſenſum faciunt. Hìc verbum *ambulandi* non vſurpatum quatenus negat moram, vt pſal.1.1. vbi coniunctum eſt cum verbis *ſtandi* & *ſedendi*, ſed quatenus dicit continuum ac perpetuum motum, ideóque aſſiduam ac perpetuam conſuetudinē hìc notat. *Loquitur veritatem in corde ſuo*, hoc eſt, non aliter loquitur, quàm ſentit, nec *vnus eſt in ore, alter verò in corde*, vt loquuntur Hebræi. *Loqui veritatem in corde* eſt loqui veritatem, quæ ſit in corde, & id dicere quod habeas in animo: & contrarium eſt τῷ *in corde & corde loqui*, de quo ſuprà ad verſ.3. pſ.11. & τῷ *linguam loqui mendacium* ſeu *dolum*.

3 *Nec facit proximo ſuo malum*. *Proximo* dicit, quòd cum proximo frequentiùs nobis ſit negotium, non quòd aliis liceat malefacere. Vel per *proximum*, non tantùm intelligit eos, cum quibus familiaris vſus intercedit: ſed omnes homines, inter quos communis ſocietas debet eſſe. Sic Exod.20.16. *Non loquèris contra proximum tuum falſum teſtimonium*: & multa alia ſimilia. *Opprobrium non accipit* ore, id eſt, non profert: vel aure, id eſt, non admittit. Sic Exod. 23.1. *Non ſuſcipies* ſeu *aſſumes vocem mendacij*: qui locus duplicem ſenſum habere poteſt: vnum, qui eſt Chaldæi, & Raſi, Non

A admittes rumorem falſum: alterum, Ne ſis auctor falſi rumoris: atque hic verior eſt ſenſus propter ſimilem phraſim, quæ occurrit Exod. 20.7. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui* &c. & vltimo modo accipienda eſt.

4 *Ad nihilum deductus eſt* &c. Ad verb. *Contemptus eſt in oculis eius reiectus* ſeu *reprobatus*, propter malitiam ſcilicet: hoc eſt, Contemnit ille atque auerſatur ſceleratos. Hoc ſenſu accepit Raſi, etſi aliter conſtruit, ſic nimirum, *Contemptus*, ſcilicet ob impietatem, *in oculis eius eſt reiectus*: quod
B non alium ſenſum facit, quàm qui in Vulgata. Nota obiter phraſim Latini interpretis, *ad nihilum deduci*, pro, contemni ac pro nihilo haberi: quo ſenſu occurrit pſal. 59.9. *ad nihilum deduces omnes gentes*, vbi hebraicè, *ſubſannabis omnes gentes*. Pſ.58.8. *Ad nihilum deuenient*. Pſ. 78.59. *ad nihilum redegit*, vbi in Fonte *ſpreuit*. Accepit Latinus phraſim illam à Græco, qui habet vtrobique verbum ἐξουδενῶ, quod ſignificat *in nihilum redigo, pro nihilo habeo*. Ad mentem Ezrę, Kimhi, & aliorum vertendum
C eſſet, *Contemptus eſt in oculis ſuis (&) abiectus*, hoc ſenſu, Modeſtè ſemper de ſe ſentit, & quicquid boni facit, nihili æſtimat, præut quæ tenetur facere ad gloriam ſui Creatoris, quod autem aliquis alius, plurimi, alios ſemper ſibi longè præferens, & eorum perfectionem ſtudens aſſequi: cúmque fecerit omnia, quæ præcepta ſunt ſibi, dicit, Seruus inutilis ſum: quod debui Luc 17. facere, feci. Optima ſententia, & quam etiam ſequutus eſt Chaldæus. Sed priorem ſententiam poſtulare videtur ſequens
D membrum, *timentes autem Dominum glorificat*, vt ſit eiuſmodi antitheſis, Improbos, quamuis florentes opibus ac dignitatibus, nullo loco habet: timentes autem Deum colit atque obſeruat, obſcuri ſint licet, & nullius ordinis. *Iurat affligere* ſe vel corpus ſuum ieiunio, planctu, voluptatibus corporis abſtinendo, facultates largiendo. Ita Chaldæus, Raſi, Ezra, Kimhi, & alij: necnon D. Hieron. qui vertit, *iurat vt ſe affligat*, &c. Fruſtra repugnat huic interpretationi ſiue Vatablus, ſiue is
E qui falsò Vatabli nomen ſibi vendicat, necogatur admittere vota religionis, vt ieiuniorum & abſtinentiæ, eſſe adimplenda. Poteſt Vulgata, *qui iurat proximo ſuo, & non decipit*, locum habere, legendo לְהָרֵעַ *leharea*, vbi Hebræi לְהָרַע *lehara*. Facit tamen difficultatem ה emphaticum, quod propter ל eſſet excludendum, quamquam interdum manet. Symm. vertit ὀμόσας ἑταίρος εἶναι, καὶ μὴ ἀλλαγεὶς: Aquila, τοῦ κακῶσαι: Græcus Vulgatus Ὁ ὀμνύων

Digitized by Google

τῷ πλησίον αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἀθετῶν.

5 *Ad vſuram.* Fœnus illicitum intelligit. Fœnus quatenus licitum, & quatenus illicitum ſit habendum, nihil nunc attinet diſputare. Quid Kimhi de vſura ad hunc locũ ſcribat, tantùm accipe: Dauid hic, & Ezechiel cap. 18. 8. non prohibuerunt, niſi quod Lex prohibuit. Lex verò vſuram non prohibuit niſi cum Iſraëlita, non autem cum alienigena, cum quo licita eſt, ex Deut. 23. 19. vbi legitur, *Non fœnerabis fratri tuo fœnus pecuniæ, fœnus cibi, fœnus cuiuſcumque rei quæ fœnori dari ſolet.* v. 20. *Alieno fœnerabis; fratri autem tuo non fœnerabis.* Qui locus minimè eſt intelligendus de rapina, furto, re amiſſa, quæ retineatur, aut re per vim ſurrepta. Nam alienigenæ etiã non licet vim vllã inferre, aut eius bona diripere, aut fortunas expire. De vſura tantùm, quæ ipſo volente & ſciente acquiritur, accipiendus eſt iſte locus: eſt enim licita. Nam cùm Iſraëlita teneatur beneficio alterum Iſraëlitam deuincire, mutuum autem abſque fœnore beneficium ſit, & interdum maius quàm donum, ſiquidem multos pudeat dono accipere, non item mutuò, non ſic Iſraëlita cum Gentili tenetur facere. Is enim non tenetur beneficium in hunc conferre, nec ſuam pecuniam gratis mutuare: ſiquidem vt plurimùm eiuſmodi homines Iſraëlitis ſunt infenſi. Verùm proculdubio ſi Iſraëlita quiſpiam à Gentili beneficio ſit affectus, tenetur ille quoque hunc beneficio afficere. Atque prolixior hîc eſſe volui, inquit ille, vt haberes quod Nazarenis (Chriſtianos ſic vocat) reſponderes, qui dicunt non diſtinxiſſe Dauidem inter Iſraëlitam & Gentilem, ſed omnem vſuram prohibuiſſe. Verùm, inquit idem, abſurdum eſt dicere prohibuiſſe Dauidem id, quod Moyſes Magiſter meus verbis Dei permiſerit: cùm dictum ſit in Lege, Deut. 12. 32. *Quidquid ego præcipio vobis, cuſtodietis vt faciatis: non addes ad illud, neque diminues ex eo.* Sic ille ferè, cui facile eſt reſpondere ex D. Thoma 1ª. 2.ª quæſt. 105. art. 3. ad 3.um quòd accipere vſuras ab alienis non erat ſecundùm intentionem Legis: ſed ex quadam permiſſione propter pronitatem Iudæorum ad auaritiam, & vt magis pacificè ſe haberent ad extraneos, à quibus lucrabantur. Conſulatur & idem D. Tho. 2ª. 2ª. quæſt. 78. art. 1. ad 2.um

Munera ſuper innocentem &c. hoc eſt, non ſinit ſe pecuniâ corrumpi, vt innocentem condemnet. Sunt ex Hebræis, qui ita hoc exponant, non accipit munus, vt ius innocenti ſeruet, ac multò minùs vt illum condemnet. Kimhi hanc expoſitionem ſequitur, quòd iam dictum ſit, *non facit proximo ſuo malum*, vt non neceſſe fuerit addi, *munera ſuper innocentem non accipit*, priore ſenſu. Sed primam expoſitionem, vt ſimpliciorem & magis promptam, alij magis probant. *Qui facit hæc*, &c. Epiphonema & concluſio totius pſalmi. *Non mouebitur*, ſeu *labetur*, aut *cadet in æternum*, dignúſque eſt qui diuerſetur, atque habitet in tabernaculo tuo. Si labitur interdum, lapſus iſte non eſt perpetuus, ſed poſt lapsũ sẽper reſurgit. Sic ad hoc Raſi. Aliter Kimhi, Etiam in ipsâ morte non mouebitur, aut labetur; ſiquidem habitatura ſit eius anima in loco gloriæ. In huius ſententia, *non labetur in æternum*, id eſt, nunquam labetur: quod melius eſt. Sic pſal. 55. 23. *non dabit* (Dominus) *in æternum nutationem* (ſeu *lapſum*) *iuſto*, hoc eſt, non ſinet vnquam nutare aut labi iuſtum.

PSAL.

Digitized by Google

PSALMVS

XV. XVI.

VERSIO

VETVS.

TItuli inſcriptio ipſi Dauid.

Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te. Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

2 *Sanctis, qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.*

3 *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea accelerauerunt.*

4 *Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

5 *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui reſtitues hereditatem meam mihi.*

6 *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara eſt mihi.*

7 *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.*

8 *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.*

9 *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.*

10 *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

11 *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vſque in finem.*

NOVA.

MIchtam Dauid.

Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te.

2 Dixiſti (ô anima mea) Domino, Deus meus es tu: bonum meum [a] nil ad te:

3 Sanctis qui (ſunt) in terra, & fortibus, in quibus omnis voluntas mea.

4 Multiplicantur dolores eorum, (qui ad) alium feſtinant: non libabo libamina eorum de ſanguine, [b] nec memor ero nominum eorum per labia mea.

5 Dominus pars [c] hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui ſuſtines ſortem meam.

6 Funes ceciderunt mihi in amœnis: etiam hæreditas mea [d] præclara eſt mihi.

7 Benedicam Dominum, qui conſuluit mihi: etiam noctibus [e] increpuerunt me renes mei.

8 Poſui Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi, non mouebor.

9 Propter hoc lætatum eſt cor meũ, & exultauit gloria mea: etiam caro mea [f] requieſcet in ſpe.

10 Quoniam non derelinques animam meam in [g] inferno, nec dabis ſanctum tuum videre [h] corruptionem.

11 Nota mihi facies viam vitæ, ſatietatem lætitiarum cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in æternum.

a ad verb. *non ſuper te.*
b ad verb. *nec aſſumã nomina eorum ſuper labia mea.*
c heb. *per-tiones*
d heb *pulchra eſt ſuper me.*
e *erudierũt*
f ad verb. *habitabis ſecurè.*
g *ſepulchro.*
h vel *ſoueam.*

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumentum. *HIC pſalmus profeſſionem fidei continet, quâ poſt imploratam Dei opem exponit primo loco ſe vnum ac verum Deum agnoſcere, nullius rei indigentem. Secundò Idololatrarum ſacrificia & nomina deteſtatur: ſibique gratulatur quòd Dei gratiâ è populo Dei ſit. Tertio loco Deo fretus & immortalitatis ſpe erectus affirmat ſe nunquam vacillaturum, aut reformidaturum mortem, & quidem ſuum corpus ſecurè in ſepulchro etiam quieturum. Quia autem Dauid in omnibus fuit typus Chriſti, in hoc pſalmo, vt aliàs ſæpe facit, quædam inſerit, præſertim ſub finem, quæ non tam ſibi conueniant, quàm ei, quem repræſentabat, nempe Chriſto. Sic enim ferebat illorum temporum ratio, vt myſteria Chriſti vmbris eiuſmodi, & imaginibus velarentur, per quas ſatis inſtruerentur, quorum mens à Deo illuminata eſſet, cùm cæteri præter ipſas vmbras nihil cernerent.*

1 *Michtam*, id eſt, Pſalmus excellens, veluti כֶּתֶם *cethem*, id eſt, *aurum optimum*, ſeu *inſigne*. Sic Ezra, qui etiam vult initium fuiſſe fortaſſe vulgatæ cuiuſdam cantilenæ, ad cuius numeros hic pſalmus fuerit decantandus.

Conſerua me Domine. Exordium, quo ante omnia Deo ſe in fidem & tutelam cõmittit. *Domine*. In Fonte אֵל *el*, id eſt, *Deus fortis*, ſeu *potens*: quaſi hoc velit, Serua me tu qui ſolus potes me ſeruare, quia nihil non potes. Significanter vertit Aquila ἰσχυρέ. *Quoniam ſperaui in te*. Optima ratio. Nemo enim qui ſe ex animo Deo commendat, ab eo deſeritur: neque vir pius vnquam Dei auxilium fruſtra implorauit.

2 *Dixiſti*, ſub. נַפְשִׁי *napſchi*, *ô anima mea*: verbum enim eſt fœm. gen. & hoc ſupplent Chaldæus, Raſi, Ezra, Kimhi & alij. Similis locutio occurret Thren. 3. 24. *Pars mea Dominus, dixit anima mea*. Græcus & Latinus habēt *Dixi*: ſiue quòd aliter legerint, quàm legatur hodie, ſiue quòd perſpicuitati ſtuduerint, ſenſum tantùm ſecuti. *Bonum meum nil ad te*: ad verb. *bonum meum non ſuper te*: quod Ioſeph Kimhi explicat, Quod ego boni facio, nil ad te pertinet: non enim iuuare te poteſt, nec quicquam tibi addere: ſed *Sanctis qui* (*ſunt*) *in terra*; eo ſenſu, quo dictum eſt Iob 35 verſ. 7. & 8. *Si iuſtus ſis, quid dabis ei*, (ſcilicet Deo) *vel quid de manu tua accipiet? Viro ſimili tibi impietas tua nocebit, & filio hominis iuſtitia tua proderit*. Addo ſimile ex Iob 22. 2. & 3. *Nunquid Deo proderit vir, quum proderit ſibi ſapiens? Quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris? aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit via tua?* Paulò aliter poſtremus verſus habet hebraicè, ſed eodem ſenſu. Ad rem redeamus. Raſi hunc in modum interpretatur hunc locum, Beneficia, quæ tu in me confers, *non ſuper te* ſunt ad retribuendum mihi, (hoc eſt, non teneris ea mihi conferre) quia non propter meam iuſtitiam tu mihi

A benefacis, ſed *Propter ſanctos qui* (*ſunt*) *in terra*, hoc eſt, qui ſepulti iacent in terra, & qui ambulauerunt corã te in veritate. Vides quàm dignè Iudæus hic de ſanctis mortuis ſentiat, propter quorum merita putat nobis à Deo dari, quicquid boni habemus. *Et fortibus* ſeu *grandibus*. Ioſeph Kimhi grandes animi intelligit, quique virtute excellant. Similiter Chaldæus interpretatus eſt *& excellentibus in operibus ſuis bonis*. *In quibus omnis voluntas mea*, ſeu *erga quos omnis* &c. vt bene de illis merear,
B eóſque meo exemplo excitem. Vel interpretare, *in quibus omnis voluntas mea*, vt illis fiam ſimilis: ac ſic Ezra. Ad mentem Raſi vertendum, *propter quos omnis voluntas mea*, hoc eſt, omnia vota ſuccedunt. Ego verſum tertiũ exiſtimo verti & exponi poſſe repetendo ex verſu 2. *Dixiſti* (*ô anima mea*) *Domino*, ſic, *Dixiſti* (*ô anima mea*) *Domino*, *de ſanctis qui* (*ſunt*) *in terra*, & *fortibus*, *Omnis voluntas mea in eis*: hoc eſt, Hos ſolùm amplector: ab his exemplum capio. In vertendo verſu 3°. Græcus & Lat.
C non omnino conſentiunt. Nam vbi Lat. *meas*, Hebræo conuenienter, Græcus habet αὐτȣ̃. Præterea Græc. habet ἐθαυμάσωσεν ὁ κύριος; Lat. ſolùm *mirificauit*. Certè *Dominus* deeſt in Fonte. *Mirificauit* autem vterque vertit ex הָאַדִּיר *heedhir*, pro, וְאַדִּירֵי *veaddire*, quod eſt nomen plurale conſtructum pro abſoluto, vti fit interdum. Vterque denique legit *in terra eius*, cùm in Hebræo ſimpliciter ſit *in terra*. Syriacæ verſioni prorſus cum Hebræo conuenit. Eugubinus iudicat huius verſus omnia ad fon-
D tem, quò clariùs intelligantur, eſſe reuocanda. D. Hieron. hunc verſum ex Hebræo vertit, *Sanctis, qui in terra ſunt*, & *magnificis omnis voluntas mea in eis*. Symm. εἰς τοὺς μεγάλȣς πᾶν τὸ θέλημά μȣ ἐν αὐτοῖς. Aquila, ὑπερμεγέθεσί μȣ πᾶν θέλημα ἐν αὐτοῖς.

4 *Multiplicantur dolores eorum*, &c.

Digitized by Google

Multiplicantur dolores eorum, qui tenegantes feſtinãt trepidi ad cultum Dei alieni: vel (*qui*) *alium* (ſup. Deum) *dotant*, ſeu *alij* (ſcilicet Deo) *donant*. *Non libabo* &c. A Non, quemadmodum illi, effundam ſanguinem Idolis, *nec aſſumam nomina eorum*, Idolorum, *ſuper labia mea*. Sic ferè Raſi hunc verſum interpretatur. Kimhi verò hunc in modum ferè: ego ſemper adhærebo ſanctis & fortibus: *Multiplicabuntur* verò *dolores eorum*, ſcilicet hominum, qui feſtinant ad alios homines, vt ambulent in aliis viis quàm Dei. *Non libabo libamina* B *eorum* &c. Abſit mihi, vt libem libamina eorum, quæ ſunt de ſanguine: quo modo Mal. 1. 13. *& intuliſtis de rapinis*: quaſi diceret, libamina eorum non ſunt vinum, ſed ſanguis, (ſeu rapina.) *Nec aſſumam nomina eorum* &c. Quinetiam mihi erit religio eiuſmodi hominum nomina labiis proferre. Sic ferè Kimhi. Ego, vt dicam quod ſentio, verterem, *Multiplicabuntur idola eorum* (*qui ad*) *alium feſtinant*: vt ſenſus ſit, Qui te Deum non agnoſcunt, nullum vnquam certum Deum habituri ſunt, C ſed infinitos Deos pro ſua libidine ſemper effingent: ita vt hoc opponat ei, quod dixerat, *Dixiſti Domino*, *Deus meus es tu*. Quidni enim vox עַצְּבוֹת *atstsauoth*, quæ *dolores* ſignificat, etiam pro *Idolis* accipiatur, cùm alia nomina eiuſdem thematis vtrumque ſignificent, & D. Hieron. in *Idolorum* ſignificatione hîc acceperit? Fauet etiam Chald. qui habet, *Multiplicant idola ſua, & poſtea feſtinant offerre oblationes ſuas*. Cuius interpretationis alterum membrum probat illud vulgatæ verſionis, D *poſtea accelerauerunt*. Vides Chaldæum non legiſſe אַחֵר *acher*, id eſt, *alium*, vt hodie legitur, ſed אַחַר *achar*, id eſt, *poſtea*.

5 *Dominus pars* &c. id eſt, Omne bonum meum à Deo eſt, & in ſolo Deo. *Pars, portio, calix, ſors* vnum ſunt, quæ ſimul ad amplificationem, & maiorem emphaſim congeruntur. *Suſtines* &c. Tueris eam, ac defendis, ne mihi excidat. In hoc E verſu Dauid Deum ſuam partem vocat: alibi, nimirum Deut. 32. 9. dicitur *pars Domini* eſſe *populus eius*, & *Iacob funiculus hæreditatis eius*. Tam enim Deus eſt noſter, quàm nos illius: & vt illum creatorem debemus agnoſcere, ſic ille nos creaturas.

6 *Funes ceciderunt mihi in amœnis* ſup. locis, &c. Senſus eſt, Pro hæreditate amœniſſimus locus, & pulcherrima mihi portiò obuenit. Hîc metaphora eſt, quam ſic ferè exponit Raſi, Quum mihi ſors contigit, vt eſſem in parte tua, (hoc eſt, in tuo cœtu) amœna portio ac pulchra hæreditas mihi contigit. Kimhi vltimam partem, *etiam hæreditas* &c. ſic ferme interpretatur: Si quando homines partiti ſunt aliquam hæreditatem, vnus alterius parti inuidet: quod autem ad me attinet, *etiam ſuper me pulchra eſt hæreditas mea*, nec cuiuſquam parti ego inuideo, quia optima mihi portio contigit. Igitur ex illius mente hæc vis huius particulæ *etiam*, quaſi diceret, non ſolùm hæreditas mihi pulchra obtigit, ſed etiam ea eſt, quæ oculis meis pulchra videatur, quod hæreditatem aliquam partientibus non ſolet contingere. Cæterum notandum *funes* hîc appellari pro hæreditate, ſeu terreni dimenſa portione, quòd olim in Palæſtina ad metandos agros funes adhiberi moris eſſet, ſicuti hodie apud nos decempedam: qui agri dimenſi ſortibus deinde diſtribuebantur. Quum ergò ait *funes ceciderunt mihi*, metonymia eſt, ac ſi diceret, ſpatia funibus dimenſa ſortitò mihi obtigerunt: non enim propriè funes dicuntur cadere, ſed ſors de ſpatiis fune dimẽſis, exempli gratiâ, libri Ioſuæ multis in locis. Huic porrò ſimilis phraſis extat Ioſuæ 17. 5. *Et ceciderunt funiculi* (*funes*) *Manaſſe decem*. Quòd denique moris eſſet agros fune diuidi in Palæſtina, probat illud Amos 7. 17. *& terra tua funiculo diuidetur*. Hinc *funiculus menſuræ* dicebatur, Zach. 2. 1. Hîc & Ioſ. loco notato, vbi *funes*, Chaldæus interpretatus eſt עִדְבִין *adhuin, ſortes*. *Hæreditas mea*. נַחֲלַת *nachalath*, eſt, vt putat R. Moſes, pro נַחֲלָתִי *nachalathi*, id eſt, *hæreditas mea*, vt זִמְרָת *zimrath*, pro זִמְרָתִי *zimrathi*, *laus mea*, Eſa. 12. 2. Bene ergo Græc. & Lat. *hæreditas mea*. Ezra putat deeſſe vocabulũ *Domini*, quaſi exponi debeat, *hæreditas Domini*. Sed hoc non eſt neceſſarium, & repugnat punctum Kamets.

7 *Benedicam*, hoc eſt, Teneor ac nunquam ceſſabo benedicere, *Dominum*, *qui conſuluit mihi*, hoc eſt, qui mihi primus bonam mentem dedit, & vt præclaram iſtam portionem eligerem, perſuaſit. *Etiam noctibus* &c. hoc eſt, neque ipſe etiam defui diuinæ vocationi: ſed quotidie *increpuerunt* (ſeu *erudierunt*) *me renes mei*, ne viam à Deo monſtratam relinquerem. *Noctibus* dicit, quia noctu homo liberioris eſt mentis. Vel inquit *etiam noctibus*, quaſi diceret, tum etiam quum cæteri mortales ſomno indulgent, attentiùs ego ea de re cogitaui. *Renes*, id eſt, cupiditates, affectus, quorum ſedes eſt in renibus.

8 *Poſui Dominum* &c. Senſus eſt, Deus perpetuum eſt mentis meæ obiectum. Vel, Deum ſemper cogito adeſſe mihi præſen-

Digitized by Google

tem, atque auxiliatorem. *Poſui*, pro, ponere A
ſoleo. *A dextris eſt mihi*: ad verb. *à dextrâ*
mea (eſt,) hoc eſt, in meum auxilium. Ram-
bam hoc explicat, perinde mihi eſt, ac ma-
nus dextera, quam vel tantillùm temporis
nemo obliuiſcitur. *Non mouebor*, nec re-
cedam vnquam à recta via, quia illum ſo-
lum cogito. Vel, *non mouebor*, ac nutabo
vnquam, qui eum auxiliatorem ha-
beam.

9 *Lætatum eſt cor meum*, hoc eſt, intelle-
ctus, iuxta Ezram & Kimhi. *Gloria mea*,
hoc eſt, vel lingua mea, quod membrum B
conditum eſt præſertim, vt gloriam Dei
celebret, quaſi diceret, membrum illud
quo teneor Dei gloriam celebrare. Hoc
modo acceperunt D. Petrus citans hunc
verſum Actor. 2. necnon Græc. & Lati-
tinus hic. Vel anima mea, iuxta Hebræos,
quòd anima corporis ſit gloria, & orna-
mentum: qua de re vide ad verſ. 6. pſal. 7.

Etiam caro mea requieſcet in ſpe, ad verb.
habitabit ſecurè, in ipſo ſepulchro, expe-
ctans reſurrectionem, vel in his terris, ſecu- C
ra mortalitatis propter immortalitatem,
vel ſecura omnium caſuum, quia te habet
auxiliatorem. Obſeruat Kimhi ad hunc lo-
cum legi hîc in Deras: *Poſt mortem docet*
non ſibi dominatum eſſe vermem. Vnde qui-
dam è noſtris putant Iudæos cõuinci poſ-
ſe, vt fateantur hoc non eſſe de Dauide ac-
cipiendum. Verùm illud dicere ſolent He-
bræi de quocumque iuſto, contrario ſen-
ſu atque Eſa. cap. vlt. verſ. vlt. improbo-
rum vermis dicitur nunquam mori, & Ec-
cleſiaſtici 7. 19. vindicta carnis impij eſſe D
ignis & vermis.

10 *Quoniam non derelinques animam*
meam in inferno, ſeu *ſepulchro*, vel ad ver-
bum magis *ad infernum*, ſeu *ſepulchrum.*
Putat Ezra Dauidem in hoc verſu ratio-
nem adferre exultationis ipſius animæ,
quòd nimirum non ſit moritura, ac peri-
tura: ac ſequentem verſum, *Nota mihi fa-*
cies viam &c. ſic exponit, Mortuo enim
corpore, tunc mihi monſtrabis viam vitæ,
hoc eſt, viam, per quam aſcendam in cœ-
lum, vt ſim cum Angelis Excelſi. Kimhi
eodem ferè modo, Scio te non paſſurum vt E
anima mea deſcendat in ſepulchrum vnà
cum corpore, ſed illam ad gloriam tuam
euecturum. Quòd ad ſequentem verſum
attinet, putat eſſe orationem, quâ prece-
tur Deum, vt ſibi viam monſtret, quâ di-
gnus efficiatur vitâ alterius ſeculi. In huius
ergo ſententia erit vertendum *Nota fac*
&c. Raſi, Kabuenaki, & alij non *ſepul-*
chrum, ſed *infernum* hoc loco interpretan-
tur, quaſi dicat pro certo habere non addi-
cendum ſe pœnis inferni, renunciata ſcili-
cet per Nathan peccati venia, indéque ſpe
concepta Deum in poſterum non defutu-
rum, neque ſuam animam inferno manci-
paturum, quod ſignificare poteſt illud, *non*
derelinques animam meam ad infernum. Ho-
rum quidam ſequentem verſum accipiunt,
quemadmodum Ezra, alij quemadmodum
Kimhi. Sic Rabbini. Sed dubium non
eſt, quin Dauid in his verſibus non tam de
ſe fuerit loquutus, quàm de Chriſti, cuius
ſe typum eſſe cognoſcebat, reſurrectione
vaticinatus, teſtibus ſanctiſſimis Apoſto-
lis, Petro Act. 2. & Paulo Act. 13. Per *in-*
fernum igitur in hoc verſu intelligimus in-
feros, & limbum Patrum, quò deſcen-
dit anima Chriſti poſt mortem: vel
etiam ipſum ſepulchrum, in quo Chri-
ſtus diu non fuit relictus, ſed poſt tres
dies à Deo ſuſcitatus à mortuis, ideóque
non vidit ac ſenſit corruptionem. Quem,
quæſo, dices *ſanctum Dei*, meliore iure,
quàm Chriſtum, quem ipſi Diaboli Marci
1. & Lucæ 4. ſic vocarunt? Certè, vt quod
hoc verſu dicitur, Dauidi aliquo pacto ac-
commodari poſſit, multò faciliùs tamen de
Chriſto intelligitur: ac certò tenendum,
omiſſo prorſus Dauide, de Chriſto tantùm
exponi debere hunc verſum. *Liceat auden-*
ter dicere, inquit D. Petrus Act. 2. probans
hunc verſum de Chriſto dictum eſſe, *de*
Patriarcha Dauid, quoniam defunctus eſt,
& ſepultus: & ſepulchrum eius eſt apud nos
vſque in hodiernum diem. Audiamus iam D.
Paulum Act. 13. *Dauid in ſua generatione*
cùm adminiſtraſſet, voluntati Dei dormiuit:
& appoſitus eſt ad patres ſuos, & vidit cor-
ruptionem. Quem verò Deus ſuſcitauit à mor-
tuis, non vidit corruptionem. Quid clarius?
Ergo non de Dauide, ſed de Chriſto pro-
priè accipiatur hic verſus. Quòd ſi Dauidi
competit, tanquam typo Chriſti tantùm,
ideóque obſcurè & imperfectè competit.
Neque verò mirere, quòd Dauid, qui an-
tea in ſuâ perſonâ, & de ſe fuerat loquutus,
nunc ſubitò & quaſi extra ſe abreptus Chri-
ſti perſonam agere incipiat: id enim ſæpe
aliàs facit in Pſalmis, vt Chriſti typus. Mo-
uit hic verſus multos, eorum etiam qui ſen-
ſum litteralem ſequuntur, vt totum pſalmũ
de Chriſto exponerent, quibus non repu-
gno: etſi non puto hoc eſſe neceſſe. Re-
clamant Iudæi negantes שחת *ſchachath*, ſi-
gnificare *corruptionem*, ſed *foueam*. Quid
tum? An potiùs Dauid dici poteſt non vi-
diſſe foueam, quàm corruptionem? Dein-
de quidni ſignificet vox illa *corruptionem*, à
verbo שחת *ſchicheth*, quod eſt, *corrupit*?
Inſtant Chriſtum vidiſſe ſaltem foueam ſeu
ſepulchrum, cuius corpus ex hiſtoria con-
ſtet triduum in ſepulchro manſiſſe. Reſpon-

Digitized by Google

deo exiguum tempus pro nullo cenſeri: ideóque Chriſtum dici non vidiſſe ſepulchrum, qui triduum tantùm, neque ipſum totum, in ſepulchro fuit.

11 *Notam mihi facies viam vitæ*, hoc eſt, Aditum mihi poſt mortem ad æternam, ideòque veram vitam patefacies. *Satietatem lætitiarum cum vultu tuo, delectationes* &c. ſup. notas mihi facies, hoc eſt, facies me tunc experiri ſummam illam lętitiam, quam præſentia tui vultus adfert, & honorifica ad tuam dexteram ſeſſio, aut dexterę tuæ liberalitas. Kimhi obſeruat vocabula *vultus*, & *dexteræ* eſſe honoris. Citat verſ. 14. pſ. 140. *habitabunt recti cum vultu tuo*: necnon 1. pſal. 110. *Sede ad dexteram meam.* Ezra vult his verbis, *delectationes in dexterâ tuâ*, ſignificari ſummam illam voluptatem animæ, quæ Deo fruitur, talem ſcilicet, qualem ſentit is, cui amicus præclara aliqua dona manu porrigit. Vtrobique ſanè eſt metaphora tam in vocabulo *vultus* quàm *dexteræ*: & poſtremo quidem videtur pingere Deum, quaſi munificum aliquem principem, qui plena manu dona in quemque confert. *Vſque in æternum.* Debet hoc referri ad vitam, & duo, quæ ſequuntur: æterna enim eſt illa vita: æternę ac perpetuæ illius deliciæ. Hic etiam verſus congruit Chriſto potiſſimùm, qui reſurgens ex mortuis iam non moritur, & ſolus ſedet ad dexteram Maieſtatis in excelſis.

PSALMVS

XVI. — XVII.

VERSIO

VETVS.

ORatio Dauid.

Exaudi Domine iuſtitiam meam: intende deprecationem meam.

2 *Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis.*

3 *De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.*

4 *Probaſti cor meum; & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.*

5 *Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.*

6 *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis: vt non moueantur veſtigia mea.*

7 *Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.*

8 *Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te.*

9 *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, vt pupillam oculi.*

NOVA.

ORatio Dauid.

Audi Domine iuſtitiam, attende [a] deprecationi meæ, auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis.

2 [b] De vultu tuo iudicium meum [c] prodeat: oculi tui videant æquitates.

3 Probaſti cor meum, viſitaſti nocte, igne me examinaſti, non inueniſti: cogitaui, non [d] tranſibit os meũ.

4 Quoad opera hominum, in verbo labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias graſſatoris.

5 Suſtenta greſſus meos in ſemitis tuis, vt non [e] moueantur pedes mei.

6 Ego clamaui ad te, quoniam exaudies me Deus: inclina aurem tuam mihi, audi verba mea.

7 [f] Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes à reſiſtentibus [g] dexteræ tuæ.

8 Cuſtodi me vt pupillã filiam oculi:

a heb. clamori meo,
b A
c egrediatur:
d vel tranſit
e nutent
f vel Segrega
g (in) dexterã tuã.

Digitized by Google

ſub vmbra alarum tuarum abſconde
me:
9 A facie impiorum qui me va-
ſtant : inimicorum meorum , (qui)
h vel in anima — [h] propter animam circundant me.
10 Adipe ſuo occluſerunt os ſuum:
locuti ſunt in ſuperbia.

11 (In) greſſu noſtro nunc circun-
i vel nos — dant [i] me: oculos ſuos ponunt ad de-
clinandum in terram.
l ad verb. (qui) deſiderat rapere, — 12 Similitudo eius ſicut leonis [l] pa-
rati ad prædam, & ſicut [m] catuli leo-
m leunculi — nis habitantis in abditis.
13 Exurge Domine, præueni faciem
eius, ſupplanta eum : eripe animam
n vel (qui eſt) gladius tuus. — meam ab impio, [n] gladio tuo.
14 A mortalibus, manu tua, Domi-
ne, à mortalibus de ſeculo, quorum
pars in vita, & (de) abſcondito tuo
o vel ſaturantur filij, — adimples ventrem eorum : [o] ſaturan-
tur filiis, & dimittunt reliquias ſuas
paruulis ſuis.
15 Ego, in iuſtitia videbo faciem
tuam : ſatiabor cùm expergefacta
fuerit imago tua.

10 *Sub vmbra alarum tuarum pro-
tege me : à facie impiorum qui me affixe-
runt.*
11 *Inimici mei animam meam circum-
dederunt, adipem ſuum concluſerunt : os
eorum locutum eſt ſuperbiam.*

12 *Proiicientes me nunc circumdede-
runt me : oculos ſuos ſtatuerunt declinare
in terram.*
13 *Suſceperunt me ſicut leo paratus ad
prædam : & ſicut catulus leonis habitans
in abditis.*
14 *Exurge Domine, præueni eum, &
ſupplanta eum : eripe animam meam ab
impio, frameam tuam ab inimicis manus
tuæ.*
15 *Domine à paucis de terra diuide eos
in vita eorum : de abſconditis tuis adim-
pletus eſt venter eorum.*
16 *Saturati ſunt filiis : & dimiſerunt
reliquias ſuas paruulis ſuis.*
17 *Ego autem in iuſtitia apparebo con-
ſpectui tuo : ſatiabor cùm apparuerit glo-
ria tua.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. *DAuid ſuam Deo innocentiam probans contendit ſumma ope, vt eripiatur ab infeſtiſſima hoſtium, ac præſertim Saulis manu : quorum temporariam fœlicitatem, ac vanas delicias irridens ſuam interea miſeriam ſpe æternæ vitæ conſolatur. Argumentum pſalmi quodammodò indicat Titulus.*

1 *Audi Domine*, &c. Duo primi verſus A continent propoſitionem: qua precatur vt aduersùs Saulem eiuſque aulicos, qui non ceſſabant ipſum apud Saulem criminari quaſi ſceleratum, & noua in regno molientem, defendatur. Hoc cauſæ eſt, cur Propoſitioni mox rationem ſubiiciat à ſua innocentia, quam ſciebat variis aulicorum artibus oppugnari, petitam. *Iuſtitiam*, hoc eſt, iuſtam meam petitionem, ſeu iuſtam meam cauſſam : nam *profectò mendacium non exaudit Deus, & Omnipotens non intuetur illud*, vt eſt Iob 35. 13. *Deprecationi meæ:* heb. *clamori meo*, hoc eſt, orationi, quam ad te magna voce effundo. *Non in labijs doloſis*, id eſt, quæ fit ex animo, & abſque ſimulatione.

2 *De vultu tuo* &c. hoc eſt, Iudica, ac vindica me de hoſtibus, quaſi dicat, prouoco ad tuum iudicium. *Æquitates* ſup. meas: quod æqui feci.

3 *Probaſti cor meum* &c. Senſus eſt, Tu enim exploras corda, & ſcis, num vera loquar. Et quidem *nocte*, quo tempore variæ hinc inde cogitationes vacuis, ac liberis hominum mentibus ſolent obrepere: tunc, inquam, cor meum exploraſti ac recognouiſti : examinaſti me, quaſi metallum, ac nihil in me æruginis, nihil fuci aut vitij deprehendiſti. *Cogitaui, non tranſit os meum* in recto caſu, hoc eſt, verba mea ſunt cogitationibus conſentanea. Sicut autem ego mihi ipſi diligenter caueo, ſic alios porrò diligenter moneo, hócque eſt,

quod mox ſubiungit.

4 *Quoad opera hominum* aliorum, *in verbo labiorum tuorum*, hoc eſt, in iis, quæ tu præcepiſti, ac prohibuiſti, *ego cuſtodiui vias graſſatoris*, (Chald. habet *proterui* ſeu *temerarij*) hoc eſt, prohibui ac feci, quod in me fuit, ne quiſquam veſtigiis graſſatoris inſiſteret, aut tanquam latro, ſeu graſſator irrumperet in tua præcepta. Simile eſt illud Geneſ. 3. 24. *ad cuſtodiendam viam arboris vitæ*, hoc eſt, ad impediendum ne quis eam viam ingrediatur. Sic Latini *cuſtodem oſtij* dicunt, qui curat ne quis iniuſſus ingrediatur; & *cuſtodem horti*, qui prohibet aliquem in eum ingredi, vel damnum facere. Sic Virgilio cuſtos furum atque auium, non qui eos cuſtodit, ſed qui eos arcet. Sic Ierem. 4. 17. *cuſtodes agrorum*. Conſonat Gallica locutio, *garder vn paſſage*. Hoc ſenſu nonnulli ex Hebræis, quorum eſt Kimhi, hunc & præcedentem verſum accipiunt. Horum verborum præcedentis verſus, *non inueniſti: cogitaui, non tranſibit os meum* in accuſandi caſu, huiuſque verſus, hic mihi videtur poſſe eſſe ſenſus, *non inueniſti*: ſed abſit, vt dicam quod cogitaui dicere: quaſi per reticentiam omittat, quod habebat in animo, & pudeat apud Deum affirmare in ſe nihil eſſe vitij. Semper quidem, inquit poſtea, ſedulò caui, quod ad alios ſpectat, ne peccarent, *Quoad opera hominum*, &c. Vbi nos vertimus *cogitaui*, &c. Verti poſſet *cogitationem meam non tranſibit os meum*, hoc vel illo ſenſu: vel etiam *cogitatio mea non tranſibit os meum*, poſteriore ſenſu. Nam quòd זַמֹּתִי *zammothi*, nomen ſit, probat accentus in vltima, qui, ſi verbum eſſet, dubio procul penultimam occuparet, niſi ſi aliqua hîc fingenda anomalia. Critica marginalis Bibliorum annotauit bis reperiri זַמֹּתִי, quorum vnum ſit penacutum, Ier. 4. 28.

5 *Suſtenta* &c. Obiter hoc verſu à Deo precatur perſeuerantiam, ne vnquam exorbitet à rectâ viâ.

6 *Ego clamaui ad te*. Repetitur propoſitio, atque identidem inculcatur, nimirum precatio, qua petit defendi aduerſùs Saulis copias. Tam crebra, ac frequens precationis repetitio ingentem animi anxietatem, adeóque ingens periculum ſignificat. *Quoniam exaudies me*, id eſt, quoniam certò ſcio te me exauditurum, & velle ac poſſe ſeruare.

7 *Mirifica* &c. Alij vertunt *Segrega*. Sed illuſtrior erit ſenſus, (nec repugnat Grammatica, ſunt enim hæc duo verba הַפְלֵה *haphle*, *ſegrega*, & הַפְלֵא *haphle*, *mirifica*, cognatæ, ac ſimilis formæ, ideóque vnum pro altero pro more facilè vſurpari poteſt)

A ſi verteris *mirifica*, hoc ſenſu, Exere omnem illam mirificam tuam clementiam, qui ſoles liberare ſperantes in te ab iis, qui inſurgunt in tuam potentiam. Senſus etiam eſt clarus, vertendo *Segrega* (vel *Subtrahe*) *miſericordias tuas*, ſcilicet *à reſiſtentibus in dexteram tuam*: qui enim mihi reſiſtit, tuæ voluntati ac potentiæ reſiſtit, qui me regem eſſe voluiſti. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*: ad Rom. 13. Potes vertere *in dexterâ tuâ*, vt ſit hyſterologia, quemadmodum vult Raſi, pro, *qui* B *ſaluos facis in dexterâ tuâ ſperantes*. Alij denique conſtruunt ſic, *ſperantes in dextera tua*.

8 *Cuſtodi me vt pupillam filiam oculi* tui. Simile eſt Deuter. 32. 10. *cuſtodiuit eum quaſi pupillam oculi ſui*. Suauitatis habet plurimum quod ait *pupillam filiam oculi*, quaſi diceret, pupillam tenellæ & delicatæ filiæ inſtar fouendam. Huc facit quòd Latinis dicatur pupilla quaſi pupa. Cæterùm Hebræis pupilla אִישׁוֹן *iſchon*, dicitur, ab אִישׁ *iſch*, quod *hominem* ſignificat, quòd illa imaginem hominis reddat: q. d. *homun*- C *culus*: litera enim Nun Hebræis in calce nominum interdum eſt diminutiua. Hæc vox porrò Prou. 7. 9. pro *nigredine* vſurpatur: & hanc primam ac genuinam prædictæ vocis ſignificationem eſſe nonnulli putant, indéque pupillam a nigredine appellatã: atque hoc perpetuum eſſe miraculum affirmant, quòd è nigredine lux ac videndi facultas exeat, non ſecus atq; initio mũdi è tenebris lux producta. Sũt ergo qui hîc vertant *nigredinè pupillæ oculi*, quaſi בַּת *bath* eſſet pro בָּבַת *bauath*. Verti poſſet D *nigredinè filiæ oculi*, hoc eſt, *pupillæ*: quicquid. n. tanquã minus ad aliud refertur aut pertinet, Hebræis filius aut filia illius haud ſine ſingulari elegantia dicitur. Quid neceſſe eſt, quæſo, בַּת, à propria ſignificatione abducere? *Sub vmbra alarum tuarum* &c. Deus hîc pingitur inſtar gallinæ aut cuiuſuis auiculæ pullos alis protegentis: qua quidem imagine cura, quam Deus pro ſuis gerit, exprimitur: húcque etiam ſpectabant duo illi Cherubim expandentes E alas, iiſque operiẽtes Propitiatorium, Exo. 25. 20. Alibi paſſim in Pſalmis occurrunt ſimiles figuræ, quæ ſuis fortaſſe locis copioſiùs explicabuntur.

9 *Propter animam* (ſup. *meam*) id eſt, vt auferant animam meam, méque vitâ priuent: *anima* enim pro vitâ ſumitur ab Hebræis. Sic Raſi & Kimhi hunc locum accipiunt. At Ezra poſt Chaldæum interpretatur *in anima*, hoc eſt, ſumma animi cupiditate: quod iudico ſimplicius: etſi Græcus & Latinus priore modo acceperunt:

Digitized by Google

verterunt enim *inimici mei animam meam circundederunt*. A

10 *Adipe ſuo* &c. Græc. & Lat. *Adipem ſuum concluſerunt*, hoc eſt, Adeps concluſus eſt in eorum viſceribus. Ac ſic Ezra, qui tamen probat magis, vt exponatur *Adipe ſuo occluſerunt os ſuum: loquuti ſunt in ſuperbia:* quo modo etiam accipit Kimhi, qui habet hîc, Multa pinguedo os illorum occluſit: propterea loquuti ſunt in ſuperbiâ præ nimia ſua voluptate. Verùm propter (^) athnach accentum diſtinguentem cola orationis, qui eſt cum voce סָגְרוּ *ſagheru, occluſerunt*, alij diſtinxerunt cum Græco & B Latino *Adipem ſuum concluſerunt: ore ſuo* &c. Sed quia in caſtigatioribus exemplaribus accentus ille eſt in antepenultima, ſic, סָגְרוּ *ſagheru*, qui ſi eſſet diſtinguens, eſſet in penultima, aut vltima certè, manifeſtum eſt non diſtinguere hoc loco: atque idcirco eſſe in antepenultimâ, ne, manente illo in vltimâ, concurrat duplex accentus Grammaticus immediatè, hic nimirum, & alter ſequentis dictionis פִּימוֹ *pimo*; quod non eſſet incommodum, vti norunt periti Grammatices, ſi prior eſſet diſtinguens. Ergo vertendum potiùs *Adipe ſuo occluſerunt os ſuū*: C aut ſaltem legendum סָגְרוּ *ſagheru*, vt iſte accentus poſſit eſſe diſtinguens: quo modo legitur in quibuſdam exemplaribus, & quidem in Manuſcriptis duobus Bibliothecæ regiæ. Potes cum Raſi exponere *Adipe ſuo occluſerunt*, cor ſcilicet, atque oculos, ne cernant opera tua, téque timeant. Deut. 32. 15. ſententia eſt ſimilis ſententiæ huius verſus, *Et ſaginatus eſt Iſrael, & recalcitrauit; impinguatus, incraſſatus, obductus (adipe:) & dereliquit Deum factorem ſuum, & deſpexit Deum ſalutare ſuum.* D Et Iob. 15. 27. *Quia operuit faciem ſuam adipe ſuo, & fecit rugas ſuper ilia.* Palàm eſt in hoc verſu notare aulicos, quorum luxum & ſuperbiam damnat.

11 *In greſſu noſtro* &c. hoc eſt, Quocumque pergimus, ac fugimus, ipſi obſeruant, num fortè declinet greſſus noſter in terrā. Sic ferè Ezra. Ad mentem Kimhi vertendum eſſet, *oculos ſuos ponunt ad expandendum in terra*, hoc ſenſu, accuratè noſtrum iter obſeruant ad expandendum nobis rete. E Potes exponere *ad expandendum* me ac meos *in terram*. Obſerua ex Maſſora, quæ Hebræorum critica eſt, cùm hîc ſcribatur סְבָבוּנִי *ſeuauuni*, id eſt, *circundant me*, legi סְבָבוּנוּ *ſeuauunu*, *circundant nos*. Sed quoquo modo legatur, ſenſus eódem ſemper redit: quanquam planior eſt legendo *circundant nos*: ac ſic hodię legunt Hebræi, & olim Chaldæus.

12 *Similitudo eius* (Saulem pronomine numeri ſing. videtur notare) *ſicut leonis* &c. Saulem quum leoni famelico confert, vult ſignificare ſe tam cupidè & furenter à Saule ad necem expeti, quàm cupidè & furenter prædam leo fame ſtimulante perſequitur. Atque idem quum Saulem leunculo in ſuis luſtris manenti, indéque num qua ſe offerat præda proſpicienti comparāt, hoc vult, Saulem non modò aperta vi agere, ſed etiam occultis inſidiis. *Eius*. Hoc pronomen Kimhi ad Saulem reſtringit: Ezra ad vnumquemque ex hoſtibus vult pertinere, quaſi ſit nimirum ſingulare diſtributiuè exponendum, qua de re iam dictum aliàs.

13 *Præueni faciem eius*, qui me raptum venit. *Ab impio, gladio tuo*, hoc eſt, qui eſt gladius tuus, & quo vteris, tanquam gladio, in tuis caſtigandis aut exercendis. Hoc ſenſu Eſa. 10. 5 *Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea.* Et Habac. 1. 12. *Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem*, (ex aliis vertendum, *&, ô fortis,*) *vt corriperes, fundaſti eum.* De Nabuchodonoſore aut Chaldæorum populo ſermo eſt.

14 *A mortalibus*, &c. *Eripe*, inquam, *animam meam à mortalibus*, qui ſunt *manus tua*, id eſt, quorum opera vteris ad caſtigandos aut exercendos alios. Sic dicebat Iob, cap. 19. 21. *manus Domini tetigit me*, cùm ab ipſo diabolo eſſet percuſſus. Sunt qui hoc *manu tua*, tanquam ablatiuum inſtrumenti ad verbum *eripe* præcedentis verſus referunt, quaſi diceret, eripe me tua potentia: quo modo & accipiendum cēſent illud *gladio tuo*. Verùm præterquam quòd vtrobique deeſt ב, id eſt, *in*, inſtrumenti litera, Ezra, Kimhi & alij Hebræorum priore modo exponunt. *A mortalibus de ſeculo* ſeu *mundo*, hoc eſt, qui mundana tantùm ſapiunt, *quorum pars in vita*, hoc eſt, qui nihil aliud quàm hanc vitam cogitant, eámque ſuam eſſe partem, & ſortem exiſtimant, quippe qui non vulgaribus, ſed raris quibuſuis & exquiſitis bonis velut è tuo penu depromptis affatim expleantur; quod ſignificant hæc verba, *& (de) abſcondito tuo adimples ventrem*, hoc eſt, cupiditatem, *eorum*. Quidam per *abſconditum Dei* gemmas, aurum atque argentum, quæ in terræ viſceribus latent, intelligunt, eodem ſenſu. Addit *ſaturantur filijs*, &c. quaſi diceret, abundant etiam filiis, quibus ampliſſima patrimonia relinquant. Quamquam malim vertas *ſaturantur filij*, &c. Nam ſic ſenſus eſt planior, & meliùs cohærens, Non illi tantùm pro ſe abundant, ſed & pro liberis habent, qui rurſum opes ad filios tranſmittunt. *Adimples* &c. Græc. &

Digitized by Google

Lat. *Adimpletus eſt venter eorum.* Nam aut ſenſum tantùm ſequuti ſunt, aut aliis punctis legerunt: quo modo & Chald. qui habet, *abſcondito tuo bono implebuntur ventres eorum.* Quoquo modo legas ac vertas, ſemper ſenſus eſt idem.

15 *Ego, in iuſtitia* &c. Opponit mundanorum hominum fœlicitati, ac deliciis conceptam animo ſpem futuræ vitæ. *In iuſtitia*, hoc eſt, ob iuſtitiam meam: vel tuam, quaſi dicat, pro tua æquitate ac iuſtitia. *Satiabor* ϖερὶς τὸ *ſaturantur filijs*, vel *ſaturantur filij.* Illi, inquit, ſaturantur in hoc ſeculo, ego verò ſatiabor in altero. *Quum expergefacta fuerit* &c. hoc eſt, cùm è corpore, in quo veluti ſopita & ſepulta iacet, euolauerit anima mea ad tui imaginem creata: tunc enim verè expergefiet. Illi contrà, vt eſt apud Ierem. 51. 39. *dormient ſomnum ſempiternum, & non euigilabunt.* Huius loci Raſi duplicem affert ſenſum. Prior eſt, ſatiabor viſione imaginis tuæ, cùm expergefacti fuerint mortui è ſomno ſuo: ad quem ſenſum vertendum eſſet, *ſatiabor, cùm expergefacti fuerint* (mortui,) *imagine tua.* Alter ſenſus eſt, ſatiabor viſione faciei tuæ, cùm expergefacti fuerint mortui, qui ſunt ad imaginem, & ſimilitudinem tuam: quo modo vertendum erit, *ſatiabor, cùm expergefacta fuerit imago tua*, mortui ſcilicet. Hic ſenſus in noſtrum recidit. Porrò Græc. & Latinus hîc tantùm ſententiam ſecuti ſunt, non verba.

· Raſi, Ioſeph Kimhi, Kabuenaki, & alij in alio argumento hunc pſalmum accipiunt: & quidem Raſi putat Dauidem poſt mortem Vriæ hunc pſalmum conſcripſiſſe, quum Ioab & Iſraëlitæ obſiderent Rabba: vereretúrque ne propter ſuum peccatum malè cederet exercitui. Sic autem ferè interpretantur.

A

2 *A vultu tuo iudicium meum egrediatur*, hoc eſt, Peccata propter quæ pœnâ dignus ſum, exeant à vultu tuo, nec veniant in tuum cõſpectum in iudicio. Sic Raſi. *Oculi tui videant æquitates* quas feci, & ne reſpicias ad hoc peccatum, adulterium ſcilicet cum Beth-ſabee, & cædem Vriæ.

3 *Viſitaſti nocte* ipsâ, quâ peccaui cum Beth-ſabee: iuxta illud 2. Sam. 11. 2. *Fuit verò ſub tempus veſpertinum, cùm ſurrexiſſet Dauid* &c. *Non inueniſti* in me tuã volũtatẽ, iuxta Raſi, vel, *non inueniſti* me purũ, iuxta alios. (*Quod*) *cogitaui*, &c. Senſus eſt, quod cogitabã dicere, proba ac tenta me, non tranſibit os meum, nec dicam: ſcio enim reum eſſe me.

B

4 *Quoad opera hominum*, &c. Ab eo tempore in omnibus, quæ egi, ego cuſtodiui propter verbum labiorum tuorum vias graſſatoris, ab ipſis declinando, & *ſuſtentando greſſus meos in vijs tuis*: & *non declinauerunt* ab iis *pedes mei.* Sic Raſi. At Ioſeph Kimhi, & Kabuenaki ſic: In eo quod tu præcepiſti ac prohibuiſti *cuſtodiui vias graſſatoris*, hoc eſt, feci iuxta opus graſſatoris & impij. Reliqua iam petantur ex ſuperiori cõmentario. Quæ autem de hoſtibus dicuntur, de Ammonitis debent intelligi, vt vult Raſi, aduerſus quos Dauidi bellum erat, tunc quum Beth-ſabeen ſtupro compertam habuit: vel, vt ego puto, de Abſalomo, & iis, qui ab illius partibus ſtabant: nam certum eſt ex Sacris litteris præter alia multa execranda, quæ ob Dauidis ſcelus in eius domum familiámque acciderant, ad extremum, Deo ſic volente, Aſalomum filium eius arma impia aduerſus ipſum ſuſtuliſſe.

C

Digitized by Google

PSALMVS

XVIII. XVII.

VERSIO

NOVA.

PRæCENTORI, ſerui Domini Dauidis, qui locutus eſt Domino verba cantici huius, in die (qua) eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul.

2 Et dixit, Diligam te Domine fortitudo mea.
3 Dominus petra mea, & arx mea, & liberator meus, Deus meus, rupes mea, ſperabo in eum: clypeus meus, & cornu ſalutis meæ, propugnaculum meum.
4 Laudatum [a] inuocabo Dominum, & ab inimicis meis [b] ſaluus ero.
5 Circundederunt me dolores mortis, & torrentes impij conturbauerunt me.
6 Dolores [c] inferni circundederunt me: præoccupauerũt me laquei mortis.
7 In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui: exaudiuit de templo ſuo vocem meã, & clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius.
8 Et commota eſt, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt: & commota ſunt, quoniam iratus erat.
9 Aſcendit fumus per nares eius, & ignis ab ore eius deuorauit: carbones [d] ſuccenſi ſunt ab eo.
10 Inclinauit cœlos & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.
11 Et equitauit ſuper [e] cherubim, &

a vel inuocaui
b vel ſaluus fui.
c ſepulchri
d exarſerunt
d heb. cherub.

VETVS.

IN finem puero Domini Dauid, qui locutus eſt Domino verba cantici huius, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit:

2 Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.
3 Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum.
4 Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.
5 Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.
6 Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.
7 Dolores inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.
8 In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui:
9 Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam: & clamor meus in conſpectu eius, introiuit in aures eius.
10 Commota eſt, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis.
11 Aſcendit fumus in ira eius: & ignis à facie eius exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.
12 Inclinauit cælos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.
13 Et aſcendit ſuper cherubim, &

Digitized by Google

volauit: volauit ſuper pennas vento-
rum.
14 *Et poſuit tenebras latibulum ſuum,*
in circuitu eius tabernaculum eius: tene-
broſa aqua in nubibus aëris.

15 *Præ fulgore in conſpectu eius nubes*
tranſierunt, grando, & carbones ignis.

16 *Et intonuit de cælo Dominus, &*
Altiſſimus dedit vocem ſuam: grando &
carbones ignis.
17 *Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit*
eos: fulgura multiplicauit, & conturba-
uit eos.
18 *Et apparuerunt fontes aquarum, &*
reuelata ſunt fundamenta orbis terra-
rum:
19 *Ab increpatione tua Domine, ab in-*
ſpiratione ſpiritus iræ tuæ.
20 *Miſit de ſummo, & accepit me: &*
aſſumpſit me de aquis multis.
21 *Eripuit me de inimicis meis fortiſſi-*
mis, & ab his qui oderunt me: quoniam
confortati ſunt ſuper me.
22 *Præuenerunt me in die afflictionis*
meæ: & factus eſt Dominus protector
meus.
23 *Et eduxit me in latitudinem: ſal-*
uum me fecit, quoniam voluit me.

24 *Et retribuet mihi Dominus ſecun-*
dùm iuſtitiam meam, & ſecundùm pu-
ritatem manuum mearum retribuet mi-
hi:
25 *Quia cuſtodiui vias Domini, nec*
impiè geſſi à Deo meo.
26 *Quoniam omnia iudicia eius in con-*
ſpectu meo: & iuſtitias eius non repuli à
me.
27 *Et ero immaculatus cum eo: & ob-*
ſeruabo me ab iniquitate mea.

28 *Et retribuet mihi Dominus ſecun-*
dùm iuſtitiam meam: & ſecundùm pu-
ritatem manuum mearum in conſpectu
oculorum eius.
29 *Cum ſancto ſanctus eris, & cum*
viro innocente innocens eris:

volauit:[e] volauit, inquam, ſuper pen-
nas [f] ventorum.
12 Poſuit tenebras latibulum ſuum:
[g] in circuitu eius tabernaculum eius
[h] tenebroſa aqua in nubibus aë-
ris.
13 Præ fulgore in conſpectu eius nu-
bes eius tranſierunt, grando & carbo-
nes ignis.
14 Et intonuit in cœlo Dominus, &
Altiſſimus dedit vocem ſuam, gran-
dinem & carbones ignis.
15 Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipa-
uit eos: & fulgura iaculatus eſt, &
[i] contriuit eos.
16 Et apparuerunt aluei aquarum,
& reuelata ſunt fundamenta orbis
terrarum ab increpatione tuâ Domi-
ne, à flatu ſpiritus iræ tuæ.

17 Miſit de ſummo, accepit me, ex-
traxit me de aquis multis.
18 Eripuit me de [l] inimicis meis for-
tiſſimis, & ab iis qui oderunt me: quo-
niam fortiores erant me.
19 Præuenerunt me in die calamita-
tis meæ: & factus eſt Dominus in ba-
culum mihi.
20 Et eduxit me in latitudinem:
[m] ſaluum me fecit, quoniam [n] dilexit
me.
21 Retribuit mihi Dominus ſecun-
dùm iuſtitiam meam: ſecundùm pu-
ritatem manuum mearum retribuit
mihi.
22 Quia cuſtodiui vias Domini,
nec impiè geſſi à Deo meo.
23 Quoniam omnia iudicia eius in
conſpectu meo, & ſtatuta eius non
repuli à me.
24 Et fui [o] immaculatus cum eo,
& obſeruaui me ab iniquitate mea.

25 Et retribuit mihi Dominus ſe-
cundùm iuſtitiam meam, ſecundùm
puritatem manuum mearum in con-
ſpectu oculorum eius.
26 Cum [p] ſancto ſanctus eris: cum
viro innocente innocens eris.

e ad verb. *& volauit*
f heb. *venti.*
g Vertere poſſis *in circuitu ſuo tabernaculum ſuum tenebroſam aquã &c.*
h ad verb. *tenebroſitas aquarũ*
i vel *quaſſauit*
l heb. *inimico meo forti.*
m prop. *eruit me*
n heb. *cõplacuit ſibi in me.*
o *perfectus*
p vel *miſericorde miſericors*

27 Cum mundo mundus eris, & cum peruerſo peruertêris.

28 Quoniam tu populum [q] afflictũ ſaluum facies, & oculos [r] ſuperbos humiliabis.

29 Quoniam tu illuminas lucernã meam: Dominus Deus meus illuminat tenebrás meas.

30 Quoniam in te perfregi turmam, & in Deo meo tranſilij murum.

31 Deus, perfecta via eius; [ſ] eloquia Domini igne [t] examinata: clypeus [u] eſt omnibus ſperantibus in eo.

32 Quoniam quis Deus præter Dominum? & quis [x] Deus præter Deum noſtrum?

33 Deus qui præcinxit me virtute, & poſuit perfectam viam meam.

34 Qui poſuit pedes meos tanquã ceruarum, & ſuper excelſa mea ſtatuit me.

35 Qui docuit manus meas ad prælium: & contritus eſt arcus [y] æreus brachiis meis.

36 Et dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ, & dextera tua fulciuit me, & manſuetudo tua multiplicauit me.

37 Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non vacillarunt [z] crura mea.

38 Perſecutus ſum inimicos meos, & comprehendi illos, & non ſum reuerſus, [a] donec conſumpſi eos.

39 Transfixi illos, nec potuerunt [b] ſtare: ceciderunt ſubtus pedes meos.

40 Et præcinxiſti me virtute ad bellum: incuruaſti inſurgentes in me ſubtus me.

41 Et inimicos meos dediſti mihi ceruicem: & oſores meos diſperdidi.

q ſeu *pauperem*
r heb. *excelſos*
ſ heb. *eloquium*
t heb. *examinatum:*
u heb. *ipſe*
x ad verb. *Petra*
y ſeu *chalybeus*
z vel *tali mei.*
a ad verb. *donec conſumeres eos.*
b *ſurgere:*

30 Et cum electo electus eris, & cum peruerſo peruertêris.

31 Quoniam tu populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.

32 Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.

33 Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum.

34 Deus meus impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata: protector eſt omnium ſperantium in ſe.

35 Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum noſtrum?

36 Deus qui præcinxit me virtute: & poſuit immaculatam viam meam.

37 Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.

38 Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti vt arcum æreum, brachia mea.

39 Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ: & dextera tua ſuſcepit me:

40 Et diſciplina tua correxit me in finem: & diſciplina tua ipſa me docebit.

41 Dilataſti greſſus meos ſubtus me: & non ſunt infirmata veſtigia mea.

42 Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.

43 Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes meos.

44 Et præcinxiſti me virtute ad bellum: & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.

45 Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti.

46 *Clama-*

Digitized by Google

46 *Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.*
47 *Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos.*
48 *Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput Gentium.*
49 *Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.*
50 *Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.*
51 *Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ.*
52 *Deus qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.*
53 *Et ab inſurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.*
54 *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: & nomini tuo pſalmum dicam.*
55 *Magnificans ſalutes regis eius, & faciens miſericordiam chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſeculum.*

42 Clamauerunt, nec (erat) qui ſaluos faceret: ad Dominum, nec exaudiuit eos.
43 Et comminui eos, vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum extenuaui eos.
44 Eripuiſti me de [c] contradictionibus populi, conſtituiſti me in caput gentium: populus (quem) non cognoui, ſeruiuit mihi. — c *contentionibus*
45 [d] In auditu auris obedierunt mihi: filij alieni mentiti ſunt mihi. — d ad verb. *Ad auditū auris*
46 Filij alieni [e] inueterati ſunt, & [f] claudicauerunt à clauſuris ſuis. — e vel *deciderunt,* f vel *horruerunt*
47 [g] Viuit Dominus, & benedictus [h] Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ. — g vel *Viuat* h Ad verb. *petra mea,*
48 Deus, qui dat vindictas mihi, & [i] ſubdit populos ſub me. — i heb. *adducit*
49 Liberator meus de inimicis meis, etiam præ inſurgentibus in me exaltaſti me: à viro iniquo eripuiſti me.
50 Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine, & nomini tuo pſalmum dicam.
51 Magnificans ſalutes regis ſui, & faciens miſericordiam chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſeculum.

COMMENTARIVS.

EST hoc carmen ἐπινίκιον, quod cecinit Dauid, quum domi bellique potens omnes hoſtes ſuperaſſet, & regno conſtituto in altiſſima pace degeret. Conſtat id ex Tit. & hiſtoria 2. Sam. 22. vbi hic pſalmus iiſdem, ac totidem ferè vocibus deſcriptus reperitur. Eſt autem hic pſalmus longè pulcherrimus, ſi vel ipſam vnam phraſim ſpectes: nam, ad ſententiam quod attinet, eſt planè mirabilis. In eo primùm canit Dauid ſe Deum toto pectore diligere, cuius auxilium, atque inſignem opem tam ſæpe fuerit expertus. Sua igitur pericula, & hoſtium ingentem vim poëticè deſcribit, ac depingit potiùs; mòxque ſuam liberationem, ac vehementem præpotentis Dei in hoſtibus euertendis iram eo ſcribendi genere, & ijs figuris amplificat, vt pene adhuc inter legendum cælum ipſum & terram Dei fulminātis ictibus conquaſſari, ac propè incendio ardere videamus. Poſtea ſingulas ferè victorias ita recenſet, vt qui legit, illas ſub oculis habere ſe putet. Regni quoque mirum in modum prolatos terminos prædicat. Tandem læta cum acclamatione Deum celebrat, quem peculiarem ſui curam gerere agnoſcit. Præclarum exemplum Regibus hoc Dauidis carmen ſuppeditat, vt periculis ac bellis defuncti, & otio redditi, Dei hoc eſſe beneficium agnoſcant, non ſuarum virium, non ſuæ induſtriæ aut conſilij opus: non quemadmodum impius ille Nabuchodonoſor, qui tumens faſtu, & virium potentia inflatus, Nonne hæc eſt *(inquiebat* — Argumētum.

Dan. 4. 27.) Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei? *Agnoſcant Reges* quòd dominetur Excelſus in
Dan. 4. 29. regno hominum, & cuicumque voluerit det illud: *ne ſi, quemadmodum ille, ſuis factis ſuperbiant, ſuæque fortitudini, non Deo, acceptum referant id quod ſunt, idem, quod ille, audiant. Vide Dan. loco cit.*

1 *Serui Domini Dauidis* ſup. Pſalmus. Seruus Domini dicitur vniuersè quiſquis Dei verbo & voluntati obedit. Sic pij omnes ſerui Dei nominantur: ecõtrà qui peccato & Diabolo obſequuntur, ſerui peccati & Diaboli. Quilibet enim ex D. Pauli doctrina ad Rom. 6. ſeruus eſt eius, cui obedit, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam. Ita Dauid ſeruus Dei meritò hîc nuncupatur, qui Deum vt dominum ſemper coluit. Sed præterea alia duo ſunt ſeruorum Dei genera: vnum eorum, qui à Deo ſibi impoſitum munus ſcientes ac volentes libenter exequuntur, in omnibus Dei voluntati parere ſtudentes: alterum genus eorum, quibus quaſi ſuæ indignationis adminiſtris Deus vtitur, cùm nulla tamen in illis ſit obſequij voluntas. Priore modo Dauid *ſeruus Dei* hîc quoque appellatur, vt qui ad regiam dignitatem diuinitus vocatus Dei voluntati vſquequaque lubens paruit: poſteriore impius Nabuchodonoſor, Ierem. 25. 9. per quem quippe Deus toties admonitum atque increpitum populum ſuum punire atque vlciſci decreuiſſet, ac reipſa vltus eſt. Sic Leuiathan ſeu Dæmon, vt obſeruat D. Greg. Magnus, lib. 33. in Iob, ſeruus Dei dicitur, qui dum voluntatem ſuam implere permittitur, à ſuperni conſilij voluntate ligatur: vt electos Dei volens tentet, & tentando neſciens probet. Sic ille. Kimhi annotat *ſeruum Dei* vocari eum, qui, quicquid agit, ad Deum reſpicit, ad eúmque ſua omnia refert conſilia & cogitationes. Ac Dauid, inquit, quocúmque profectus eſt, quicquid aggreſſus eſt, ac tentauit, Deum ſibi ſemper propoſuit, in eóque vno omnes ſuas ſpes fixit, non ſecus atque ſeruus ad domini opem confugit: Deus autem illi defuit nunquam, ſed à quibuſuis periculis ſeruauit, ſicut ſolet herus ſeruum. Ita ferme. Kimhi.

2 *Diligam te* toto animo, & ex intimis viſceribus: verbum enim רחם *racbā*, ſignificat propriè *diligere ex intimis viſceribus*, vt deductum ex nomine רחם *rechem, vulua, vterus*, qui tenerrimo affectu fœtum fouet, ac complectitur. Ezra & alij interpretantur *Petam miſericordias à te*: quo modo accipiendo ſenſus non erit incommodus, Ad miſericordiam tuam deinceps confugiam, qui mihi tam magnificè hactenus opem tuliſti. Priore modo accepit Kimhi, (quod melius eſt ac ſimplicius, meo

A iudicio) qui obſeruat amorem eſſe illud ſummum & vltimum quod poteſt homo præſtare in hac vita, ad hoc vt ad Creatorem accedat: quo modo Eſaiæ 41. 8. dicitur *ſemen Abraham amantis me*, in Vulgata *amici mei*: ac timorem præcedere amorem, & ex timore naſci amorem. Sic ferè habet ille ad hunc verſum.

3 *Dominus petra mea*, hoc eſt, inſtar petræ & arcis, in quam quis metu hoſtis ſe recipit: quaſi diceret, Mihi aliud non eſt propugnaculum, quàm nomen tuum: in quam ſententiam ait Salomon Prou. 18. 10.
B *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum curret iuſtus, & exaltabitur.* Hoc ſenſu accipiunt Ezra & Kimhi. At Raſi reſtringit, ſic, *Petra mea*, qui opem mihi tuliſti apud Petram diuidentem, quum ab ipſo Saule eiúſque copiis obſeſſus parum abfuit quin comprehenderer, iuxta illud 1. Sam. 23. 26. *itaque Saul & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid*, &c. Vide illic. *Liberator meus*. Nam qui in petram & arcem ſe ſe recipit, interdum euadit, interdum verò non; ſi quidem ab hoſte ibi interdum comprehenditur: me verò qui ad tuum nomen, quaſi ad editam arcem, confugio, ſemper ſaluum præſtitiſti. Sic ad hoc
C Kimhi. *Clypeus meus*, quem hoſtium ictibus veluti obijcio. Vide quantum Deus ſuis permittat, & quàm illi Deo familiariter vtantur. *Cornu ſalutis meæ*, hoc eſt, cornu, quo hoſtem repello, ac ferio: Tranſlatione ſumpta ab iis animalibus, quibus robur ac vitæ præſidium eſt in cornibus. Quo ſenſu Deut. 33. 17. *cornua Rhinocerotis cornua illius: ipſis populos cornupetet* &c. *Propugnaculũ meum.* Tot epitheta eódem pertinentia quum ſimul congerit, vult ſignificare ſe non vno modo, nec ab vno periculo à Deo eſſe ſeruatum.

4 *Laudatum* ſeu *laudandum*. Lat. habet
D *Laudans*, qui poſt Græc. legit aliis punctis. *Inuocabo: ſaluus ero.* In Hebræo verba ſunt fut. temp. quæ tamen non incommodè per præt. exprimentur: *inuocaui, ſaluus fui*: ſic enim & verſus hic argumento optimè conueniet, & cum ſequentibus aptè cohærebit. Fauet Chaldæus, qui hîc habet verba præſentis temp. quod magis ad præt. accedit, quàm ad futurum. Si tamen vis retinere verba futuri temp. ſic expone, *inuocabo*, vti feci antea, *& ſaluus ero*, vt hactenus ſemper fui, Deo nunquam ſuam

Digitized by Google

opem denegante : quippe *Circundederunt* &c. hoc eſt , Sæpe adductus ſum in præſens mortis diſcrimen : tunc autem ad Deum confugi, qui nunquam mihi defuit. His ergo *Circundederunt* &c. præteritas liberationes in memoriam reuocat ac celebrat, per quas ſeſe confirmat in poſterum, & ſpem futuri auxilij concipit.

5 *Circundederunt me dolores mortis*, id eſt, Non ſemel mortis anguſtiis oppreſſus ſum, ac veluti mortis funibus conſtrictus ac circumplicatus. Nam vox חֶבְלֵי *cheule, dolores* funium inſtar conſtringentes ſignificat, adeóque ad illam optimè conuenit verbum *circundandi*. *Torrentes impij*, id eſt, exercitus impiorum inſtar torrentium inundantes. Sic Eſa. 8. 7. *Ecce Dominus adducit ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Aſſyriorum.* Et ſanè Chald. habet *turma oppreſſorum conturbauerat me.* *Impij* : ad verb. בְּלִיַּעַל *Beliiaal*, ſeu *Belial*, quæ vox nihil aliud ſignificat quàm impium, qui nulli eſt vſui : vel potiùs qui iugum omne excutit, vt videre eſt in Lexicis. Vide plura ad pſ. 41. 8.

6 *Dolores inferni* ſeu potiùs *ſepulchri*, hoc eſt, ad ſepulchrum trahentes, &c. *Præoccupauerunt me laquei mortis*, hoc eſt, inſidiis hoſtium ita fui ſubitò oppreſſus, & quaſi laqueis irretitus aliquando, vt certa mors immineret, nec vllum ſpatium deliberandi & euadendi haberem. In hoc verſu porrò idem dicitur quod in ſuperiore. Qua repetitione Dauid ingentia & iterata pericula vult ſignificare.

7 *In tribulatione (anguſtia) mea* &c. Significat ſe in anguſtiis poſitum Deum oraſſe, ſéque ab eo exauditum. *De templo ſuo*, id eſt, cœlo, vbi omnia Dei decreta ſcribuntur, atque obſignantur. Sic Ezra. *Clamor meus in conſpectu eius*, id eſt, clamor, quo clamaui coram eo. Sic Kimhi.

8 *Commota eſt* &c. Significat hoſtes ſuos, quantumuis validos, & terræ ac montium inſtar immotos, Deo iraſcente eſſe concuſſos. Sic ferè Ezra. In hoc autem & ſequentibus nouem verſibus pingit Deum iratum: & quanquam ad litteram omnes hi verſus metaphoricè ac figuratè intelligi debent de ruina, ſeu exitio hoſtium Dauidis, & Iſraëlitarum, pro quibus Deus pugnauit : (ſæpe enim in ſanctis litteris terræ motus, ignis, nubes, grando, fulgura ac tonitrua, de quibus his verſibus agitur, iram Dei, & calamitates ab eo immiſſas metaphoricõs ſignificant) nihilominus tamen probabile eſt reſpicere Dauidem ad alias retrò hiſtorias : exempli gratia, hoc & ſequente verſu, *Commota eſt* &c. videtur al- A ludere ad ſubuerſionem Sodomæ & Gomorrhæ, quæ diuinis ignibus conflagrarunt: & ſic de aliis. Raſi & hoc & quod ſequitur ad decimum & ſeptimum vſque verſum, de hiſtoria Pharaonis explicat ad litteram. *Iratus erat*, ad verb. *ira erat ei*: Gallicè, *ils'eſtoit faſché*: quomodo 2. Sam. 19. 42. חָרָה לְךָ *chara lecha*, id eſt, *ira fuit tibi*. Sic & aliis locis. Quod dico ne quis hebraicè ignarus vertendum putet *iratus erat ei*.

9 *Aſcendit fumus* &c. Deum fulminan- B tem poëticè depingit. Per *fumum* notat atras illas nubes, è quibus fulmen erumpit. *Ignis*, hoc eſt, fulmen. *Ab ore eius* emicans. *Deuorauit*. Emphaticè. *Carbones*. Intelligit lapides & tela fulminea. *Succenſi ſunt*, vel potiùs *exarſerunt*: eſt enim in hebræo בָּעֲרוּ *baaru*, quod eſt verbum neutrum. *Ab eo* Deo aut igne erumpentes.

10 *Inclinauit cœlos* &c. hoc eſt, Viſus eſt inclinare cœlos, excitatis nubibus: nubes enim, cùm denſæ ſunt, noſtris capitibus C penè videntur incumbere. *Et caligo*, hoc eſt, nubes, &c. Huc refer illud Nahum 1. 3. *& nubes puluis pedum eius*. Hoc ergo verſu, & duobus ſequentibus deſcribitur horrida ac procelloſa tempeſtas, Dei irati indicium. Alludit tamen, vt puto, hoc & ſequentibus quinque verſibus ad hiſtoriam, quæ deſcribitur Ioſuæ 10. de qua ad verſum decimum tertium commodiùs dicetur. Raſi exponit, *Inclinauit cœlos & deſcendit*, vt tranſiret per terram Ægypti, & percuteret omne primogenitum &c. vt eſt Exod. 12. 12. In Deras hic verſus & tres ſequentes D ad hiſtoriam exhibitæ Legis referuntur, quando Dominus venit ad Moſem *in caligine* (ſeu *denſitate*) *nubis*, vt eſt Exod. 14. 9. *deſcenditque ſuper montem Sinai in igne*, vt eſt cit. cap. ver. 18. *auditáque ſunt tonitrua, ac micuerunt fulgura, nubéſque denſiſſima operuit montem*, vt eſt eiuſdem cap. ver. 16. Verùm iſta hiſtoria nil ad hũc locum, in quo agitur de pœnis, quibus Deus impios caſtigauit.

11 *Et equitauit* &c. Diuini decreti ac pœ- E næ celeritatem notat: etſi hoc quoque, & quod ſequitur, pertinet ad hiſtoriam, ad quam reſpiciebat ſuperiore verſu. *Super Cherubim*, in Fonte *Cherub*. Cherub Ezechieli cap. 10. animal eſt alis præditum, ſiue volucris, ſiue aliud. Ac multi putant duos illos Cherubim Propitiatorio ſeu operculo Arcæ impoſitos humanam habuiſſe figuram, ſed alatam, eámque puerorum. Vtut eſt, per iſtas imagines, quæcumque illæ ſint, non dubium eſt Angelos fuiſſe deſignatos. Chaldæus interpretatus

Digitized by Google

eſt hîc, *cherubim veloces. Et volauit ſuper pēnas ventorū.* Simile eſt illud Nahum 1. 3. *Dominus, in tempeſtate & turbine via eius,* hoc eſt, ſi quando aliquē punire vult, aggreditur illum cum ſummo impetu, magna vehementia & celeritate. *Et volauit* &c. 2. Sam. 22. vbi hic pſalm⁹ habetur, nō hîc ſcribitur וַיֵּדֶא *vaiiedhe*, id eſt, *& volauit*, ſed וַיֵּרָא *vaiiera*, id eſt, *& viſus eſt*: quæ voces ſine punctis admodū ſunt ſimiles ac tantū differunt ר & ד, vt vna facilè pro alterâ potuerit obrepere. Puto ego, maximè propter hæc verba, *ſuper pennas*, vtrobique legendum eſſe וַיֵּדֶא, id eſt, & *volauit*: reclament licet Iudæi.

12 *Poſuit tenebras latibulum ſuum*, ne videretur: quaſi diceret, Illos puniit, cùm nihil minùs expectarent.

13 *Præ fulgore* (ſup. qui eſt) *in conſpectu eius*, erga eos quibus fauet, *nubes eius tranſierunt* aduersùs hoſtes. Sic Kimhi, qui ſignificat Deum impiis iratum vultum oſtendere, cùm pij lucido, ac ſereno eius vultu ſemper fruantur. Ezra verò, *nubes eius tranſierunt* ſtatutum notum, vt plurimùm, quaſi velit, ſic enim explico, ſignificari extraordinarias & nunquam viſas nubes, iiſque notari maximas, & ingentes pœnas hoſtibus à Deo immiſſas. Mihi videtur huius verſus hæc eſſe ſententia: Præ fulgore micantium fulgurum diſruptæ ſunt nubes, & in hanc & illam partem variè diſtractæ, indéque grando & tela fulminea eruperunt. Hac figura autem Dauid ſignificat Deum hoſtibus grauiſſimas pœnas inflixiſſe. Grandinem quum dicit, puto alludere ad lapides illos grandinis, quos apud Beth-horon Deus in Amorrhæos immiſit tempore Ioſuæ, vt legere eſt Ioſ. 10. 11. Fauet verſus decimus quintus, vbi eſt verbum וַיְהֻמֵּם *vaihummem, & contriuit eos*, quod Ioſuæ cap. cit. verſ. 10. etiam reperitur: ita vt datâ operâ illud hoc loco affectaſſe videatur Dauid. Raſi ad litteram explicat de grandine, quæ percuſſerit Ægyptios in mari rubro. Sed nulla in iſta hiſtoria mentio grandinis, quam tamen probabile eſt fuiſſe. Sanè verbum וַיָּהָם *vaiiahom, & contriuit*, in hiſtoria quoque percuſſorum Ægyptiorum reperitur, Exod. ſcilicet 14. 24. & optimè profectò cum hac poſtrema explicatione cohærebit, quod dicitur verſu 16. eritque continua hiſtoria, vt ex loco Exod. citato videre eſt: quò fit, vt à ſententia Raſi minimè diſcedam. *Carbones ignis.* Intelligit lapides, qui cum tonitru, quod tunc vnà cum grandine fuiſſe dubium non eſt, ſolent decidere inſtar ferri ardentis, ſolo afflatu enecantes.

14 *Grandinem & carbones ignis.* Iterum repetit *grandinem & carbones ignis*, fortè vt oſtendat repetitam fuiſſe grandinem, ac tonitrua. *Dedit vocem ſuam*, hoc eſt, tonitru, quo tanquam voce hoſtes increpuit. Vide ad verſ. 3. pſ. 29.

15 *Sagittas ſuas*, id eſt, tela fulminea. Sic pſ. 144. 6. *Iaculatus eſt.* Alij, vt Græc. & Latinus, vertunt *multiplicauit*: רָב *rau*, enim hoc quoque poteſt ſignificare. Sed ex ſententia Ezræ, Kimhi, & aliorum ferè omnium Hebræorum vertendum priore modo, qui ſanè magis eſt ad rem. *Et contriuit.* Vide ſuprà ad verſ. 13.

16 *Et apparuerunt* &c. Alludit dubio procul ad ſciſſionem, ſeu diuiſionem maris rubri: & de hac Raſi ad litteram hunc verſum accipit. *Fundamenta orbis*, id eſt, profundi maris aluei, qui ſua altitudine videntur eſſe orbis fundamenta.

Ab increpatione. Sic Pſal. 106. 9. *Et increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt: & deduxit eos in abyſſis, ſicut in deſerto.*

17 *Miſit de ſummo*, &c. In ſenſu Raſi & eorum, qui verſus ſuperiores accipiunt, vt ſonant, & ad ſuas hiſtorias ſingulos referunt, ſic hic verſus cum ſuperioribus connectendus: Deus ille, qui tot olim patrauit miranda, erga me etiam præbuit ſe admirabilem: *Miſit de ſummo*, &c. Verùm melius eſt, vt quæ præcedunt omnia, de ruina hoſtium Dauidis metaphoricè accipiantur, quemadmodum diximus: ſicque nihil neceſſe eſt ſubintelligere. *Miſit de ſummo*, id eſt, miſit auxilium, vel angelum è cœlo. *Aquis multis*, hoc eſt, magnis periculis: aquæ enim in ſanctis litteris pericula & calamitates ſignificant.

18 *Inimicis meis fortiſſimis.* Heb. *inimico meo forti*, Saule videlicet, aut Goliath. Vel hoc collectiuè dicitur. *Quoniam fortiores* &c. Optima ratio. Nam tum maximè adeſt ſuis Deus, quum eos periclitari cernit, & ſuſtinendis hoſtibus impares.

19 *Præuenerunt me* &c. hoc eſt, Incauto & miſero mihi ſæpe ſtruxerunt inſidias, ſicuti fecerunt Ziphæi, vt eſt 1. Sam. 23. mēque nihil cogitātem adorti ſunt, ſicuti cùm verſarer in deſerto Maon, & aliàs ſæpe. Chaldæus interpretatur, *Præuenerunt me in die migrationis meæ.*

20 *Et eduxit me* ex anguſtiis *in latitudinem* in qua nunc ſum. Vult ſignificare ſe depulſis omnibus periculis libertati eſſe redditum. *Quoniam dilexit me.* Suam ſalutem primùm atque adeo potiſſimùm Dei beneuolentiæ adſcribit.

21 *Secundùm iuſtitiam meam*: ipſe enim ſcit ius ſtare à me, hoſtes verò eſſe in culpa. Sic Kimhi. Raſi interpretatur, *ſecundùm iuſtitiam meam*, quòd Saulem haud interfece-

Digitized by Google

rim, cùm abſcidi oram pallij eius. Reſpicit fortè ad illud Saulis, 1. Sam. 24. 20. vbi de abſciſſa ora pallij ſermo eſt, *Dominus retribuat tibi bonum pro eo quod hodie operatus es in me. Et ſecundùm puritatem manuum mearum*, quas ſcilicet à cæde Saulis abſtinui. Vel generaliùs *ſecundùm puritatem manuum mearum*, hoc eſt, actionum mearum per metonymiam, quòd manibus maiori ex parte actiones perficiãtur: hoc autem intelligendum magis erit reſpectu hoſtium, quibus nullam offenſionis cauſſam præbuerit, quàm Dei, quem alibi ſic compellat, *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo:* &c.

22 *Nec impiè geſsi* aut *egi* deſciſcendo aut deficiendo *à Deo meo.* Senſus eſt, nihil ſciẽs commiſi in Deum: quòd ſi erraui, imprudens feci. Exponi poteſt (& melius eſt, meo iudicio,) in re de qua agitur, quaſi diceret, etſi Saul me vrgeret, nunquam tamen peccaui, aut illi manus attuli, cùm poſſem. *Propitius ſit mihi Dominus*, (dicebat Dauid 1. Sam. 24. 7.) *ne faciam hanc rem Domino meo chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum: quia chriſtus Domini eſt.* Peccaſſet enim ſi Saulem, licet infenſum hoſtem, occidiſſet, quia Rex erat. Vtroque modo Kimhi.

24 *Et fui immaculatus*, ſeu *perfectus*, aut *integer*, hoc eſt, Etſi ſæpe ipſe periclitarer de vitâ, nunquam tamen hac in re deliqui aduerſùs Deum, ſed ſemper integrum illi me exhibui, *& ſeruaui me ab iniquitate mea*, hoc eſt, ne manus Sauli afferrem. Dicit *mea*, id eſt, quam ego ſecularium hominum iudicio debuiſſem patrare, occaſione vltionis oblata, & quæ pulcrè ac fœliciter mihi videbatur ceſſura. Porrò, vt verſus 21. & ſequentes ad rem geſtam, quæ deſcribitur 1. Sam. 24. ex Raſi ſententia ſunt referendi, ita quoque exiſtimo hunc & ſequentem verſum ad aliam hiſtoriam pertinere, quæ legitur 1. Sam. 26. quum ſcilicet Dauid Saulem in vallo dormientem adeptus, ſopitis circum illum ſatellitibus, ſimúlque imperatore copiarum Abner, non tamen interficere ſuſtinuit, neque Abiſai accenſum ad facinus permiſit: ſed cohibuit his verbis capitis citati verſu 9. *Ne interficias eum: quis enim extendet manum ſuã in chriſtum Domini, & innocens erit?* Et mox verſ. 11. *Propitius ſit mihi Dominus ne extendam manum meam in chriſtum Domini.* Iuuat meam coniecturam ſequens verſus, quem ad iſtam hiſtoriam referendum eſſe mox docebimus.

25 *Et retribuit* &c. Saule cum ſuis euerſo, me verò in eius locum ſuffecto. Hoc videtur ad illud referendum eſſe, quod in hiſto- A ria ad verſum præcedentem notata legitur, nimirum cap. mox citati verſu 23. & ſeq. *Dominus autem retribuat viro iuſtitiam ſuam, & fidem ſuam: tradidit enim te Dominus hodie in manum, & nolui extendere manum meã in chriſtum Domini. Et ecce ſicut magnificata eſt anima tua hodie in oculis meis, ſic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni anguſtia.*

26 *Cum ſancto* &c. vel *Cum miſericorde miſericors eris.* Senſus eſt, Iſte enim tuus eſt mos: cum miſericorde oſtendis miſericor- B diam tuam, & multò ampliùs illi reddis, quàm ſit meritus. Sic Kimhi. *Cum viro innocente* &c. vel *cum viro perfecto* (ſeu *integro*) *perfectum* (ſeu *integrum*) *te exhibes.* Senſus eſt, cum eo, in quo non eſt ſimulata pietas, agis ſyncerè & fideliter, nec fruſtraris eum iuſtis præmiis, & ſpe, quam reponit in te.

27 *Cum peruerſo peruertèris*, ſeu *peruerſum* aut *diſtortum te præbes*, pœnas factis dignas exigendo, & iuxta peruerſa ac diſtorta opera retribuendo, vt cum Pharaone. Huius C loci eſt illud 1. Reg. 8. 32. *Iudicabis ſeruos tuos, condemnans impium, & reddens viam eius ſuper* (vel *in*) *caput eius: iuſtificanſque iuſtum, retribuens ei ſecundùm iuſtitiam eius.* Optimè hunc verſum explicat illud Leuit. 26. verſ. 23. & 24. *Quòd ſi nec ſic volueritis recipere diſciplinam, ſed ambulaueritis ex aduerſo mihi: Ego quoque contra vos aduerſus incedam, & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra.* Necnon illud Prouerb. 3. 34. *ipſe deludet illuſores.* Ezra exponit *cum peruerſo luctaris*, dum eum vincas.

D 28 *Quoniam tu populum* &c. Tu enim perpetuò curam agis pauperum, & eorum qui potentiorũ iniuriis ſunt obnoxij: potentiores autẽ deprimis, quò pertinet hoc, *& oculos ſuperbos* (ad verb. *elatos*, ſeu *excelſos*) *humiliabis*, pro quo in libro Sam. *& oculos tuos ſuper excelſos* ſup. pones, *humiliabis*, eodem ſenſu. Hîc autem *oculos elatos* pro viris elatis ac ſuperbis ponit metonymicῶs, quoniam ſuperbi elatis oculis incedunt; & oculi animi ſunt indices. *Afflictum* ſeu *pau-* E *perem*. Quem antea ſanctum, innocentem, mundum dixerat, nunc afflictum nominat, ſignificare volens hanc ferè eſſe piorum conditionem in hac vita, vt innumeris affligantur malis. Pro *afflicto* Græc. & Lat. verterunt *humilem*: pro עָנִי *ani*, enim legerunt fortaſſe עָנָו *anau*, hoc eſt, *manſuetum, humilem*, quod cum poſteriore membro optimè quadrat propter antitheſim: vel ad ſenſum tantùm reſpexerunt.

29 *Quoniam illuminas* &c. Theſim ad ſe transfert atque accommodat. Me, inquit, olim calamitoſiſſimum ac miſerrimum

non ceſſas quotidie ornare atque amplificare. *Illuminas lucernam meam*, hoc eſt, elucere facis ſalutem ac proſperitatem meam: facis vt omnia mihi affulgeant, & proſpera contingant: ſalus enim & proſperitas eſt veluti lux, & ſplendor: dúmque res ad voluntatem fluunt, cuncta apparent lucida magis, ſpiritibus tunc lucidioribus: contrà anguſtiæ ac miſeriæ tenebras veluti offundunt: & in calamitatibus, ſpiritibus turbatis, ac confuſis, oculi caligant, ideóque tunc omnia tenebris videntur inuolui: quo ſenſu mox dicit, *Dominus Deus meus illuminat tenebras meas*, hoc eſt, meas calamitates depellit. Vide ad verſ 4. pſal. 13. Obiter nota enallagen perſonæ. Raſi & alij putant reſpicere hoc verſu ad noctem, in qua contra Amalecitas, qui Siceleg expugnauerant, dimicauit. Vide 1. Sam. 30. 17.

30 *In te*, id eſt, tua ope. *Tranſilij murum*, hoc eſt, muros vrbium hoſtilium. Verbo *tranſiliendi* celeritatem victoriæ notat. In Midras exponitur hic verſus de capta Sionis arce, & expugnatis Iebuſæis, qui illam incolebant. Vide 2. Sam. 5.

31 *Deus, perfecta via eius*. Accipi debet hic verſus de veritate ac conſtantia promiſſorum Dei: nam id præſertim videtur ſignificare, quod mox ſequitur, *eloquia Domini igne examinata*, hoc eſt, pura, ſyncera inſtar argenti bene excocti ac defæcati, nec vnquam fallunt: atque hoc ſenſu accipit Raſi. Vide ſimilem phraſim pſal. 12. 7. Senſus ergo eſt, Expertus ſum in me Deum ſuos cultores nunquam deſerere, nec vnquam iis deeſſe, qui ab ipſo ſolo pendent, ſed promiſſa certò præſtare. Non ſine emphaſi, & ſingulari venuſtate dicitur hebraicè, *Deus, perfecta* (ſup. eſt) *via eius*, pro, Perfecta eſt via Dei, relatiuo ſimul cum antecedente. Multa tibi in ſacris litteris occurrent ſimilia: & habent Galli in quotidiano ac vulgari ſermone ſimilem loquendi modum. Quoniam verò hæc locutio quibuſdam dura viſa eſt, ſunt qui ſic reddant, *Deus (eſt) cuius perfecta via*: vel ſic, *Deus perfectus (in) via ſua*. Sed melius eſt accipere, vt vertimus, & habet maiorem emphaſim.

32 *Quoniam quis Deus* &c. qui poſſit impedire, quominùs præſtet promiſſa, ac ſuis opituletur, quemadmodum pollicitus eſt.

33 *Deus, (Fortis,) qui præcinxit me* (ad verb. *præcingens me*) *virtute*. Ipſius eſt fortitudo, & ipſe largitur fortitudinem. Kimhi. *Poſuit perfectam viam meam*, hoc eſt, viam mihi communiuit: ſuſtulit omnia impedimenta de via, ex Raſi. In hoc & duobus

A ſequentibus verſibus verba in Hebræo partim ſunt præſentis, partim præt. partim fut. temporis: quæ tamen omnia per præteritum expreſſimus, quod meliùs argumento conuenit. Videndum enim eſt, quum eiuſmodi temporum confuſio in Sacris litteris occurrit, vt ſæpe in Pſalmis, quod tempus præſertim ſenſus poſtulet.

34 *Qui poſuit pedes meos* (ſupple, cum Chald. leues) *tanquam ceruarum* ad perſequendos, vel fugiendos hoſtes, ne ipſi me aſſequerentur. Poſteriore modo Kimhi, & aptiùs quidem, vt videtur, ad ſequens mē- B brum, necnon ad ſimilitudinem ceruarum, quæ venatorem fugiunt, non perſequuntur. Non eſt ignaui, ſed potiùs prudentis ducis fugere interdum, vbi maior damni metus, quàm emolumenti ſpes oſtenditur. Dauidem legimus interdum fugiſſe. Et ipſe 1. Sam. 27. 1. *Nonne melius eſt*, inquit, *vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſtinorum*, &c. Paulò illic aliter in Hebræo: verùm eódem redit ſententia. Cæterum neque alienum erit priore modo accipere, cùm Aſael frater Ioab *curſor velociſſimus quaſi vna de ca-* C *preis, quæ morantur* ac degunt *in ſyluis* ſcribatur fuiſſe, 2. Sam. 2. 18. & tamen ille acriter inſequutus fuiſſe Abner illic dicatur, non fugiſſe. Dicam quod ſentio. Vtroque ſimul modo commodè accipi poteſt. Obſeruat Ezra in hoc verſu pedum mētionem facere, quòd mox viæ meminiſſet. Raſi annotat *ceruarum* dicere in fœm. quòd fœminæ in iſto genere rectiùs ſtent quàm mares. *Et ſuper excelſa mea*, hoc eſt, in iis locis, quò me recipiebam. Qui hoſtem fugit, ſolet montes petere, ad quos non tam facilis D eſt acceſſus: idcirco hîc dicit, *excelſa mea*, quod Chald. interpretatus eſt *locum roboris mei*. *Statuit me*, ac ſecurum eſſe iuſſit.

35 *Qui docuit manus meas ad prælium*. Quòd fortiter toties pugnaui, illud ſanè vni Deo acceptum refero, cuius magiſterio formatus ſum ad militiam; *qui*, vt dicitur pſ. 144. 1. *docet manus meas ad prælium*, (&) *digitos meos ad bellum*. *Et contritus eſt arcus æreus* &c. Senſus eſt, Ita inſtruxit ad E prælium manus meas, vt excuſſerint arcum chalybeum è manibus hoſtium, meíſque brachiis fuerit facilè contritus. (Hyperbole.) *Arcum æreum* ſeu *chalybeum*, hoc eſt, fortem inſtar chalybis, quod genus eſt ferri duri. Sic Kimhi. Ad mentem Raſi vertendum, *& tenſus eſt arcus æreus brachijs meis*, quod quidem non facit incommodum ſenſum. Verùm ridiculum prorſus quod narrat, (& ipſe ab aliis accepit) habuiſſe Dauidem arcus æreos ſuſpenſos apud ſe, quos cum reges quidam gentiles cernerent, cœpit alter alteri dicere, Tu

Digitized by Google

putas ſatis eſſe virium Dauidi ad hos tendendos arcus: minimè verò: ſed hoc fit ad incutiendum nobis terrorem: quod cùm audiſſet Dauid, ſtatim coram iis tetendiſſe. Siccine eſt ridiculus, quem tamen ob inſignem doctrinam Iudæi *Caput Tribuum Iſraël* cognominant? Siccine licet diuinare? Latinus habet, *& poſuiſti vt arcum æreum brachia mea*: legit enim, vel potiùs Græcus, quem ſequitur, נָתַתָּה *nathatta*, id eſt, *poſuiſti*, vbi hodie נִחֲתָה *nichatha*, *contritus eſt*, ח pro, ת, & aliis punctis, quàm quæ poſtea à Maſſoretis affixa ſunt. Bene profectò legit, & ad rem, & priori membro propiùs, ideóque conuenientiùs. Ac ſic dubio procul legit Chaldæus Maſſoretis antiquior: habet enim, *Qui docet manus meas ad faciendum bellum, & roborat inſtar arcus ærei* (ſeu *chalybei*) *brachia mea*. Quid aliud in Vulgata? Niſi quòd Chaldæus correxit enallagen perſonæ, quæ eſt in Vulg. quod non admodum fuit neceſſe, cùm eiuſmodi Enallage crebra ſit in Sacris litteris, in Pſalmis præſertim, vbi multa fiunt metri, & carminis gratia. Exempla habes ſuprà, verſ. 29. & mox duobus ſequentibus verſibus, vbi reperies verba ſecundæ perſonæ, cùm antè præceſſerint verba tertiæ: & infrà, verſ. 48. & 49. Habet in carmine venuſtatis aliquid iſta figura. Eodem prorſus modo eſt in Syriaca verſione.

36 *Et dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ*. Sẽſus, Salus atque auxiliũ tuum in omnibus præliis fuit mihi clypeus, cùm ad me protegendum, tum ad repellendos hoſtes. *Et dextera tua fulciuit me*, id eſt, tua ſolius ope factum, vt ſuccubuerim nunquam. *Manſuetudo tua multiplicauit me*, id eſt, tu pro tua benignitate feciſti, vt ego cum paucis hoſtes licet numeroſos vicerim, perinde ac ſi militum numero ſuperaſſem. Sic ferè Kimhi. Potes vertere & exponere iuxta Ezram, *manſuetudo tua*, id eſt, quam tu in me poſuiſti, *magnificauit me*.

37 *Dilataſti greſſus meos* &c. hoc eſt, Tu per vias latas me deduxiſti. Qui autem lato itinere incedit, non facilè cadit: idcirco ſubiicit, *& non vacillarunt crura mea*. Quo ſenſu Prou. 4.12. *Quum ambulaueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum*.

38 *Perſecutus ſum* &c. In hoc & ſequente verſu hebraicè verba ſunt fut. temp. quæ Latinus quoque per futurum expreſſit. Sed præterita magis argumento conueniunt. Nec eſt admodum habenda ratio temporum in hoc pſalmo, vt & in aliis, niſi quatenus cum argumento conſentiunt, vt dictum eſt. Porrò ex ſententia Kimhi hi verſus ad victoriam de Amalecitis ſpeciatim ſunt referendi, quos ſtrenuè perſecutus Dauid, omnes ad internecionem deleuit præter quadringentos iuuenes, qui camelis inſidentes fugam arripuerunt: vt videre eſt 1.Sam.30.17.

39 *Transfixi illos*, &c. Apud Sam. *Et conſumpſi eos, & transfixi eos*, &c. Nota. Verba, quæ hîc in Fonte fut. ſunt temporis, illic ſunt præteriti propter ו conuerſiuum.

40 *Et præcinxiſti me* &c. Quaſi diceret, Non mea eſt iſta gloria, ſed tua, qui mihi tantum roboris ſubminiſtraſti, vt quotquot mihi aduerſarentur, ad pedes ſtrauerim. *Incuruaſti* &c. Quod ipſe diuina ope adiutus peregit ac confecit, Deo adſcribit.

41 *Inimicos meos dediſti mihi ceruicem*, id eſt, Feciſti vt mihi ceruicem ac terga hoſtes verterent. Sic Exod.23.27. *dabo omnes inimicos tuos ad te ceruicem*: vbi Vulgata habet, *cunctorum inimicorum tuorum coram te terga vertam*. Sic Raſi, Ezra, Kimhi hanc phraſim accipiunt. Et quidem Ezra idem eſſe ait *inimicos meos dediſti mihi ceruicem*, ac dediſti mihi ceruicem inimicorum meorum, ipſis fugam arripientibus, & probat ex Geneſ. 49. 8. vbi legitur, *manus tua in ceruice inimicorum tuorum* ſup. *erit*, hoc eſt, tu hoſtes tuos in fugam vertes. Addo ego illud Ioſ. 7. 12. *non poterunt filij Iſraël ſtare coram inimicis ſuis, ceruicem vertent coram inimicis ſuis*. Sunt qui iſtam phraſim ſic hoc loco interpretentur, Dediſti mihi ceruices inimicorum, vt ſcilicet mihi ſubiicerentur, & iugum ceruicibus eorum imponerem. Vel ſic, Dediſti hoſtium ceruicem, ſcilicet feriendam, id eſt, tradidiſti eos mihi mactandos: quo ferè modo Latini dicunt *dare alicui ceruicem*. Sed vtrumque à conſuetudine hebræi ſermonis alienum eſt. *Et oſores meos diſperdidi*, ad verb. *& oſores mei, diſperdidi eos*, antecedente ſimul cum relatiuo pro ſolo antecedente, quod eſt frequens & elegans in Hebræo idiomate.

42 *Nec (erat) qui ſaluos faceret*: neque enim recto animo ad Deum clamabãt. Raſi hunc verſum exponit ſic: *Clamauerunt* ad idola ſua, *nec erat qui ſaluos faceret*, ſiquidem illa nihil poſſent: tandémque conuerſi clamauerunt *ad Dominum, nec exaudiuit eos*. Sic ferè ille. Nota. Hebraicè in verbo יְשַׁוְּעוּ *ieſchauuen*, *clamauerunt*, ſeu יִשְׁעוּ *ijſchu*, *aſpexerunt*, quod verbum pro illo legitur in lib Sam. & participio מוֹשִׁיעַ *moſchia*, *ſaluos faciens*, elegans eſt paronomaſia, ſiue mauis paromœon.

43 *Et comminui* ſeu *contudi eos*, &c. Reſpicit, credo, ad hiſtoriam quæ deſcribitur 2. Sam. 12. ſub finem, necnon 1. Paral. 20.

Digitized by Google

initio, quando Ammonitas qui reperti ſunt in Rabbath, & aliis vrbibus, ſerris ſecari & circumactis ferratis carpentis proteri iuſſit. Atque verſus hic, vt habet in libro Sam. magis exprimit hanc hiſtoriam, ſic, *Et contudi eos vt puluerem terræ: quaſi lutum platearum comminui eos, (&) diſtendi eos.*

Extenuaui eos. Iuxta alios eſſet vertendũ, *poſui eos lutum*, idque tenue. In Græco eſt λεανῶ, quod ſignificat *delebo*, vel *extenuabo*. Verùm vltima ſignificatio magis loco conuenit, etſi Latinus priorem ſequutus eſt.

44 *Eripuiſti me de contradictionibus (contentionibus) populi*, apud Sam. *populi mei.* Non mihi dubium eſt quin hoc referri debeat ad ciuile bellum Abſalomi potiſſimùm, quod rem illam ad ſuperiorem verſum notatam ſequutum eſt. Poteſt tamen ad Saulis bellum referri; vel etiam ad vtrũque, & quoduis aliud ciuile bellũ; quale à morte Saulis inter Iudæ Tribum, quæ ſola penes Dauidem erat, & reliquos Iſraëlitas, qui penes Is-boſeth, eiuſque filios toto imperij ipſorum tempore exarſit; & quale non longè poſt peremptum Abſalomum, Seba quodam duce, qui peſſimum quemque ad arma incitauerat, exortum, de quo bello legendum 2. Sam. cap. 20. Igitur per *contradictiones populi* intellige rebelliones, & ſeditiones. *Gentium* externarum, exempli gratia, Idumæorum, Syrorum, & aliorum. *Populus, (quem) non cognoui*, hoc eſt, externi. Sententia quæ hoc, & duobus ſequentibus verſibus continetur, rectè accommodatur ad Chriſtum: fuit enim Dauid typus Chriſti in omnibus. Verba, quod fortaſſe mirum videbitur, hîc & deinceps, vt antea ſæpe, ſunt futuri temporis, cùm tamen hiſtoriæ, quæ deſcribitur, conueniant præterita. Idcirco nos futura illa per præterita vertimus, vt ſenſus & contextus poſtulat. Tenendum ergo illud eſt, ſæpiſſime in pſalmis diſtinguenda & exponenda eſſe tempora ex filo orationis magis, quàm ex litteris temporum figuratiuis: quod iam toties repetiimus.

45 *In auditu* (heb. *Ad auditum*) *auris*, id eſt, ad ſolam famam nominis mei: quo modo Iob dicebat Deo, cap. 42.5. *Auditu* (ad verb. *Ad auditum*) *auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te:* cuius loci hæc ſententia eſt, Audiueram quidem de te, ſed nihil præter auditum habebam: nunc autem, poſtquàm docuiſti me, pleniùs te agnoſco, & quaſi coràm conſpicio. Raſi explicat *ad auditum auris*, ad ſolam meorum legatorum auditionem. Sunt ex noſtris qui explicent *ad auditum auris*, id eſt, promptiſſimè, mox audito imperio. *Obedierunt mihi.* Iuxta alios, *congregati ſunt ad me*, hoc

A eſt, ad meam fidem confugerunt. *Filij alieni*, hoc eſt, alienigenæ. Nota נֵכָר *nechar*, id eſt, *alieni*, eſſe in genit. caſu. *Mentiti ſunt mihi*, præ timore negantes ſe vnquam bellum aduersùm me commiſiſſe. Aut expone *mentiti ſunt* iis cum quibus fœdus antea inierant. *Mihi*, hoc eſt, propter me. Leguntur Syri, & quotquot ſocietatem cũ Ammonitis, de quibus dictum ad verſum 43. coïerant, quòd viderent ſe ab Iſraëlitis eſſe ſuperatos, pacem cum Iſraëlitis feciſſe, veritique eſſe deinceps ferre auxilium Ammonitis, vt videre eſt 2. Sam. 10.19. Vtroque modo Kimhi. Vel *mentiti ſunt mihi*, ſimulantes beneuolentiam, & voluntariam B ſeruitutem.

46 *Inueterati ſunt*, hoc eſt, curâ, ac ſollicitudine confecti ſunt. Alij vertunt *deciderunt*, hoc eſt, iuxta Raſi & Ezram, fatigati ſunt, ac defecerunt, quo modo verbum hebraicum accipitur Exod. 18. 18. Kimhi exponit *deciderunt* veluti folium. At Menachem explicat *inueterati ſunt*: ſic & idem verbum Exodi loco citato interpretatur. Chaldæus expoſuit *defecerunt*: Græcus & Latinus *inueterati ſunt*: ac fortaſſe lege- C runt יִבְלוּ *iyublu*: & ſic legit Auctor verſionis Syriacæ, qui hîc habet, יִתְבַלוּן *nethblun*, id eſt, *inueteraſcent*, à בלא *blo.* Eundem ſenſum iſta omnia faciunt. *Claudicauerunt à clauſuris ſuis.* Alij *horruerunt è clauſtris ſuis*, hoc eſt, etiam in palatiis, arcibus, & locis, quibus ſe præ timore incluſerant, horruerunt. Sic Ezra & Kimhi. At Dones interpretatur *claudicauerunt à clauſuris ſuis*, id eſt, propter compedes ſuis pedibus iniectas. Græcus & Latinus ſic quo- D que acceperunt verbum יַחְרְגוּ *iachreghu*, in ſignificatione nimirum, quam habet verbum חָגַר *chaghar*, in lingua Chaldaica, quaſi ſit hîc metatheſis litterarum. Certè quid ea voce ſignificetur, non facile fuerit pronuntiare, præſertim cùm non alibi extet in Sacris litteris, quàm hîc.

47 *Viuit*, vel, *Viuat Dominus*, &c. Laudat ac celebrat Deum ſuarum victoriarum, & bonorum autorem. Ezra hanc vult habere ſententiam hunc verſiculum, Quia Deus meus viuens E eſt in æternum, æternùmque excelſus erit Deus ſalutis meæ, idcirco non timebo. Iuxta hanc expoſitionem pro *exaltetur* verte *excelſus erit.* Si vertatur *Viuat*, durius illud prima fronte videatur, quòd nemo efficere ſuis votis poſſit, vt Deus viuat, vel non viuat. Sed hoc ἀνθρωποπαθῶς dicitur, & hominum more, qui ſuis regibus gratuaturi longam ac diuturnam vitam precantur. Multis in locis Sacrarum litterarum populum legimus nouo regi gratulatum ad

Digitized by Google

A iſtum modum, *Viuat rex.* Iſtud autem *viuat Dominus*, haud incommodè exponetur, perinde ac ſi diceret, Oſtendat ſe Deum eſſe viuentem, non mortuum, hoc eſt, pergat Dei viuentis atque immortalis opera edere. Similiter id quod addit, *exaltetur*, accipi debet, quaſi diceret, conſpiciatur magis ac magis eius virtus ac potentia: alioqui enim Deus in ſe exaltari non poteſt, qui omnia in ſe continet, vt ipſi nihil addi queat.

48 *Deus, qui dat* ſeu *dedit vltiones mihi* de hoſtibus, hoc eſt, à quo vim habui hoſtes vlciſcendi. *Et ſubdit* (heb. *adducit*) *populos ſub me*, hoc eſt, tot mihi populos ſubiicit. Ex Raſi & Kimhi verti etiam poteſt, *& occidit* ſeu *perdidit* (quam ſignificationem habet verbum hebraicum 2. Paral. 22.10.) *populos pro me*, hoc eſt, qui fecit vt in bello caderent populi, non ego, eóſque pro me veluti mactauit. Citat Raſi ſimile quid ex Eſ. 43.3. *dedi pretium tuum Ægyptum, Æthiopiam, & Saba pro te.* Verſu ſeq. *& dabo homines pro te, & populos pro anima tua.* Hæc vltima verſio bene quadrat ad prius membrum. Atque hoc ſenſu Chaldæus accepit poſterius membrum, qui interpretatus eſt, *& confringit populos, qui inſurgunt ad malefaciendum mihi, pro me.* Ezra priore modo accepit qui וַיַּדְבֵּר *vaiiadhber*, exponit *& adduxit quaſi ad caulam*, videlicet ex nomine דֹּבֶר *douer*, quod eſt *caula.* Citat locum ex Mich. 2.12 quem vide. Apud Samuelem, vbi eſt idem hic Pſalmus, pro hoc verbo eſt וּמֹרִיד *vmoridh, & deijcit.*

49 *Etiam præ inſurgentibus* &c. Non tantùm me ab hoſtibus liberaſti, ſed etiam ſuper illos extuliſti. Sic Kimhi. *A viro iniquo.* Kimhi putat notare Saulem, déque eo agere vltimo loco, quòd eius à Saule liberatio fuerit initium omnis illius gloriæ. Ezra regem aliquem gentilem putat intelligere, non enim vocaturum fuiſſe Saulem *virum iniquum.* Sed de hac re iam ad argumentum pſ.7.

50 *Confitebor tibi* quòd à te ſalus mihi contigit. *In nationibus*, id eſt, in oculis omnium gentium, quæ ſub mea ſunt poteſtate. B

51 *Magnificans ſalutes* &c. hoc eſt, Qui magnificè & miris modis me regem tuum ſeruaſti. Hîc inſignis eſt enallage perſonæ. *Salutes* quum ait, vult ſignificare ſe non ſemel, ſed multoties eſſe ſeruatum. *Salutes regis ſui* ait, non *meas*, vt oſtendat non inuaſiſſe regnum, quod plerique crediderant. *Faciens miſericordiam* &c. Diuinæ miſericordiæ accepta refert omnia ſua. *Et ſemini ſuo* &c. Dubitare non potuit quin Deus erga poſteros eâdem, quâ erga ſe, miſericordiâ eſſet vſurus, quippe cui per Nathan Prophetam dixerat, *Et firma erit domus tua & regnum tuum vſque in ſeculum* &c. 2. Sam.7.16.

Digitized by Google

PSALMVS

XVIII. XIX.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Pſalmus Dauid.

2 *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.*

3 *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.*

4 *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.*

5 *In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.*

6 *In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo:*

7 *Exultauit vt gigas ad currendam viam: à ſummo cælo egreſſio eius:*

8 *Et occurſus eius vſque ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.*

9 *Lex Domini immaculata conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.*

10 *Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

11 *Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi: iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.*

12 *Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum: & dulciora ſuper mel & fauum.*

13 *Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea: in cuſtodiendis illis retributio multa.*

NOVA.

PRÆCENTORI, Pſalmus Dauid.

2 Cœli enarrant gloriam Dei, & [a] opera manuum eius annunciat firmamentum. *a heb. opus*

3 Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.

4 Non (ſunt) loquelæ, neque ſermones, (quorum) non [b] audiantur voces eorum. *b heb. audiatur vox eorum.*

5 In omnem terram exiuit linea eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: ſoli poſuit tabernaculum in ipſis.

6 Et ipſe tanquam ſponſus procedens è thalamo ſuo: exultat vt potens ad currendam viam.

7 A [c] ſummo cœlo egreſſio eius, & [d] recurſus eius vſque ad [e] ſummum eius: nec eſt [f] qui ſe abſcondat à calore eius. *c heb. extremo cælorum* *d reuolutio* *e heb. extrema eorum:* *f vel quod abſcondatur*

8 Lex Domini [g] immaculata, conuertens [h] animas: teſtimonium Domini fidele, [i] ſapientiam præſtans paruulis. *g perfecta,* *h heb. animam:* *i heb. ſapientem efficiens ſimplicem.*

9 Mandata Domini recta, lætificantia cor: præceptum Domini purum, illuminans oculos.

10 Timor Domini mundus, permanens in æternum: iudicia Domini [l] vera, iuſtificata ſunt ſimul. *l heb. veritas,*

11 Deſiderabilia ſuper aurum & obryzum multum, & dulcia ſuper mel & ſtillationem fauorum.

12 Etiam ſeruus tuus [m] illuſtratur in eis: in cuſtodiendis illis [n] retributio multa. *m vel admonetur per ea:* *n merces*

Digitized by Google

13 Errata quis intelligit ? ab occultis munda me.

o vel ſuperbis 14 Etiam à [o] ſuperbiis prohibe ſeruum tuum, ne dominentur in me: *p perfectus ſeu integer* tunc [p] immaculatus ero, & mundus ero à [q] delicto [r] maximo.

q vel prævaricatione *r vel multo.* *ſ ad verb. Sint ad placitum* 15 [ſ] Complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo: Domine, petra mea, & redemptor meus.

14 Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſeruo tuo.

15 Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.

16 Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

17 Domine adiutor meus, & redemptor meus.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *Docet cùm ex ſuperarum & cœleſtium rerum contemplatione, tum imprimis ex Legis perfectione, atque integritate magnam vim eſſe ad Dei potentiam ſapientiámque cognoſcendam. Tandem à Deo petit, ſi quid imprudens aut etiam ſciens commiſerit, ſibi condonari.*

2 *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. Primùm docet Dauid cognoſci ac veluti oculis ſentiri Deum ex naturalium rerum intuitu & contemplatione. Quoniam autē in rebus naturalibus, quæ ſub aſpectum cadunt, primū locū, ſiue quantitas, ſiue qualitas ſpectetur, obtinent cæli, & in cælis ſol ipſe, cælos & ſolem nominat, quò maiorem Deum demonſtret tātorum operum authorem. Sciebat enim Dauid maiora opera maiorem artificem probare. Idcirco magnitudinem Creatoris probaturus, maiora ac præcipua, quæ in rebus creatis cernantur, opera proponit. Quum autem *cœlos* ait *enarrare gloriam Dei*, &c. accipe dictum per proſopopœiam, quaſi hoc velit, cœlos teſtes eſſe ac præcones aſſiduos gloriæ ac potentiæ Dei, dum ſcilicet quantus ſit Deus, quanquam taciti, quotidie docent atque admonent, nobíſque ingratitudinem & ſtoliditatem quodammodo exprobrant, qui Dei gloriam non celebremus, vt par eſt, nedum cognoſcamus. Similis eſt figura per proſopopœiam, Iob 12. 8. *loquere terræ, & reſpondebit tibi*: & alibi paſſim. Explodendus eſt Rabbi Moſes, (is quem Hebræi *Doctorem iuſtitiæ ſapientem* honoris ergò cognominant) qui cœlis vitam, intelligentiam, ac Dei cognitionem tribuit, & hanc quidem minorem, quàm habeant Angeli, ſed maiorem, quàm habeant homines: ſícque hunc locum accipit, vt ſonat. Legat illum, qui poteſt, cap. 3. lib. *Scientiæ*, Tract. de *Fund. legis*. *Dei*. heb. אֵל *el*, quæ vox Deum, vt fortem ac potentem, ſignificat, ideóque huic loco apta eſt, vbi de Dei

A gloria ac potentia agitur. *Et opus manuum eius* &c. Idem pro more carminis repetitur: ſenſúſque eſt, ipſúmque firmamentum clarè docet ac palàm teſtatur ſe Dei opus eſſe, & à nullo alio quàm Deo fieri ac componi potuiſſe. *Firmamentum*. In Fonte רָקִיעַ *rakia*, quæ vox propriè *expanſum* ſeu *expanſionem* ſonat, & à Chald. & Ezra pro aëre hîc accipitur. Et Chaldæus quidem ſic hunc verſum interpretatur, *Qui conſiderant cœlos, enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiant qui ſuſpiciunt in aëra.* B Raſi vocem prędictam pro cœlo accipit, ac poſterius membrum huius verſus ſic ferme exponit, *& opus manuum eius annuntiat cœlum*, ſtellas videlicet, & planetas palàm oſtendit, quæ quidem opus ſunt manuum Dei Opt. Max. ibíque ſunt, ſicuti dicitur Gen. 1. 14. *Fiant (Sint) luminaria* בִּרְקִיעַ *birkia*, *in expanſione cœli*; indéque annuntiant illius gloriam. Kimhi quoque, & plerique omnes hebræi vocem illam pro cœlo accipiunt. Græcus etiam, qui στερέωμα, & Latinus, qui *firmamentum* vertit. Quòd *cœlum* C ſignificet, probat euidenter locus Gen. à Raſi cit. Nam nemo dicat Solem, Lunam, aliáſque ſtellas, de quibus illic agitur, eſſe in aëre.

3 *Dies diei eructat* &c. ad verb. *ſcaturit*, id eſt, loquitur continuò & abſque intermiſſione, & inſtar fontis perennis nunquam ceſſat. Sic pſal. 119. 171. *Eructabunt* (ad verb. *Scaturient*) *labia mea hymnum*. Ezra ſic ferè ad hunc verſum: Demonſtrationes perfectæ afferuntur ex Arithmetica, (ex motuū nimirum ſymmetria, & aſymmetria) quòd

conſtellationes mutantur in omnibus ſuis partibus, nec vſquam futura eſt diſpoſitio conſtellationis ſimilis alteri, etſi mundus duret mille millibus myriadum annorum: atque idcirco quod de nouo fit hodie, docet nos in diem ſequentẽ: ac ſic vnus dies alterum docet, ætáſque ætatem: ſiquidem ſingulis diebus noui aliquid fit. Neque obſtat illud Eccleſ. 1. 9. *nihil ſub ſole nouum.* Generaliter enim hoc accipiendum. Sic ille, qui obſeruat *diem*, & *noctem* hîc ſignificare tempus permanens, id eſt, illud quod Græci νυχθήμερον vocant. Aliter Kimhi, Dies hic loquitur de die ſequente, ſicque nox de ſequente nocte: quaſi dicat, Ordo ille motuum, qui fiunt interdiu ac noctu, ſicuti ſe habuit à mundi exordio, ſic eſt, ac ſic erit perpetuò, neque vnquam aliter ſe habebit. Si ita eſt, dies hic nuntiat de craſtino: certum enim eſt illum ſimilem futurum. Sic ferè ille, ad cuius mentem vertendum, *Dies de die eructat* (*loquitur*) *verbum, & nox de nocte indicat ſcientiam.* Vult ſcilicet hoc verſu celebrari perpetuum ac conſtantem illum motuum ordinem. Sunt qui aliquid ſubaudiant, ſic, *Dies* (*ſuccedens*) *diei eructat* (*fundit*) *verbum*, ne quis diem narrare diei exiſtimet, ſed nobis: quaſi diceret, Singuli dies nobis loquuntur potentiam Dei: poſterior ſemper auget ſcientiam, & diſcipulus eſt prioris poſterior dies. Optimè omnium B. M. Card. Bellarminus, qui ſcribit in hoc verſiculo declarari prædicationem ſine intermiſſione: & quia cœlum prædicat per dies, & noctes, cùm interdiu conſpiciatur pulchritudo Solis, & noctu pulchritudo ſtellarum: & quia dies, ac noctes non permanent, ſed labuntur, ac ſibi inuicem ſuccedunt; ideo poëtico artificio fingere Prophetam, vnum diem peracto curſu, & prædicatione ſua, tradere diei ſequenti verbum prædicationis, & noctem quoque peracto curſu, & quaſi hymno cantato, tradere nocti ſequenti munus canendi. Addit præterea Card. ille, quem laudaui, *Dies diei eructat verbum*, id eſt, dies, cùm finitur, tradit alteri diei verbum laudis diuinæ. *Et nox nocti indicat ſcientiam*, id eſt, & nox ſimiliter, cùm finitur, *indicat*, id eſt, annunciat nocti ſuccedenti ſcientiam laudandi Deum: atque ita iugiter, & ſine vlla intermiſſione dies & noctes quaſi choreas ducunt, & Deum laudibus celebrant. Magnifica verò interpretatio, & magno ac pio viro digna. Obſeruat porrò ex Hebræis quidam diei verbum aut ſermonem, nocti verò ſcientiam hîc tribui, quòd nox comparandis ſcientiis, ac præſertim mathematicis, dies verò iiſdem tradendis, atque ediſſerendis aptior ſit.

A 4 *Non ſunt loquelæ*, &c. Senſus, Cœlorũ ſermo non eſt ſummiſſus, & qui non audiatur ab omnibus. Vel, non eſt obſcurus, aut barbarus, qui non intelligatur. Sermo eſt inſcriptus omnium noſtrûm oculis, qui intelligitur & legitur ab omnibus hominibus, dũ manifeſtum fit cœlos eſſe opus digitorum Dei. Hîc ergo *audiri* pro *intelligi* ſumi poteſt, vt in multis Scripturæ locis: ex. gr. 2. Reg. 18. 26. *Precamur, vt loquaris nobis ſeruis tuis Syriacè: ſiquidem intelligimus:* ad verbum *audimus*. Sic Gallis *entendre*, & audire & intelligere ſignificat. *Quorum.* B Deerat hebraicè, vt ſæpe pronomen relatiuum, quo expreſſo iam pronomen *eorum*, vt ſæpe pronomen tertiæ perſonæ, redundat: quod quidem non parum habet elegantiæ, & tritum eſt apud Hebræos. Chaldæus poſtremæ interpretationi fauet: habet enim, *Non eſt ſermo tumultus, nec ſunt verba ſtrepitus, quorum non auditur vox eorum.* Potes vertere *quibus* (vel *vbi*) *non audiatur vox eorum*, hoc ſenſu, Nulla natio tam barbara, vbi Cœlorum ſermo non intelligatur. Ad mentem Raſi, Ezræ, C Kimhi, & aliorum ex Hebræis vertendum, *Non eſt ſermo, nec ſunt verba: non auditur vox eorum:* quod ita accipiunt, quaſi ſit anthypophora, ſeu præoccupatio, quâ emolliat Dauid ſuperiorem proſopopœiam, ac dicat, Non quidem nos alloquuntur Cœli, ſed illorum ſtructura ac motus docet nos Dei potentiam ac magnificentiam, quod quidem ſignificabit ſequens verſus. Sic nihil erit ſupplendum textui hebræo. Hæc vltima expoſitio ſatis ſe mihi probat. Hîc Ezra diſtinguit inter D *ſermonem, verba*, & *vocem*, quòd *ſermo* (ſeu *oratio*) verba ſint habentia ſenſum perfectum, vt cùm quis dicit, *Ruben viuit:* *verbum* autem ſeu *vocabulum*, ſit exempli gratiâ *Ruben: vox* denique ſit quæ audire facit litteram *R* vocabuli *Ruben*. Sic ſenſus erit, Cœlorum non eſt ſermo, nec verba, ac nequidem vox.

5 *Linea eorum*: id eſt, ædificium eorum, iuxta Kimhi & alios: quaſi diceret, Orbes E illi cœleſtes tam eleganter, quaſi lineatim, fabrefacti, ſuper totam terram extenduntur, & propterea *in fines orbis terræ verba eorum:* nemo enim eſt, qui non loquatur de iis quę in cœlis videt. Hęc expoſitio optimè quadrat cum vltima expoſitione præcedentis verſus: docet enim quomodò cœli loqui dicantur, cùm muti ſint, & ſermonis expertes. Exponit Ezra *linea eorum*, ſcriptura eorum. Certè bene cõuenit ſcripturæ cum verbis, quorum mox mentio fit in ſequente membro, ac ſic ſenſus eſt perſpicuus, in cœlis, tanquam in volumine

Digitized by Google

lumine, Dei gloriam omnibus legendam A proponi, ac ſimul illis quodammodò inditam eſſe vocem, quæ ad omnium aures perueniat. Græcus, Latinus, D. Hieron. habent *ſonus eorum*, ac videntur legiſſe קוֹלָם pro קַוָּם: ac ſic D. Paulus ad Rom. 10. Symmachus quoque vertit ὁ ἦχος αὐτῶν. Et ſanè alterum ac ſequens membrum, vbi *verborum* mentio fit, poſtularet vt in præcedente *vox* (aut *ſonus*) *eorum* legeretur, potiùs quàm *linea eorum*: nam in Pſalmis idem ſolet bis dici ac repeti in ſingulis B verſibus, vt iam ſæpe dictum eſt. Pluris apud nos eſſe debet auctoritas vnius Apoſtoli, quàm omnium Rabbinorum. Probabile ergo fuiſſe olim קוֹלָם. Non placet Apocope poëtica, quam hîc abſque exemplo fingit Genebrardus, קַו *kau*, pro קוֹל k*ol*. Cui palato hoc ſapiat? Vertendo *ſonus* (ſeu *vox*) *eorum* ſenſus optimè cohærebit cum præcedente verſu, etiam iuxta expoſitionẽ vltimam, quæ eſt Hebræorum, quaſi dicat, Etſi muti ſunt cœli, nec propriè loquuntur, C loquuntur tamen ſuo modo, & quidem vniuerſo orbi, dum ſcilicet omnes ad celebrandam Dei potentiam excitant. Omitto quo ſenſu accipiat hunc locum D. Paulus: nam de hac re multi egerunt. *Soli poſuit* &c. Solis ſpeciatim meminit, quòd omniũ cœleſtium corporum maximum ſit, & vtiliſſimum. *In ipſis*, hoc eſt, in vno ipſorum. Sic Iud. 12. 7. *Et ſepultus eſt in vrbibus Galaad*, hoc eſt, in vnâ vrbium Galaad.

6 *Tanquam ſponſus* &c. Vt enim, inquit Ioſeph Kimhi, ſponſus ad ſponſam redire D geſtit, ita ſol redit quotidie ad locum ortus ſui. Vel ſolem comparat ſponſo egredienti è thalamo nuptiali, quòd, inquit Dauid Kimhi, vt hic omnium in ſe oculos conuertit, ita ſol exoriens. Idem ſentit & Ezra. Addo aliquid. חֻפָּה *chuppa*, quod vertimus *thalamus*, velum illud, ſicuti obſeruat Elias Leuita in Tisbi, apud Hebræos nunc appellatur, quod ſuper caput ſponſi & ſponſæ tempore deſponſationis quatuor vectibus expanditur: addo, & ſub quo demum, non antea, ratum & confirmatum matrimonium habetur: vnde ſponſus, quum illinc E prodit, ingenti ſtatim circunſtantium gaudio excipitur. Ad hunc morem (ſi tamen olim in vſu fuit) reſpexiſſe videtur Dauid, quum ait, *Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*. Hoc putat Elias Leuita loco cit. *Exultat* ſeu *gaudet vt potens*. Hoc dicit, propterea quòd, inquit Kimhi, vt vir fortis, dum ſeſe ad bellum accingit, geſtit ac lætatur, ita ſol, dum oritur: emicatio quippe, ac ſcintillatio ſolis exorientis gaudium quoddam eſſe videtur. Addo, vt ſtrenuus curſor laſſatur nunquam, ita ſolem nunquam laſſari. Meir Arama putat duplicem ſolis motum hoc verſu deſcribi, proprium vnum, violentum alterum, illum lentum, hunc celerem ac rapidum: illum optimè ſponſi è thalamo egredientis ſimilitudine depingi, quòd quemadmodum ſpõſus thalamo nuptiali integrum annum, antequam exire ad militiam liceat, (ex Moſis lege ſcilicet quæ legitur Deut. 24. 5.) impendit, ita ſol curſum illum proprium ac lentum anni ſolùm ſpatio conficiat; celerem autem, fortis ac ſtrenui viri ſtadium celeriter decurrentis, quòd citò, vnius videlicet diei interuallo, illum abſoluat. Omitto alia quæ hîc ſubtiliter philoſophatur ex Mathematicorum ſcientiâ. Ego profectò exiſtimo nihil aliud velle ſignificare Dauidem ſponſi ſimilitudine quàm ſolis ornatum & pulchritudinem, ſtrenui verò curſoris, nihil aliud quàm celeritatem, ac denique verbo *exultandi* alacritatem quandam. Neque enim credendum philoſophari hîc ſubtiliùs Dauidem. Chaldæus interpretatus eſt, *Et ipſe manè, dum prodit, prodit tanquam ſponſus qui prodit è thalamo ſuo, & meridie exultat vt potens (vir) ad decurrendum viam.*

7 *A ſummo cœlo.* Heb. *Ab extremo cœlorum*, hoc eſt, ab extremo oriente. Verè loquitur, inquit Ezra, de motu Solis: ſol quippe motu contrario motui magno mouetur. *Nec eſt qui* (vel *quod*) *ſe abſcondat* &c. calor enim ſolis eſt mundo, quod calor cordis corpori humano. Ezra. Obſeruat Kimhi dici *à calore eius*, nõ autem *à luce eius*, quòd nonnemo poſſit à conſpectu lucis ſe abdere, non autem à ſenſu caloris, qui penitiores etiam receſſus penetrat: ſol enim nuſquam non eſt, per virtutem ſcilicet, & efficaciam, quamquam non eſt æqualiter vbique. Ita ferme ille.

8 *Lex Domini immaculata*, (ſeu *perfecta*,) &c. Hactenus dixit quomodò ex cœlorum ſoliſque motu, atque efficaciâ cognitio Dei haberi poſſet, nunc aliam cognoſcendi Dei rationem multò ſublimiorem profert, Legem nimirum diuinam: perinde ac ſi diceret, Quemadmodum cæli, & ſol ipſe teſtes ſunt Dei gloriæ & ſapientiæ, ita Lex teſtis eſt Dei ſapientiæ atque æquitatis, vt iure merito dixerit Moſes Deut. 4. 8. quotquot Dei Leges audirent, dicturos, *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, quæ habeat ſtatuta, & iudicia, ſicut (eſt) vniuerſa Lex iſta*, &c.

Lex Domini &c. *Lex* ſignificat in genere doctrinam à Deo traditam & patefactam: éſtque vocabulum generale, quod omnes partes ipſius doctrinæ ſimul complectitur. Quæ ſequuntur nomina partes iſtius doctrinæ propriè ſignificant: quanquam hîc

Digitized by Google

confunduntur, & quod de vno dicitur, de altero etiam accipi debet. Kimhi *Legis* quoq; nomen in ſpecie accipit pro norma ſeu regula exequendi cuiuſdā præcepti, qualis eſt lex beſtiæ & auis, lex leproſi, & parientis, & viri ac mulieris fluxum patientis, ac denique lex Nazaræi. Dicit *conuertens* (ſeu *redire faciens) animam*, quòd Lex docendo hominem quid ſit agendum, illum redire faciat ad ſuam originem & locum ſuæ gloriæ. *Teſtimoniū Domini fidele*, &c. *Teſtimonium* ſignificat propriè, ſi credimus Kimhi, quodcumque fidem facit mutui fœderis inter Deum & Iſraëlitas initi, quo hi ſuam Deo fidem obſtrinxerunt, ac illis viciſſim Deus, tanquam populo peculiari. Talia ſunt, inquit ille, Arca teſtimonij, Tabernaculum Eccleſiæ ſeu conuentus, Obſeruatio Sabbathi, Solemnitates, Septimus annus, Iubilæus. Ezra definit *Teſtimonium* verba tranſlata ſeu tranſmiſſa ex ore eorum, qui teſtes ipſi ſunt ſe oculis ſuis vidiſſe. Mane & perpende. Habet hebraicè הַדְּבָרִים הָעַתִּיקִים *haddeuarim haattikim*, hoc eſt, vt vertimus, *verba tranſlata*, quod deſumpſit ex 1. Paralip. 4. 22. vbi legitur וְהַדְּבָרִים עַתִּיקִים *vehaddeuarim attikim*, quod Græc. & Lat. verterunt, nec præter ſenſum, *hæc autem verba vetera*, ſic autem interpretatur Kimhi, (ad cuius mentem vertendum, *hæc autem verba tranſlata*) Iſtud quod diximus Ioas & Saraph principatum obtinuiſſe in Moab, etſi non reperitur in Libris propheticis, (canonicis interpretor,) ſermonibus tamen ipſi ſunt cogniti per Kabbalam & Traditionem, & quaſi per manus ad nos tranſmiſſi ſeu tranſlati, dum alter ab altero de iis accepit. Addit, Sunt autem qui dicant hoc, *hæc autem verba tranſlata*, referri debere ad id omne, quod hîc ſcripſit Ezra de genealogiis: ſiquidem etſi res hîc ſcriptas non reperias in vllo Librorum Propheticorum, (canonicorum,) caue dicas, Quî potuit Ezra iſtud omne cognoſcere, res ſcilicet, quæ eius ætate non contigerunt? Fuerunt enim hæc omnia per Kabbalam accepta. Hæc ille, quæ, vt potui, ad verbum ferè expreſſi, ne nouatores, qui traditionibus fidem abrogant, exiſtiment aliquid me fingere. Hîc ergo Ezra per *Teſtimonium*, Traditiones intelligit, ea ſcilicet, quæ non monumentis litterarum, ſed verbo tantùm traduntur, & à maioribus ad poſteros ſine litteris tranſmittuntur. *Fidele*. Hoc epitheton optimè *Teſtimonio* conuenit, necnon etiam illud, *ſapientiam præſtans paruulis*, ſeu, vt eſt in Hebræo, *ſapientem efficiens ſimplicem*, hoc eſt, illum, qui humanæ mentis tenuitatem agnoſcens, ſe, quaſi puerulus aliquis, docilem præbet, non qui nimiùm ſuo ingenio tribuit, ac nihil credit, niſi quod aut ipſe viderit, aut iudicio ſaltem ac ratione aſſequi poſſit. Perdit Dominus ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobat. Vbi ſapiēs? vbi ſcriba? vbi inquiſitor huius ſæculi? Nónne ſtultam facit Deus ſapientiam huius mūdi? (1. ad Cor. 1.) Sola humilitas virtus ea eſt quæ Legis ſenſum capere poſſit. Timor Domini principium ſcientiæ. (Prou. 1. 7.) Myſteria abſcondit Deus à ſapientibus & prudentibus, & reuelat ea paruulis. (Matt. 11.) Et Chriſtus Dominus ad Euangelij ſui prædicationem elegit non ſapientes ſecundùm carnem, non potentes, non nobiles, ſed piſcatores, vt ſtultam faceret ſcientiam Philoſophorum, & confunderet ſapientes ſecundùm carnem. (1. Cor. 1. Chryſoſt.) Vox hebræa פְּתִי *pethi*, id eſt, *ſimplex*, accipitur hoc loco in bonam partem pro eo, qui modeſtè de ſe ſentiat, ſéque ſummiſsè gerat: quo modo vſurpatur pſ. 116. 6. *Cuſtodit ſimplices* (Græco & Lat. *paruulos) Dominus*: ſimplices in malo, ſed ſapientes in bono: malitia paruulos, ſed ſenſibus perfectos: & aliàs. (Ad Rom. 15. 1. Cor. 14.) Non ignoro vocem illam ſæpius in malam partem accipi pro ſimplici, imprudente, atque imperito, & opponi τῷ עָרוּם *arum*, hoc eſt, *callido* ſeu *aſtuto*, vt vel cæco apparere poteſt ex Prou. 1. 4. *Ad dandum ſimplicibus aſtutiam*: necnon 14. 15. *Simplex* (vbi minùs bene forſan in Græco Ακακος, in Lat. *Innocens) credit omni verbo: aſtutus autem conſiderat greſſus ſuos*: vbi, vt aliàs ſæpe in Prouerbiis, *aſtutus* hominem ſapientem, prudentem, ac ſagacem ſignificat. Adi locos & conſidera.

9 *Mandata Domini* &c. Heb. פִּקּוּדֵי *pikkudhe*, quæ propriè ſunt ea præcepta, vt volunt Hebræi, quæ intellectus dictat ac præſcribit, & quæ ſunt in potentia animæ, ac tanquam depoſitum à Deo in corde hominis, atque idcirco nominātur פִּקּוּדִים *pikkudhim*, id eſt ad verbum, *depoſita*. Dicuntur *recta*, quòd rectæ rationi ſint conſentanea, pérque ea doceamur rectè viuere & ſecundum naturam: ideóque ſunt *lætificantia cor*, & exhilarant animos. *Præceptum Domini* &c. *Præceptum* definit Kimhi quodcumque præcepit Deus ad ſui cultum & amorem pertinens. Ezra vult ſignificari præcepta affirmatiua, quæ appellantur præcepta, quòd de pleríſque nulla ſcripta reperiatur ratio, cur præcepta ſint. *Illuminans oculos*. Simile illud Prou. 6. 23. *Quoniam mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ*.

10 *Timor Domini* &c. Timoris meminit, qui, vt inquit Kimhi, principium eſt, & radix præceptorum: ſiquidem niſi dominum ſeruus timeat, nunquam eius voluntatem

exequetur. Idem Kimhi affirmat *Timorem Domini* ad ea pertinere, quæ quis clàm, ac nemine ſciente faciat, vt ſunt furtum, adulteratio menſurarum & ponderum, à quibus homo ſolius Dei metu abſtinet. Rectè. Nam is Dei timor purus eſt, quo aliquis clàm, etiam cùm omnes homines celare poteſt, veretur peccare, ſed ambulat in ſimplicitate cordis, timens Deum, & ex animo operatur ſicut Domino, & non hominibus: timor verò ille, quo quis palàm veretur peccare, habet plerumque aliquid admixtum humani metus, ideóque impurus eſt. Obſeruat Kimhi *timorem Domini* dici *permanentem in æternum*, quòd quibuſdam præceptis certus locus ſit ac tempus: at verò timori Domini nullus neque certus locus, neque definitum tempus. Ezra exiſtimat *Timorem Domini* præcepta negatiua ſignificare, ideóque dici *permanentem in æternum*, quòd non conueniat Deum vnquam, quod aliquando fuit vetitum, permittere. Hic ſubobſcurè cauſam agit Legis Moſaicæ: apertè Kimhi, nihílque diſſimulat, & ex hoc loco *timor Domini permanens in æternum*, nititur probare legem Moſis, prorſus vt olim fuit, & vt ſonat, æternùm duraturam. Sed fruſtra eſt cum ſuis rationibus, quas non puto operæ pretium in medium adferre. *Iudicia Domini. Iudicia* definit Kimhi rationes viuendi cùm altero. *Iuſtificata ſunt ſimul*, id eſt, omnia ad vnum citra exceptionem recta ſunt & iuſta, factaque ſunt in veritate & æquitate.

Ad Coloſſ. 3.

11 *Deſiderabilia ſuper aurum*, &c. Sic Pro. 3. 14. & ſeq. *Melior eſt negotiatio eius* (ſapientiæ) *negotiatione argenti, & auro fructus eius. Pretioſior eſt margaritis, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.*

12 *Etiam ſeruus tuus* &c. Suo ipſius teſtimonio vim legis declarat, & de ſe loquitur in tertia perſona, & per Apoſtrophen ſermonem ad Deum conuertit. Quicquid habeo, inquit, prudentiæ ad regendos, ac formandos mores: ad rectè gubernandum populum, id totum habeo à lege tua. Nec hoc ſatis eſt, quòd ad formandam vitam lex tua iuuat, ſed etiam affert amplam mercedem: quod ſignificat poſterior pars verſus. Dicit *etiam*, quaſi diceret, Etiam ego qui minimùm in tuis legibus verſatus ſum, quotidie experior quàm vtiles ſint. Quantò magis alij?

13 *Errata quis intelligit?* Senſus eſt, Ego pro virili, & quantùm poſſum, tua lege edoctus atque illuſtratus mihi ipſe caueo. Sed vereor tamen ne fortè in errorem aliquem imprudens ac neſciens incurram:

A quis enim cuncta ſua errata poſſit animaduertere? idcirco ego à te peto, vt me ab iis abſoluas, quæ noſſe non poſſum. Quædam ſunt peccata, quæ hominem lateant, ita vt neſciat homo vtrum amore an odio dignus exiſtat. Quod agnouit D. Paulus, qui Corinthiis ſcribens, quum quærit quis inter diſpenſatores myſteriorum Dei, hoc eſt, Euangelij prædicatores, fidelis ſit, *Mihi*, inquit, *pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, hoc eſt, *iudicio*, quaſi diceret, Quòd ad me attinet, nihil moror ve-

B ſtra aut aliorum hominum iudicia. Pergit, *Sed neque meipſum iudico*, perinde ac ſi diceret, Sed neque certò poſſum diiudicare meipſum, ac mea opera. *Nihil enim*, inquit, *mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum*, quaſi diceret, licet enim nullius mihi culpæ in hoc munere euangelico conſcius ſum, non tamen à me alienam prorſus eſſe omnem culpam audeo dicere: fortè enim eſt aliquod peccatum, quod me latet, quódque ſolus Dominus iudicat ac cognoſcit, cuius eſt illuminare abſcondita tenebra-

C rum, & manifeſtare conſilia cordium. Vide 1. Corinth. 4. Cauendum igitur vnicuique diligenter Apoſtoli exemplo ne de iuſtitia glorietur: ſed cum metu & tremore ſuam quiſque ſalutem operetur.

Eccl. 9. 1. in Vulg.

Ad Philip. 2.

14 *Etiam à ſuperbiis* &c. Non tantùm, inquit, peto, vt me ab occultis abſoluas, & quæ fortè imprudens commiſi, ſed facias, vt nunquam ſuperbè, hoc eſt, volens & ſciens aduersùm te peccem. Dicit *etiam*, quaſi diceret, fateor me ſic etiam poſſe peccare, niſi tu prohibeas. Kimhi ſic explicat: Maius

D quid prætereà à te peto, vt me prohibeas à ſuperbiis, ne dominentur in me, néve fomes peccati (concupiſcentia mea) mihi præualeat. Per *ſuperbias* intelligit peccata ex concupiſcentia. Ego verò fomitem ipſum, ſeu concupiſcentiam intelligerem, quæ in homines ſuperbè imperium exercet: ac ſic poteris commodè vertere, *à ſuperbis* ſcilicet affectibus. Nomen enim hebraicum זֵדִים *zedhim*, eſt potiùs adiectiuum, quàm ſubſtantiuum. Græc. & Lat. habent *ab alienis*, non

E alieno fortè ſenſu, quaſi per *alienos*, effrenes carnis affectus, & à ratione alienos motus voluerint notare. Nec dubium eſt quin illi legerint מִזָּרִים *mizzarim*, id eſt, *ab alienis*, pro מִזֵּדִים *mizzedhim*, id eſt, *à ſuperbis*.

A delicto maximo. Mallē *multo*, hoc ſenſu, ſi ſemel compeſcueris concupiſcentiam, immunis ero à multis delictis. רַב *rau, multum & magnum* poteſt ſignificare.

15 *Petra mea*, in qua firmus conſiſto contra varios affectuum aſſultus. *Et redemptor meus*, ſi quando in illorum poteſtatem venio, & illis ſuccumbo.

PSALMVS

XX. XIX.

VERSIO

NOVA.

PRÆCENTORI, Pſalmus [a] Dauid.
2 Exaudiat te Dominus in die tribulationis: [b] protegat te nomen Dei Iacob.
3 Mittat [c] tibi auxilium de ſancto: & de Sion [d] tueatur te.
4 Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum [e] pingue faciat.
5 Tribuat tibi ſecundùm cor tuum, & omne conſilium tuum impleat.

6 Lætabimur in ſalute tua, & in nomine Dei noſtri [f] triumphabimus: impleat Dominus omnes petitiones tuas.
7 Nunc cognoui, quòd ſaluum fecit Dominus chriſtum ſuum, [g] exaudiuit illum de cœlo [h] ſancto ſuo: in potentiis ſalus dexteræ eius.

8 Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri [i] inuocabimus.
9 Ipſi incuruati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.
10 Domine ſaluum fac regem: [l] & exaudi nos in die qua inuocauerimus.

a vel *Dauidi.*
b ad verb. *exaltet*
c heb. *auxilium tuũ*
d ad verb. *fulciat*
e vel *in cinerem redigat.*
f *vexillum erigemus:*
g *exaudiet*
h heb. *ſanctitatis ſuæ:*
i *inuocamus*, ad verb. *memorabimus.*
l heb. *exaudiat nos*

VETVS.

IN finem, Pſalmus Dauid.
2 Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.
3 Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te.
4 Memor ſit omnis ſacrificij tui: & holocauſtum tuum pingue fiat.

5 Tribuat tibi ſecundùm cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.

6 Lætabimur in ſalutari tuo: & in nomine Dei noſtri magnificabimur.
7 Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

8 Exaudiat illum de cælo ſancto ſuo: in potentatibus ſalus dexteræ eius.

9 Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.
10 Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus & erecti ſumus.
11 Domine ſaluum fac regem: & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *A**Pparet hunc pſalmum ab aliquo Cantorum eſſe compoſitum in gratiam Dauidis: ac ſic* לְדָוִד ledhauidh, *vertendum erit* Dauidi, *vel* ſuper Dauidem, *vel* in gratiam Dauidis. *Sic pſal.* 72. *in titulo* לִשְׁלֹמֹה Liſchlomo, *id eſt*, Salomoni, *ſeu* in gratiam Salomonis. *Fieri tamen poteſt, vt ipſe Dauid in ſui ipſius gratiam hoc carmen conſcripſerit: ac ſic vertendum erit, vt ſolet. Vtut res ſe habet, inducitur hoc pſalmo populus regem Dauidem ad bellum difficile proficiſcentem, aut ſaltem exercitum educentem, votis & fauſtis ominibus proſequens. Hac ſupplicandi formula vtimur pro principis vita & imperio vota facturi. Exiſtimant nonnulli, neque abs re, pſalmum hunc eſſe compoſitum eo tempore, quando Dauid Hanon Ammonitarum regis iniuriâ offenſus exercitum eduxit aduerſum Ammonitas. Nunquam enim numeroſior, & inſtructior exercitus in Iudæos incubuit: habuerúntque Ammonitæ præter exercitum duo & triginta millia curruum, ex quibus ſeptem millia conciſa. Quantus fuerit exercitus vel hinc poteſt iudicari, quòd cæſa ſunt quadraginta millia equitum, & totidem peditum, vt ex* 2. *Sam.* 10. & 1. *Paral.* 19. *videre eſt. Non parum iuuat coniecturam quod dicitur verſu* 8. Hi in curribus, & hi in equis: *& quod ſequitur ſtatim*, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. *Cui ſimile eſt, quod in illa hiſtoria ſcribitur Ioab Abiſæo fratri dixiſſe*, Roborare, & agamus viriliter pro populo noſtro, & pro vrbibus Dei noſtri: Dominus autem quod in conſpectu ſuo bonum eſt, faciat. *Ioab ſcilicet exercitum Iſraëlitarum hoſtili exercitui viribus & copiis longè imparem ſentiens belli exitum ſolius Dei arbitrio committebat. Sic & vniuerſa Iſraëlitarum gens hoſtium copiis perterrita ſolius Dei ope nitebatur. Neque aliud ſignificat verſus ille octauus. Verùm hæc eiuſmodi rerum veſtigatio nimis fortaſſe curioſa, & parum vtilis.*

2 *Exaudiat te* &c. Apoſtrophe eſt Dauidis ad ſeipſum, vel alterius ad ipſum, quæ habet maximam emphaſim. *Protegat te.* Propriè & ad verb. *exaltet te*, hoc eſt, in locum altum, vt præcelſam aliquam arcem, aut turrim, te conſtituat, quò vis hoſtilis non poſſit pertingere: id enim propriè ſonat verbum hebraicum יְשַׂגֶּבְךָ ieſaggeucha, quod bene poſt Græcum Latinus interpres explicans metaphoram reddidit, *Protegat te. Nomen Dei*, id eſt, Deus. Nam *nomen eius ipſe, & ipſe nomen ſuum*, vt loquuntur Hebræi. Dicit *Dei Iacob*, non Dei Abraham, aut Iſaac, eò quòd Iacob plures expertus ſit difficultates, quàm Abraham & Iſaac: perinde ac ſi diceret, Qui exaudiuit Iacob in aduerſis, & in Haran proficiſcenti adfuit, ille te nunc exaudiat, ac iuuet. Vel *Iacob*, id eſt, Iſraëlitarum: quo modo Eſaiæ 44. 2. *Noli timere ſerue meus Iacob*, hoc eſt, Iſraëlita. Sic aliis in locis. Vtroque modo Hebræi.

3 *De ſancto*, id eſt, è Sanctuario, ſeu loco, vbi erat Arca. *De Sion*, vbi tunc erat Arca. Sic pſal. 14. 7. *Quis dabit ex Sion ſalutem Iſraël?*

4 *Memor ſit omnis ſacrificij tui*, ad verb. *omnium ſacrificiorum tuorum.* Putant quidam ex Hebræis, in iis Kimhi & Kabuenaki, verbum יִזְכֹּר *ijzcor*, hîc eſſe exponendum *Olfaciat*, ſcilicet *omnia ſacrificia tua*, probántque hanc ſignificationem ex

A Leu. 6. 15. *Olfaciat* autem nihil aliud erit, quàm grata habeat, & accepta, ſicut gratus eſſe ſolet bonus odor: ac ſic Ezra poſt Chald. explicat illud Gen. 8. 21. *Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis*, ſeu, *quietis*, hoc eſt, grata atque accepta habuit holocauſta, quorum ibi mentio eſt. Deinde porrò optimè coniũgit *olfaciat* cum מִנְחֹתֶךָ *minchothecha*, quod vocabulum, etſi aliàs quoduis ſacrificium, imò quoduis donum etiam profanum ſignificat, ſpecialiter tamẽ interdum, vt hoc loco fortaſſe, pro oblatione ponitur, quæ conſtabat ſimilâ oleo

B conſperſâ, adhibito thure, ideóque gratum odorem expirabat. Grauiora porrò negotia, ac præcipuè bella, ſacrificiis & holocauſtis auſpicari, moris apud Hebræos fuit: quod euidenter probat illud Saulis, 1. Sam. 13. 12. *Dixi, Nunc deſcendent Philiſtiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui: neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum.* Dauid igitur arduum, ac difficile bellum

C aggreſſurus, pro more, & vt pium regem decebat, ſeſe geſſit, obtulítque holocauſta, aliáque ſacrificia, ad emerendum Dei fauorem, eiúſque iram mitigandam. Deus enim ſacrificiis placabatur: vnde ſæpe dicuntur in ſacris litteris eſſe *in odorem ſuauitatis* (ſeu *quietis*) *Domino*: quòd vt odor animum turbatum ſedat, ſic ſacrificia iram Dei lenirent, ac quieſcere facerent, quemadmodum alicubi obſeruat Ezra. *Pinguefaciat*,

Digitized by Google

ſeu *pro pingui habeat*, hoc eſt, gratum habeat, vt pinguia holocauſta ſolet. Sic Raſi. Ad mentem Kimhi & aliorum vertendum *in cinerem redigat*, hoc ſenſu, mittat ignem ad comburendum illud, ipſúmque gratum habeat. Alludet ſic ad ignem aliquoties cœlitus miſſum, quo Deus holocauſta in cinerem conuertit, ac ſibi probauit eſſe grata. De Dauide legimus 1. Paral. 21 26. quòd *inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de cælo ſuper altare holocauſti.* Elias 1. Reg. 18. 24 *Tum inuocate*, aiebat, *nomina Deorum veſtrorum, & ego inuocabo nomen Domini; & Deus qui exaudierit per ignem, ipſe (ſit) Deus.* Et mox verſ. 38. ſequitur, *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocauſtum*, &c. Omitto alia ſimilia, vt Leuit 9. 24. Vel *in cinerem redigat*, id eſt, faciat vt totum igne altaris abſumatur, ac ſic oſtendat ſibi eſſe gratum. Holocauſtum cremari totum debebat, & in fumum ad Deum aſcendere, vnde hebraicè ab *aſcendendo* dicitur: ideóque mali ominis fuiſſet, ſi quid ex eo in altari fuiſſet reſidui. Propterea hîc dicitur *in cinerem redigat*. Atque hoc ſenſu legimus de Aarone, *Sacrificia ipſius igne conſumpta ſunt quotidie*, Eccleſiaſtici 45. 17. Chaldæus & Raſi interpretati ſunt *pinguefaciat*: Latinus paſſiuè, *pinguefiat*, hoc eſt, habeatur pro pingui. Macilentas, morbidas, aut mutilas pecudes reſpuebat Deus, vt videre eſt Malachiæ cap. 1.

6 *Lætabimur* &c. Senſus eſt, Cùm impleuerit Dominus omnes tuas petitiones, & re bene geſtâ redieris, tunc *lætabimur in ſalute tua*, &c. Illud ergo *in ſalute tua* ad Dauidem pertinet, hoc ſenſu, cùm te Deus ſeruauerit. *Triumphabimus*: ad verb. *vexillum erigemus.* Græcus & Latinus habent *magnificabimur*, Syriacus *roborabimur*, qui videntur legiſſe נִגְדַּל *nighdal*, pro נִדְגֹּל *nidgol.*

7 *Nunc cognoui* &c. Iſthæc ſunt verba triumphantium, perinde ac ſi dicat, Ac tunc quiſque noſtrûm dicet, *Nunc cognoui*, &c. Vel ſunt verba bene ominantium de victoria. Ezra exiſtimat hoc eſſe dictum propheticè. *Chriſtum* (ſeu *vnctum*) *ſuum* Dauidem. *In potentiis ſalus dexteræ eius*, Dei ſcilicet. Hyperbaton pro, *in potentijs* (ſeu *fortitudinibus*) *dexteræ Dei* contigit hæc *ſalus*: vel ſine hyperbato, *ſalus dexteræ Dei*, hoc eſt, quæ à Deo contigit, facta eſt *in potentijs*, & magna fortitudine. Ad mentem Ezræ vertendum, *in fortitudinibus ſalutis dexteræ ſuæ*: vt ſenſus ſit, Quomodò *exaudiet illum*? *In fortitudinibus ſalutis* &c. Sed Chald. interpretatus eſt, *in fortitudinibus ſalus dexteræ eius.*

8 *Hi in curribus, & hi in equis* fidunt, vel A ad nos veniunt, ſed *fallax equus ad ſalutem, & in multitudine virtutis ſuæ non ſaluabit*, vt eſt pſal. 33. 17. *& equi eorum caro, & non ſpiritus*, vt eſt Eſ. 31. 3. *Super equum fugient: ideo fugient: & ſuper veloces aſcendent: ideo velociores erunt, qui perſequentur illos. Mille homines à facie increpationis* (in Vulg. *terroris*) *vnius, à facie increpationis quinque, fugient*, vt eſt Eſ. 30. ver. 16. & ſequente. *Nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.* In nomine Domini, qui *extendet manum* B *ſuam, & quomodò ſi rugiat leo, & catulus leonis ſuper prædam ſuam, quum occurrerit ei multitudo paſtorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non humiliabitur, ſic deſcendet Dominus exercituum, vt prælietur nobiſcum. Sicut aues volantes, ſic proteget nos Dominus exercituum, protegendo & liberando, tranſiliendo, & ſaluando*, vt eſt Eſ. 31. *Inuocabimus*, ad verb. *memorabimus*, pro, inuocamus ac memoramus. Quòd verbum הִזְכִּיר *hizcir*, quod prop. *commemorare* ſignificat, ſumatur pro *inuocare* ſeu *orare*, vide ad verſ. 1. pſ. 70. C vbi de hoc commodiùs dicetur. Verbo porrò fut. temporis hoc loco ſignificatur continuus actus, non tantùm in præſens, ſed etiam in futurum, quod ſæpe obſeruare eſt in ſacris litteris. Simile porrò eſt huic verſui id quod dicebat Dauid ipſi Goliath, *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël.*

9 *Ipſi incuruati ſunt*, &c. Senſus eſt, Nil illis profuit tantus belli apparatus, nil curruum, atque equorum multitudo. Nam ipſi D de curribus & equis deiecti terram ſuis corporibus ſtrauere. Ipſi qui in curribus & in equis ſublimes ferebantur, nunc iacent proſtrati: nos verò qui tanto agmine perterriti pene cecideramus, quoniam ad Deum confugimus, erecti conſiſtimus. *Inclinati ſunt*, in Vulg. *obligati ſunt*, quod putarem obrepſiſſe pro *obliquati ſunt*, niſi in Græco eſſet συνεποδίσθησαν, quo modo pſ. 125. 5. *in obligationes*, pro, *in obliquationes.*

E 10 *Saluum fac regem*, &c. Alij propter athnach accentum commati reſpondentem, qui eſt in voce הוֹשִׁיעָה id eſt, *ſaluum fac*, ſic diſtinguunt, ac vertunt: *Domine ſaluum fac: Rex exaudiat nos in die, quâ inuocauerimus.* Sed non tanti eſſe debet iſte accentus, qui in Pſalmis præſertim, Iob & Prou. non ſemper diſtinguit ex regula Grammaticorum, ſicuti poſtea exemplis declarabitur, vt non potiùs ſequamur quod argumento magis conuenit. Quis verò huius carminis, quo votum pro ſalute regis

Digitized by Google

continetur, aptior epilogus, & quæ melior ἀνακεφαλαίωσις, quàm hæc, *Domine ſaluum fac regem?* Et quis non videt fieri vim non modò argumento, ſed etiam ipſis dictionibus, ſi vertas ſic, *Domine ſaluum fac: Rex* (ſcilicet Deus) *exaudiat nos* &c. Vellem indicarent vbi pro Deo *rex* abſolutè vſurparetur. Quòd non obſtet athnach noſtræ interpretationi, ac diſtinctioni videre licet ex verſu 5. pſal. 11. verſ. 10. pſal. 17. in ſenſu Ezræ, & Kimhi, verſ. 14. pſal. 19. verſ. 32. pſal. 22. verſ. 13. pſal. 27. verſ. 9. pſal. 29. verſ. 7. pſ. 32. verſ. 20. pſal. 35. verſ. 8. pſal. 36. verſ. 20. pſal. 37. verſ. 11. pſ. 62. verſ. 21. pſal. 68. quibus in locis, & innumeris aliis athnach non diſtinguit. Nec ſanè defuerunt ex Hebræis, qui quemadmodum nos diſtinguerent, vt obſeruat A Ezra, qui tamen non probat propter athnach, cùm idem ille tamen verſum decimum pſal. 17. ſic legendum velit, *Adipe ſuo occluſerunt os ſuum:* etſi in voce סָגְרוּ *ſagherú*, vel potiùs סָגְרוּ *ſagheru*, id eſt, *occluſerunt*, eſt athnach, & reuia in ſequente, vt hîc in הַמֶּלֶךְ *hammelech*, id eſt, *regem*. Quod Græc. & Lat. legerint *& exaudi nos*, vbi hebr. hodie *exaudiat nos*, id factum eſt, vel quòd leg[illegible]t fortaſſe וַעֲנֵנוּ *vaanenu*, *& exaudi nos*, vbi יַעֲנֵנוּ *iaanenu*, *exaudiat nos*, nimirum ו pro (י) iod: vel quòd voluerint emẽdare enallagen perſonæ, quæ hîc fortè eſſet durior: quod ſæpe aliàs faciũt. Sic & D. Hieron. qui tamen ex accentibus hebræis diſtinxit, ac vertit *Domine ſalua, rex exaudies nos in die qua inuocauerimus te.*

PSALMVS XX. XXI.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Pſalmus Dauid.

2 *Domine in virtute tua lætabitur rex: & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer.*

3 *Deſiderium cordis eius tribuiſti ei: & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.*

4 *Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.*

5 *Vitam petiit à te: & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.*

6 *Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo: gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.*

7 *Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.*

8 *Quoniam rex ſperat in Domino: & in miſericordia Altiſſimi non commouebitur.*

NOVA.

PRAECENTORI, Pſalmus [a] Dauid.

a vel Dauidi.

2 Domine, in virtute tua lætabitur rex: & in ſalute tua quàm exultabit vehementer!

3 Deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & prolationem labiorum eius non prohibuiſti.

4 Quoniam præueniſti eum (in) benedictionibus boni: poſuiſti in capite eius coronam de obrizo.

5 Vitam petiit à te, tribuiſti ei: longitudinem dierum in ſeculum, & in æternum.

6 Magna gloria eius in ſalute tua: gloriam & decorem impones ſuper eum.

7 Quoniam pones eum benedictiones in æternum: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

8 Quoniam Rex ſperat in Domino, & in miſericordia Altiſſimi, non commouebitur.

Digitized by Google

b vel Sufficiet manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua ſufficiet iis qui te oderunt.
c abſorbeat
d deuoret
e heb. malum:

9 [b] Inueniet manus tua omnes inimicos tuos: dextera tua inueniet qui te oderunt.

10 Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua [c] abſorbebit eos, & [d] deuorabit eos ignis.

11 Fructum eorum de terra perdes; & ſemen eorum à filiis hominum.

12 Quoniam inclinauerunt in te [e] mala: cogitauerunt conſilia (quæ) non poterunt (perficere.)

13 Quoniam pones eos humerum: in funibus tuis præparabis contra vultum eorum.

14 Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

9 *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.*

10 *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.*

11 *Fructum eorum de terra perdes: & ſemen eorum à filiis hominum.*

12 *Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.*

13 *Quoniam pones eos dorſum: in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.*

14 *Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & pſallemus virtutes tuas.*

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *HIc pſalmus eiuſdem eſt argumenti ac præcedens: ipſúmque vel aliquis in gratiam Dauidis cecinit, vel ipſe Dauid de ſeipſo, vt dictum eſt in argumento ſuperioris Pſalmi. Multi tamen ex Hebræis, recentioribus etiam, hunc Pſalmum de Meſſia accipiunt, ac noſtri ferè omnes de Chriſto. Certè quæcumque de Dauide dicuntur, ad Chriſtum facilè accommodari poſſunt: fuit enim Dauid in omnibus typus Chriſti.*

2 *In virtute* (ſeu *fortitudine*) *tua*, quam tu illi ſcilicet impertitus es: & ſic *in ſalute tua*. Ezra. Propoſitio pſalmi continetur hoc verſu, quâ ſiue Dauid ſibiipſi, ſiue alius Dauidi, Dei opem in futurum pollicetur: ſiquidem Deus nihil ipſi vnquam negarit, quod ſignificat ſequens verſus, ſed vltro eum variis beneficiis cumularit, & ad regię dignitatis faſtigium euexerit, quod verſu 4. ſignificatur.

4 *Præuenisti eum* &c. Antequam enim petiiſſet, tu per Nathan Prophetam pollicitus es illi his verbis, 2. Sam. 7. 12 *ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius*. Raſi. Simplicius eſt, vt hoc de regno vltro Dauidi nil tale cogitanti conceſſo accipiatur: iſtud enim optimè ſignificatur his verbis *Præueniſti eum* &c. ac præſertim vltimo membro verſus, *poſuiſti in capite eius coronam* &c.

5 *Vitam petijt* &c. Quum fugeret Saulem, petiit à te, vt viuus & incolumis euaderet: at tu non ipſi tantùm longæuam vitam præſtitiſti, ſed & perpetuam poſteris in regnũ ſucceſſionẽ vltro promiſiſti, iuxta illud 2. Sam. 7. 13. *ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum*: quod in Chriſto æterno rege impletum eſt. Huc etiam pertinet illud loci cit. verſ. 18. & ſeq. *Quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea, quòd adduxiſti me hucuſque? Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum*. Chald. qui de rege Meſſia hunc pſalmum intelligit, ſic interpretatus eſt hunc verſum, *Vitam æternam petijt à te: dediſti ei longitudinem dierum in ſecula ſeculorum*. Hoc ſenſu facilè intelligi poteſt de Chriſto hic verſus.

6 *Magna gloria eius in ſalute tua*, hoc eſt, Quum ab hoſtibus eum liberaueris, creſcet atque amplificabitur illius gloria apud omnes populos. *Gloriam & decorem impones ſuper eum*, ſeruando eum ac liberando ſcilicet: totus quippe orbis, intelligens eum abs te ſeruatum, omni illum honore atque obſeruantia proſequetur & colet. *Impones*. Deinceps ad finem vſque pſalmi verba ſunt ſemper fut. temporis: perinde ac ſi diceretur, Tu qui regem hactenus ampliſſimis vltro beneficiis ornaſti, id nunc quoque facies. Nam

7 *Pones eum benedictiones* &c. hoc eſt, tu

illum ita fœlicem reddes, vt ſit ſemper futurus apud poſteros exemplum fauſtæ precationis: hoc enim puto cum Kimhi ſignificari his verbis, *pones eum benedictiones*: qui loquẽdi modus intelligi poteſt ex Gen. 48. 20. *In te benedicet Iſrael, dicendo, Faciat tibi Deus, ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſe*: necnon ex Ieremiæ 24. 9. vbi de Sedechia & eius principibus contraria phraſis occurrit: *Dabo eos* &c. *in opprobrium, & in parabolam; in prouerbium & in maledictionem in vniuerſis locis ad quæ eiecero eos*: quæ phraſis cap. 29. 22. explicatur his verbis, *Et aſſumetur ab eis maledictio omni tranſmigrationi Iudæ, quæ eſt in Babylone, dicendo, Ponat te Dominus, ſicut Sedechiam, & Achab, quos frixit rex Babylonis in igne*. Potes interpretari ſimpliciter *ponere benedictiones*, pro, omnibus bonis cumulare. Si vltimo modo accipis, expone *in æternum*, hoc eſt, non ipſum tantùm, ſed etiam eius poſteros. Vel *in æternum*, id eſt, quamdiu viuet: quo ſenſu alicubi Virgilio vox *æternùm*, niſi fallor, vſurpatur. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, id eſt, in horto voluptatis, iuxta Raſi, hoc eſt, in gloria cœleſti, vbi Deus videtur facie ad faciem. Sed melius, & magis ad rem, accipere ſimpliciter hoc, pro, exhilarabis eum ſereno tuo vultu, ſempérque te ei propitium oſtendes. *Lætificabis in gaudio* Hîc nomen verbo eiuſdem ſignificationis adiunctum ingentem lętitiam notat, quemadmodum obſeruat Kimhi, qui adfert ſimile ex Leuit. 6. 2 *præuaricata fuerit præuaricationem*: 2. Sam. 12. 16. *ieiunauit Dauid ieiunium*: aliáque ſimilia: quæ omnia habent ampliorem ſignificationem. Quando ait *cum vultu tuo*, nihil aliud vult, quàm, quum blandos ei vultus offeres, ſemper autem offeres, tum gaudio cumulabitur: neque verò, vt impij reges ſolent, vitium, auri & argenti copiâ lætabitur ac ſuperbiet, ſed ſolo tuo fauore & auxilio. Porrò Deus vultum ac lumen faciei ſuæ dicitur ad aliquem conuertere, ſeu lucere facere faciem ſuam ſuper aliquem, quum piis alicuius conatibus obſecundat, & proſpero euentu fortunat quicquid agit. Interdum tamen, ſed rariùs, vultus & facies Dei pro ira eiuſdem vſurpatur. Sic pſal. 34. 17. *Vultus Domini in facientes mala*.

8 *Quoniam Rex ſperat in Domino, & in miſericordia Altiſſimi*. Ratio eſt horum verborum *non commouebitur*, perinde quaſi diceret, Idcirco nunquam nutaturum Regem aut eius regnum, quòd vni Deo eiúſque miſericordiæ Rex innitatur, non viribus, & multis copiis quæ plerúmque fallunt, & incertos caſus habent. *Et*

A *in miſericordia Altiſſimi* ſeu *Excelſi*. Trahendum hoc ad verbum *ſperat*, non ad illud quod ſequitur: id enim ſenſus videtur poſtulare. Nihil obſtat accentus Athnach commati reſpondens qui eſt in voce בַּיהוָה *badhonai*, *in Domino*. Non enim ſemper commatis vicem præbet iſte accentus in Pſalmis, vt ad verſ. vlt. ſuperioris pſalmi notatum. Habet pondus quod ait *Altiſſimi*, quod idem eſt ac ſi diceret, quoniam Rex illius innititur miſericordiæ qui eſt ſupra omnia, & in cuius manu ſeruare, &
B benefacere cui voluerit, &c. Obſeruat Ezra *Altiſſimi* eſſe ὑψίστου τὸ *non commouebitur* ſeu *nutabit*, quaſi diceret, Altiſſimi fretus ope non poterit cadere vnquam aut nutare. Dicit *in miſericordia*, quia quicquid nobis à Deo boni contingit, Dei miſericordiæ acceptum referri debet. Notanda porrò in hoc verſu ſubita mutatio perſonæ ſecundæ in tertiam, quòd ad Deum attinet, quę mutatio in Pſalmis haud rara eſt.

9 *Inueniet manus tua*, ò Rex, &c. Sic vel aliquis Dauidem, vel Dauid ſeipſum cõ-
C pellat, ſubitò mutata tertia perſona in ſecũdam: hactenus enim de Rege fuit ſermo in tertia perſona. Emphaticę ſunt eiuſmodi ſubitę conuerſiones, ac mutationes perſonarum. *Inueniet manus tua* etc. id eſt, Aſſequeris omnes hoſtes tuos, ac nemo manus tuas effugiet, ſiquidem ſpem in Deo poſuiſti. Idem porrò bis dicitur in hoc verſu. Alij quia מָצָא *matſa*, conſtruitur cum לְ, malunt vertere, *Sufficiet manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua ſufficiet ijs*
D *qui te oderũt*, vt ſcilicet alterius auxilio nõ indigeas. Ac ſic accipit Kimhi, qui citat exempli gratia locum Num. 11. 22. vbi prædictum verbum conſtruitur cum לְ, vt hîc, & ſignificat *ſufficere*. Atque hoc ſenſu dici obſeruat Deut. 33 7. *manus eius ſufficient illi*, vbi tamen Latino & aliis *pugnabunt* (ad verb. *litigabunt*, *contendent*., Græc. διακρινοῦσιν) *pro eo*. Kimhi autem לְ, quod eſt in priore membro, repeti vult ad ſecũdum: vnde vtrobique eodem modo illud verbi accipiendum putat. Quanquam abſque
E eclipſi literæ לְ exponi poſſe docet poſterius membrum, ſic nimirum vt מָצָא *matſa*, ſumatur in communi *inueniendi* ſignificato, quaſi nimirum hîc ludat Vates ambiguitate verbi, quod propter diuerſam ſyntaxim variè accipi debeat.

10 *Pones eos vt clibanum* &c. hoc eſt, ardentes inſtar fornacis, non qui conſumant tamen, ſed qui conſumantur vt ligna in fornace. Significat hac metaphora hoſtes perituros prorſus, atque in nihilum redigẽdos. Reſpicere videtur ad ſupplicium quod

Digitized by Google

ſumpſiſſe Dauidem de Ammonitis teſtatur A
ſacra Scriptura 2. Sam. 12. 31. vbi ſcri-
bitur, quòd *traduxerit eos per fornacem la-
terariam*, ſeu, vt eſt in Vulgatâ, *in typo late-
rũ*. *Vultus tui*, hoc eſt, iræ tuæ. Sic Thren.
4. 16. *Facies* (hoc eſt, ira) *Domini diuiſit eos.*
Et aliis locis. Ira autem *vultus* ſeu *facies* ap-
pellatur metonymicôs, quia ira in vultu
cernitur. *Dominus in ira ſua abſorbebit*
(ſeu *abſorbeat*) &c. Fortaſſe precatio eſt,
quæ per parentheſin interſeratur, vel vati-
cinium. Kimhi coniungit poſterius hoc mẽ-
brum cum præcedente ſic, Tu facilè pote-
ris eos ponere vt clibanum ignis, quia te- B
cum eſt Dominus, qui eos abſorbebit, at-
que illos conſumet ignis. Accipi poteſt po-
ſterius membrum de diuinis pœnis in alte-
ro ſeculo, & igne inferni, ac ſic ſenſus erit
elegans, Tu iratus, ô Dauid, illos viuos
ac ſpirantes fornacibus flammantibus inii-
cies: mortuos verò Dominus ardore iræ
ſuæ penitus abſumet, æternáque ſupplicia
atque ignis inextinguibilis excipient. Hoc
modo accepit Chaldæus, qui ſic hunc ver-
ſum interpretatur, *Pones eos* (ô Meſſia, de
quo pſalmum intelligit) *vt fornacem ignis* C
*temporibus iræ tuæ: Dominus in ira ſua ab-
ſorbebit eos, & deuorabit eos incendium ge-
hennæ.*

11 *Fructum eorum de terrâ pedes*, &c. Sen-
ſus, Non illos modò, ſed etiam eorum libe-
ros de medio, & ex hominibus prorſus tol-
les, quò nulla reliqua ſit illis nominis me-
moria. Idem eſt *fructum eorum* & *ſemen eo-
rum*, eadémque eſt ſententia vtriuſque mẽ-
bri. Pro *fructum eorum* Chaldæus habet *fi-
lios eorum.* Quum filios quoque cum im-
probis patribus perdendos ſtatuit, intelli- D
gendus eſt, ſi filij præſertim patribus ſimi-
les exiſtant. *Anima enim quæ peccauerit,
ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem
patris, & pater non portabit iniquitatem fi-
lij: iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas
impij erit ſuper eum.* Ezech. 18. 20. Viſitat
quidem Deus iniquitatem patrum ſuper fi-
lios in tertiam & quartam generationem,
ſed eorum (nota) qui oderunt eum, vt vide-
re eſt Exod. 20. 5. hoc eſt, eorum qui paren-
tum veſtigiis inſiſtunt, & horum impieta- E
tem imitantur. Hoc ſenſu accipiendum eſ-
ſe, quod hîc dicitur, oſtendit ſequens ver-
ſus, vbi adfertur ratio, cur tam patres, quã
filij è medio tollendi ſint: Nam ad vtroſque
dubio procul pertinet illa ratio. Cæterum
etſi verum eſt Deum minimè trahere filios
ad pœnam ob peccata parentum, fieri ta-
men poteſt, atque interdum fit, nec repu-
gnat Dei iuſtitiæ, vt filij probi iiſdem cala-
mitatibus, quibus improbi parentes, inuol-
uantur, at non tanquam pœnis & ſuppliciis,
quibus indigni ſunt, ſed quaſi remediis ad
propriam vtilitatem, & ad raræ cuiuſdam
iuſtitiæ in improbos exemplum. Neceſſe
eſt interdum pios vnà cum impiis plecti.
Non quòd participes ſint ſcelerum, idcirco
& participes ſunt pœnarum: ſed quia eâdem
in naui verſantur, fieri non poteſt quin fra-
ctâ naui cum illis ſubmergantur. Sic Abra-
ham, Iſaac, Iacob famem cum Chananæis
tulere. Sic ſaltem pueri per ætatem adhuc
innoxij diluuio periere.

12 *Quoniam inclinauerunt* actiuè ſeu *teten-
derunt* (Chald. interpretatur *excogitarunt*
ſeu *commenti ſunt*) *in te* &c. Iſta, inquit, eo-
rum erit merces, quoniam aduersùm te ni-
hil non machinati ſunt, armáque ſuſcepe-
runt, etſi fruſtra. *Cogitauerunt conſilia,*
ad verb. *ſcelus*, Chaldæo *cogitationes ma-
las.* (*Quæ*) *non potuerunt* ſup. perficere
ſeu exequi. Chaldæus hoc interpretatur *&
non potuerunt in te.* Ezra ex hoc verſu pro-
bat præcedentem ad Dauidem aut Meſſiam
referri debere. Optimè. Quod enim in hoc
verſu dicitur, non tam bene & facilè ad
Deum videretur quadrare. Nam quî ali-
quis dici poteſt aduersùs Deum intentare
aut comminiſci malum? Multi ſunt tamen
qui hos omnes verſus ad Deum referunt,
aduersùs quem Dauidis hoſtes vires ſuas
dicantur conuertiſſe, dum Dauidem Dei
mandato regem conſecratum violare co-
nati ſunt, ita vt quas machinas aduersùs
Dauidem ſtruebant, aduersùs Deum ſtrue-
re videri poſſent. Sic Actuum 9. Chriſtus
dixit, *Saule, Saule, quid me perſequeris?*
cùm tamen ille non Chriſtum, ſed Chriſti
diſcipulos perſequeretur. Vide tu ac iudi-
ca quid ſit magis contextui conſenta-
neum.

13 *Quoniam pones eos humerum*: &c. Ra-
tio eſt cur dixerit, (*quæ*) *non poterunt* (*perfi-
cere.*) Vertes illos, inquit, in fugam, ac fa-
cies vt tergum obuertant, & tamen non ſic
euadent, quia fugientibus occurres, & *in fu-
nibus* arcuum tuorum *præparabis* ſagittas
tuas, quas dirigas in illorum ora. Ad men-
tem Kimhi, & aliorum vertendum, *pones
eos ad partem vnam* ſeu *angulum vnum.*
Senſus erit, Detrudes eos in angulum,
túncque tela in aduerſa ipſorum ora diri-
ges. Prior verſio magis mihi arridet, quia &
per ſe clara eſt, & eſt vulgati interpretis,
qui tamẽ non habet *humerũ*, quod ſignificat
vox שְׁכֶם, *ſchechem*, ſed *dorſum*, eodem ſen-
ſu, cùm apud Græcum ſit νῶτον, quæ vox ſi-
gnificare poteſt & *dorſum* & *humerum.*
Quid ſignificet hoc *pones eos humerum*, ſeu
dorſum, facilè intelligi poteſt ex verſ. 41.
pſal. 18. vbi legitur *inimicos meos dediſti mi-
hi ceruicem*, Græco νῶτον, Lat. *dorſum*:

Digitized by Google

quod ex doctiorum conſenſu ſignificat, A vertiſti hoſtes meos in fugam, & terga dare coëgiſti. Vnde valde miror quid venerit in mentem grauiſſimo cuidam viro, cuius autoritas, vt par eſt, apud me magna ſemper fuit, vt ſic explicaret, *Pones eos dorſum*, id eſt, facies, vt nihil ſint niſi dorſum, pars videlicet flagellis expoſita: ſic nimirum totos flagellabis, quaſi toti ſint dorſum. *Præparabis* ſup. ſagittas tuas. Conciſa eſt admodum lingua hebraica, præſertim vbi res per ſe eſt clara. Similis eſt locutio, ſed integra, pſal 11. 2. *parauerunt ſagittam ſuam ſuper chordam.*

14 *Exaltare* &c. Iterum in fine pſalmi ad Deum ſermo dirigitur, quò detur intelligi, quicquid tandem hoſtibus continget, Dei potentiæ, non humanis viribus eſſe adſcribendum; quo modo & initio pſalmi dicitur, *Domine in virtute tua lætabitur rex:* &c. *Exaltare* contra hoſtes.

PSALMVS

XXI. — XXII.

VERSIO

VETVS.	NOVA.	
IN finem, pro ſuſceptione matutina, Pſal. Dauid.	PRAECENTORI, ſuper ſtellam matutinam, Pſalmus Dauid.	
2 *Deus Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea verba delictorum meorum.*	2 Deus meus, Deus meus quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea verba rugitus mei?	
3 *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad inſipientiam mihi.*	3 Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies! & nocte, & non (eſt) ſilentium mihi.	
4 *Tu autem in ſancto habitas, laus Iſraël.*	4 Tu autem ſanctus: permanens, [a] laus Iſraël.	a heb. *laudes*
5 *In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos.*	5 In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos.	
6 *Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.*	6 Ad te clamauerunt, & [b] ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt [c] confuſi.	b *euaſerũt* c *pudore ſuffuſi.*
7 *Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.*	7 Ego autem (ſum) vermis, & non [d] homo: opprobrium hominum, & deſpectus plebis.	d heb. *vir.*
8 *Omnes videntes me deriſerunt me: locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.*	8 Omnes videntes me [e] deriſerunt me: [f] locuti ſunt labiis, [g] mouerunt caput.	e *derident* f heb. *emittunt per labiũ,* g *mouent*
9 *Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.*	9 Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.	
10 *Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meæ.*	10 Quoniam tu (es) [h] qui extraxiſti me de ventre: [i] ſpes mea ab vberibus matris meæ.	h heb. *extractor meus* i heb. *confidere faciens me ſuper vbera matris meæ.*

11 In te proiectus ſum ex vtero: de
ventre matris meæ Deus meus (es)
tu.
12 Ne [l] diſceſſeris à me, quoniam
[m] tribulatio proxima (eſt:) quoniam
non eſt qui adiuuet.
13 Circundederunt me [n] vituli mul-
ti: tauri [o] pingues [p] obſederunt
me.
14 Aperuerunt ſuper me os ſuum,
(ſicut) leo rapiens & rugiens.
15 Sicut aqua effuſus ſum, & ſepara-
ta ſunt omnia oſſa mea, factum eſt
cor meum, tanquam cera, [q] lique-
ſcens in medio [r] ventris mei.
16 Aruit tanquam teſta virtus mea,
& lingua mea adhæſit [ſ] faucibus
meis: & in puluerem mortis [t] dedu-
xiſti me.
17 Quoniam circundederunt me
canes, concilium malignantium
[u] obſedit me: foderunt manus meas
& pedes meos.
18 Dinumerauero omnia oſſa mea:
ipſi conſiderauerunt, inſpexerunt
me.
19 Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea,
& ſuper veſtem meam [x] miſerunt
ſortem.
20 Tu autem, Domine, ne elonga-
ueris te: fortitudo mea ad [y] defenſio-
nem meam feſtina.
21 Erue à gladio animam meam: de
manu canis vnicam meam.
22 Salua me ex ore leonis, & à cor-
nibus vnicornium exaudi me.
23 Narrabo nomen tuum fratribus
meis: in medio [z] eccleſiæ laudabo
te.
24 Qui timetis Dominum, lauda-
te eum, vniuerſum ſemen Iacob glo-
rificate eum: & timete eum omne ſe-
men Iſraël.
25 Quoniam non ſpreuit, neque
[a] deſpexit deprecationem pauperis,
nec auertit faciem ſuam ab eo: & cùm
clamaret ad eum, exaudiuit.
26 A te laus mea in [b] eccleſia ma-

l heb. *elonges te*
m *anguſtia*
n *iuuenci*
o heb. *Baſan*
p *cinxerũt*
q vel *liqueſecit ſe*
r heb. *viſcerum meorum.*
ſ vel *palato meo:*
t *diſpoſuiſti*
u heb. *circũdederunt ſeu circumſederunt*
x heb. *proiecerunt*
y heb. *auxilium meum*
z *congregationis*
a heb. *abominatus eſt*
b *congregatione*

11 *In te proiectus ſum ex vtero: de*
ventre matris meæ Deus meus es tu, ne
diſceſſeris à me.
12 *Quoniam tribulatio proxima eſt:*
quoniam non eſt qui adiuuet.
13 *Circundederunt me vituli multi:*
tauri pingues obſederunt me.
14 *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut*
leo rapiens & rugiens.
15 *Sicut aqua effuſus ſum: & diſperſa*
ſunt omnia oſſa mea.
16 *Factum eſt cor meum tamquam ce-*
ra liqueſcens in medio ventris mei.
17 *Aruit tamquam teſta virtus mea,*
& lingua mea adhæſit faucibus meis: &
in puluerem mortis deduxiſti me.
18 *Quoniam circumdederunt me canes*
multi: concilium malignantium obſedit
me.
19 *Foderunt manus meas & pedes*
meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea.
20 *Ipſi verò conſiderauerunt & in-*
ſpexerunt me: diuiſerunt ſibi veſtimen-
ta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt
ſortem.
21 *Tu autem Domine ne elongaueris*
auxilium tuum à me: ad defenſionem
meam conſpice.
22 *Erue à framea Deus animam meã:*
& de manu canis vnicam meam.
23 *Salua me ex ore leonis: & à cornibus*
vnicornium humilitatem meam.
24 *Narrabo nomen tuum fratribus*
meis: in medio eccleſiæ laudabo te.
25 *Qui timetis Dominum, laudate*
eum: vniuerſum ſemen Iacob glorificate
eum.
26 *Timeat eum omne ſemen Iſraël: quo-*
niam non ſpreuit, neque deſpexit depre-
cationem pauperis:
27 *Nec auertit faciem ſuam à me:*
& cùm clamarem ad eum, exaudiuit
me.
28 *Apud te laus mea in eccleſia ma-*
gna:

Digitized by Google

gna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

29 *Edent pauperes, & ſaturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum: viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.*

30 *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ:*

31 *Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ Gentium.*

32 *Quoniam Domini eſt regnum: & ipſe dominabitur Gentium.*

33 *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram.*

34 *Et anima mea illi viuet: & ſemen meum ſeruiet ipſi.*

35 *Annuntiabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cæli iuſtitiam eius populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.*

gna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

27 Edent manſueti, & ſaturabuntur; laudabunt Dominum qui requirunt eum: viuet cor veſtrum in æternum.

28 Reminiſcentur, & [c] conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terrę, & [d] adorabunt in conſpectu tuo vniuerſæ familiæ Gentium.

c *vel reuertentur*

d *inclinabunt ſe*

29 Quoniam Domini (eſt) regnum, & (ipſe) dominatur Gentium.

30 Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ; in conſpectu eius [e] procident omnes qui deſcendunt in terram: & (qui) animam ſuam non viuificat.

e *inclinabunt ſe*

31 Semen ſeruiet ipſi: annumerabitur Domino in generationem.

32 Venient & annuntiabunt iuſtitiam eius populo genito, quia fecit.

COMMENTARIVS.

Argumētum. *Etſi probabile eſt, quod aliqui Hebræorum volunt, pſalmum hunc à Dauide fuiſſe compoſitum, cùm Saulem fugeret: idque in ingenti aliquo periculo, & graui aliqua clade, quæ tum ei fortè ab hoſtibus fuiſſet obiecta: nihilominus dubium non eſt, quin omnis eius cogitatio à Spiritu Sancto longiùs fuerit abducta, vt, cùm ſuam ipſe calamitatem ac dolores conſideraret, ſimul etiam Chriſti, cuius ſe typum gerere cognoſcebat, dolores, paſſionem, ac duriſſimam mortem contemplaretur; ſicque præſentium ærumnarum ſenſum leniret, ac moderaretur. Quis tam cæcus, qui non videat in hoc pſalmo ea dici, quæ ſoli Chriſto conueniant, atque ita conueniant, vt Dauid rem ſe præſente geſtam videatur exponere, & ſpectator paſſionis fuiſſe? Exem. gr. illud,* foderunt manus meas & pedes meos: *necnon,* Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. *Ergo non de ſe ſolo, ſed de Chriſto Domino potiſsimùm loquitur Dauid in hoc carmine. Eam ob rem DD. Matth. Ioan. & Paulus ad Hebræos hiſtoriæ ſuæ fidem faciunt, adductis teſtimoniis ex hoc pſalmo: & Chriſtus ipſe pendens in cruce quædam ex hoc pſalmo protulit. Iuuat Titulus, (etſi ab Interpretibus variè exponitur, vt poſtea dicemus) qui habet* ſuper ſtellam (*ſeu* ceruam) matutinam: *ſic enim quidam Chriſtum appellari iudicant. Certè Chriſtus ipſe Apocal.* 22. *ſe* ſtellam ſplendidam & matutinam *nominat. Et Balaam de Chriſto vaticinans Num.* 24. 17. *dicebat,* orietur (*Heb.* procedet) ſtella ex Iacob. *Sed de titulo.*

1 *Super ſtellam* &c. In hoc exponendo titulo omnino diſcrepant interpretes. Ex Hebræis alij volunt אַיֶּלֶת הַשָּׁחַר *aiieleth haſchſchachar*, fuiſſe inſtrumētū Muſicum. Alij initium fuiſſe vulgaris cantilenæ. Alij ſignificare *ſtellam matutinam*: ac per ſtellam iſtam intelligunt Eſther, & qui vnà cum illa in captiuitate erant. Alij *ceruam* A *matutinam* exponunt: ac per illam Iſraëlitas intelligunt. Chald. interpretatus eſt *ſuper fortitudine oblationis iugis auroræ.* Græc. & Lat. verterunt *pro ſuſceptione matutina.* Alij aliter hunc titulum explicant: & quot capita, tot ſententiæ. Nos nihil ſtatuimus, nec iudicamus titulum ad argumentum pertinere. Quòd ſi pertinet

Digitized by Google

certè, vertendum *ſuper ſtellam matutinam*: nam & hoc optimè Chriſto conueniet, vt mox dictum eſt: & Kimhi obſeruat apud Hebræos auctores אילתא ſignificare *ſtellã matutinã*. Nec repugno tamen, quominùs vertas *ſuper ceruã matutinam*, & Chriſtum interpreteris, qui verè ceruа matutina agitata à canibus tum fuit, quando *mane facto*, vt refert D. Matth. *conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum, & ſeniores populi aduerſus illum*. Conuenit huic interpretationi illud verſus 17. *Quoniam circundederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me.*

2 *Deus meus, Deus meus.* Bis Deum nominat illorum more, qui anguſtiis preſſi idem ſæpius ingeminant, & ſi quem inclamant, iterum atque iterum inclamant, quò ad miſericordiam faciliùs excitent. In Hebræo eſt אֵלִי אֵלִי *eli, eli*, hoc eſt, ad verb. *Fortis* (ſeu *Potens*) *mi*, *Fortis mi*: id enim nominis Deum, vt fortem, ſignificat, quaſi voluerit dicere, O tu, qui ſolus fortis es, ac potens, potéſque me ſeruare, ſi vis, cur me deſeris in his malis? Latinus, & Græcus quem ſequitur, hîc habent *Deus, Deus meus reſpice in me*, videntúrque illi, vtpote qui legerent ſine punctis vocalibus, alterum אלי bifariam ſimul legiſſe, nimirum אֵלִי *eli*, id eſt, *Deus meus*, & אֵלַי *elai*, id eſt, *ad me*. Tale quid obſeruabitur ad verſ. 2. pſal. 24. *Quare me dereliquiſti?* &c. Chriſtus, vt homo, à Deo ſe derelictum exclamabat, non vt ſupplicij, ac pœnarum acerbitatem deprecaretur: id quod nec eius charitatem erga hominum genus, nec obedientiam erga Patrem, nec inuictam animi fortitudinem, quæ in homine Deo eſſe debuit, decuiſſet: ſed vt hominis, qui in extremis verſatur cruciatibus, perſonam exprimeret, atque iſto argumento verum ſe hominem probaret, nec ſpecie duntaxat, ac teſtaretur verè langores noſtros ſe tuliſſe, & dolores noſtros portaſſe: quemadmodum multis antè ſeculis vaticinatus fuerat Eſaias cap. 53. 4. quod quidem caput de Meſſia etiam Paraphraſtes Chaldæus accipit. Porrò huius verſus verba de Dauide commodè exponi poſſunt: ſed de Chriſto eſſe præſertim accipiẽda ipſe Chriſtus docet apud Matthæum cap. 27. Mar. cap. 15. *Longè à ſalute mea* &c. Senſus eſt, cur nihil proficio meis clamoribus, atque eiulatibus? Potes vertere aliqua ſubaudiendo, *longè* (*es*) *à ſalute mea*, (*& à*) *verbis rugitus mei?* Rugitus metaphoricè hîc ſignificat ingentem clamorem præ anguſtia. Hæc omnia Chriſtus, vt homo, dixit: quia, vt homo, verè hominis, imò plus quàm hominis dolores ſenſit, ſed ſupra hominem conſtanter tulit. Vbi hebraicè *rugitus mei*, in Græco eſt τῶν παραπτωμάτων μου: in Vulg. *delictorum meorum*. Legit quippe Græcus שגיאתי *ſchegbiothai*, à verbo שגה *ſchagha*, quod eſt *errauit*, vbi hodie שאגתי *ſchaaghathi*. D. Auguſtinus explicans hæc verba, *longè à ſalute mea verba delictorum meorum*, ſic habet, Quorum delictorum, de quo dictum eſt, Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius? Quomodò ergo dicit, delictorum meorum: niſi quia pro delictis noſtris ipſe precatur, & delicta noſtra, ſua delicta fecit, vt iuſtitiam ſuam, noſtram iuſtitiam faceret? D. Hieron. legit, quemadmodum Hebræi hodie, & vertit *rugitus mei*. Sic & Aquila qui interpretatus eſt βρυχήματός μου. Non longè abiit Symm. qui vertit τῶν ὀδυρμῶν μου.

3 *Deus meus, clamabo* &c. Hic verſus ſumi debet admiratiuè vel interrogatiuè, ſic: Tu qui es Deus meus, quomodò non exaudis diu ac noctu ſine intermiſſione ad te vociferantem? *Clamabo* pro nunquam ceſſo clamare. *Non exaudies* pro non exaudis, vel, nunquámne exaudies? *Et nocte* repete *clamabo. Et non (eſt) ſilentium mihi*, hoc eſt, ac ſine intermiſſione vociferor. Græc. & Lat. pro hoc verterunt, *& non ad inſipientiam mihi*: cui nullum ſubeſſe ſenſum affirmat Steuchus Eugubinus. Certè in iſtis verbis magnæ ſunt tenebræ. Chald. Aquila, Symm. Theod. D. Hieron. verterunt *ſilentium*.

4 *Tu autem ſanctus: permanens*, (ſeu *ſedens*, iuxta alios) &c. Raſi explicat hunc verſum ſic: Tu verò ſanctus es, & habitans (ſeu ſedens) ad auſcultandum laudes Iſraëlitarum ab omni tempore. Sed hoc longinquum. Ezra ſic: *habitans laudes Iſraël*, (ita enim ad eius mentem vertendum) id eſt, Sanctuarium ſeu locum Arcæ, quæ, vt eſt Eſ. 64. 11. eſt *domus ſanctificationis noſtræ, & gloriæ noſtræ, vbi laudauerunt te patres noſtri*. Kimhi ſic: Quomodò nunc non exaudis, tu qui ſanctus, permanens ac ſemper idem, fuiſti multoties laudes Iſraëlitarum, ſeu, argumentum laudum Iſraëlitis: quippe qui periculis, atque ærumnis à te liberati te ſemper celebrarunt? Quomodò, inquã, nunc non fers opem, cùm ſis æternùm immutabilis, eadémque tibi nunc potentia ſit, quæ tunc fuit? Hæc interpretatio ſe mihi magis probat: nec tamen omnino diſplicet Ezra. Poteſt igitur reddi hic verſus, *Tu autem ſanctus: habitans laudes Iſraël*, nimirum in ſenſu Ezræ. Vel, *Tu autem ſanctus: permanens, laudes Iſraël*, in ſenſu Kimhi.

5 *In te ſperauerunt* & ad te confugerunt

Digitized by Google

multoties *patres* ſeu maiores *noſtri* in malis, *& liberaſti eos*, qui ſemper propinquus es omnibus inuocantibus te, nec fruſtra fuit illorum ſpes. Eódem ſpectat verſus qui ſequitur. Repetit verbum *ſperauerunt* amplificandi gratiâ, quaſi vellet dicere, *ſperauerunt*, inquam, in te vno. Si de Dauide hunc verſum vis accipere, planum eſt quos per *patres* Dauid intelligat. Si de Chriſto, *patres* intellige, ex quibus deſcendit ſecundum carnem, quam è puriſſimo Virginis Matris ſanguine, operante Spiritu Sancto, accepit.

6 *Ad te* ſolum *clamauerunt*, non ad deos alienos. *In te* vno *ſperauerunt*, *&* propterea *non ſunt confuſi*, vel potius, ſi loquendum latinè, *pudore ſuffuſi*, hoc eſt, non exciderunt ſpe ſua, vt ſolent qui idola inuocant. Notanda hoc loco Latini interpretis conſuetudo, qui *confundi* vſurpat pro *pudefieri*. Meliùs vim Hebræi vocabuli repræſentat Græcus, vertendo κατῃσχύνθησαν. Ac negat Steuchus Eugubinus Latinum interpretem latinè loqui hîc & quoties *confundendi* verbum vſurpat in iſto ſignificato. Nos tamen noluimus temere immutare, ſed quò honorem vetuſtati haberemus, retinuimus. Neque enim tanti ducimus elegantiam ſermonis, vt propterea antiquæ & receptę verſioni quicquam derogemus. Sententia huius & præcedentis verſus ex hiſtoria Ægypti & Iudicum præſertim comprobanda.

7 *Ego autem ſum vermis*, &c. Sic cohæret hic verſus cum præcedentibus, Cùm ita ſit, vt maioribus nunquam fraudi fuerit ſua illa ſpes, ego tamen qui in te vno ſemper ſpem collocaui, ac perpetuò ad te vociferor, nunc miserè contemptus iaceo, nec alio loco ſum apud hoſtes, quàm vermis, neque illis homo videor: fabula ſum omni populo. *Opprobrium hominum*, id eſt, expoſitus ſum omnium ludibrio. *Deſpectus plebis*, hoc eſt, deſpectus ab ipſa plebe: vel deſpectiſſimus & contemptiſſimus ipſius plebis. בזוי *bezui*, eſt participium paſſiuum Kal: etſi Chaldæus & Latinus expoſuerunt, eodem tamen ſenſu, *deſpectio*, ſeu, *abiectio*, & Græcus ἐξουθένημα. Eſaias cap. 53. 3. Chriſtum *deſpectum*, *& nouiſſimum* (ſeu *abiectum*) *virorum vocat*.

8 *Deriſerunt* vel potiùs *derident*: verba enim ſunt fut. temp. atque idcirco commodius per præſens exponentur. *Locuti ſunt labiis*: ad verb. *emittent* (ſeu *emittunt*) *per labium* ſupple conuitia. Sunt qui vertant *diducunt* (vel *diſtorquent*) *labium*. *Mouerunt* (ſeu *mouent*) *caput* per ludibrium. Quàm hic verſus Chriſto conueniat, nemo Chriſtianorum neſcit.

9 *Sperauit in Domino*, &c. Per mimeſin refert verba, & ſannas Iudæorum Chriſto illudentium, eadem pene, inquam, illa verba, quibus principes ſacerdotum cum Scribis Chriſto illudebant, vt eſt apud D. Matth. 27. *Sperauit* &c. Ad verb. *Deuoluit ad Dominum* (ſupp.) res ſuas: etſi ſunt qui vertunt, *Deuolue ad Dominum*, ac dicunt in hoc verſu eſſe enallagen perſonæ in verbo *Deuolue*, & pronomine *eum* pro *te*. Sed Chald. accepit in præterito: habet enim hîc, *Laudauit Dominum*: & Ezra, Kimhi, & alij exiſtimant גל *gol*, eſſe nomen adiectiuum ſignificans *deuoluens*. Ergo non malè poſt Græc. Latinus ſenſum tantùm ſecutus vertit, *Sperauit in Domino*. Ad mentem tamen Ezræ, & Kimhi aliter vertendum, ſic nimirum, *Deuoluentem* (res ſuas) *ad Dominum eripit eum: ſaluum facit, quoniam vult eum*, hoc ſenſu, inquit Kimhi, Eũ qui omnes res ſuas, petitiones, ac precationes ad Deũ refert, eripit Dominus, quoniam bene vult ei, audítque eius orationem. Perinde ac ſi diceret, Iſtud vidi & audiui multoties cum à Deo deſeri nunquam, qui ſe ipſius tutelæ committit. Si ita eſt, cur me, ô Deus, tuam vnius opem implorantem diutius verſari pateris in his malis? Vel, quod eódẽ redit, Quiſquis ad Deum confugit, is ſtatim eius opem experitur: ſolus ego, poſtquam tandiu ad Deum vociferor, non experior. Cæterùm ſiue Dauid, ſiue Chriſtus, quum hæc & talia dicit, non eſt putandus Deo obmurmurare, ſed vult ſolùm oſtendere ſe reliquis hominibus longè infeliciorem eſſe. Ac ſanè id iure merito dicere potuit Chriſtus, quem Eſaias Propheta (cap. 53.) omnium hominum miſerrimum fore prædixerat, quippe in quem Deus coniecturus eſſet omnia hominum peccata. Poſtremorum verborum, *quoniam vult* (ſeu *amat*) *eum*, obſeruat Kimhi hunc quoque poſſe eſſe ſenſum, quoniam vult, ſeu amat Deum iſte homo, iuxta illud Pſalm. 91. 14. *Quoniam me valde amat, liberabo eum*. Senſum Ezræ & Kimhi amplexus eſt Sanctes Pagninus: vertit enim, *Qui voluerit* (*opera ſua*) *ad Dominum, eruet eum*: &c. Sed prior interpretatio melior, & Euangelio magis conformis, ac meliùs cohærens cum præcedentibus.

10 *Quoniam tu* (*es*) &c. Refer ad 2um & 3um verſum, quaſi dicat, Miror me à te derelictum, nec exauditum, qui me ex vteri materni clauſtris eduxiſti, & iam inde ab vtero curaſti. *Spes mea ab vberibus* &c. Hebraicè *confidere faciens me ſuper vbera matris meæ.*

Senſus eſt, tu es, qui mihi recèns nato paraſti alimentum conueniens in vberibus matris.

11 *In* (ad verb. *Super*) *te proiectus ſum ex vtero*, id eſt, ex quo me eduxiſti ex vtero: quo ſenſu ipſe Deus dicit Eſa. 46. 3. *Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini* (*ſuper me* vel *à me* ſupple) *ab vtero, qui geſtamini (à me) à vulua*. Sic Raſi. Nota obiter corrigendam videri verſionem vulgatam in loco Eſ. citato, ac pro, *à meo vtero*, & *à mea vulua*, legendum *à me ab vtero*, necnon *à me à vulua*, præſertim cùm in Græco legatur ἐκ κοιλίας, ἐκ παιδίας ſimpliciter. Scilicet illud eſſe videtur, ſaluo tamen aliorum iudicio, librariorum vitium. Cuius rei vel hoc indicium facit, quòd non ſatis ex vſu ſcripturæ eſt pronomina præponi. Certè eſt contra Hebræi ſermonis conſuetudinem. Vide ad verſ. 8. pſ. 79. Eiuſmodi adhuc multa in Vulgatâ verſione reſtãt corrigenda poſt Sixti Summi Pontificis correctionẽ, quã tamen, vt par eſt, magni facimus ac veneramur. Sed, vt ad rẽ redeã, Ezra verſũ, in quo verſamur, ſic explicat, Super te proiectus ſum, non ſuper vbera matris meæ: tu enim illam alis ac me: túque es, qui mihi vim recipiendi largiris, dum creſcam. Ideirco dicit *Deus meus (es) tu*. Eodem ferè modo Kimhi: *Super te proiectus ſum ex vtero*, tu ſiquidem es, qui matri alimenta ſuppeditas, quibus me alat, atque educet. *Proiectus ſum*. Proiiciẽs eſt ipſe pater ac mater. Nam nemo ab vtero poteſt onus ſuum in Deum proiicere. Sic *Deus meus (es) tu*: ipſi enim pro me tibi confitentur. Ita ferè Kimhi. In horum ſententia *Super te proiectus ſum ex vtero*, nihil eſt aliud, quàm, Quùm primùm editus fui in lucem, me, meáque omnia tuæ miſericordiæ commiſi: hócque intelligi poteſt ex verſu 23. pſal. 55. *Proijce ſuper Dominum onus tuum*, pro quo Græc. & Lat. *Iacta ſuper Dominum curam tuam*. Chaldæus aliter accepit hunc locum: ipſe enim ſic interpretatus eſt, *Tuà ope proiectus ſum ex vtero*, quod quidem mihi videtur alienum à phraſi hebraica. Nos hunc verſum de Chriſto interpretamur, in quo cùm ab inſtanti conceptionis fuerint omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, potuit ab inſtanti conceptionis omnem ſuam curam, & ſpem, vt homo ſcilicet, in vno Deo figere & locare. Ille *ingrediens mundum dicit*, *Hoſtiã*, &c. *Tunc dixi, Ecce venio*: &c. *Vt faciã, Deus, voluntatem tuã*. Ad Heb. 10. *De ventre matris meæ Deus meus (es) tu*. Ante ſecula pater meus, de ventre matris meæ Deus meus.

Ad Coloſſ. 2.

A 12 *Ne diſceſſeris* (prop. *elongaueris te*) &c. Senſus, Nunc ergo, quum vrgent mala, & tua mihi præſentia maximè opus eſt, ne ſubducito te longiùs à me, qui mihi iam inde ab vtero matris propiùs adſuiſti. *Quoniam tribulatio proxima* (*eſt.*) Elegans eſt antitheſis in verbo *diſcedendi*, ſeu *elongandi*, & adiectiuo *proxima*. *Quoniam non eſt qui adiuuet* præter te.

13 *Circundederunt me vituli* vel potiùs *iuuenci* (in Hebræo enim eſt פָּרִים *parim*) *multi* iuxta Ezrã, vel *magni* iuxta Kimhi: (vox Hebræa רַבִּים *rabbim*, vtrumq; ſignificare poteſt, & vtroque modo hìc ab Hebræis accipitur) &c. Exponit nunc quomodò tribulatio ſeu anguſtia propè adſit. Quia, inquit, *circundederunt me iuuenci* &c. Per *iuuencos* porrò & *tauros* intelligit principes & potentes, quos ſic à truculentia denominat. Sic Eſaias cap. 34. 7. principes vocat iuuencos & tauros. *Tauri pingues*, Heb. *Baſan*: Baſan enim regio fuit in terra Iſraëlitica optimis paſcuis abundans, atque ideo tauros facilè ſaginans. Sic Amos cap. 4. 1. vocat *vaccas Baſan* ipſos Samariæ principes, aut certè principum vxores.

14 *Aperuerunt ſuper me os ſuum* illico deuoraturi, (*ſicut*) *leo rapiens & rugiens*. Nunc pingit hoſtes ſeu illos principes, quos iuuencis & tauris antea comparauit, quaſi leones famelicos & rugientes, quibus nihil eſt formidabilius. (*Sicut.*) Hìc deeſſe כ literam ſimilitudinis obſeruant Ezra & Kimhi, vt & aliis in locis, ex gr. Gen. 49. 9. 14. & 21. Deuter. 4. 24.

15 *Sicut aqua effuſus ſum*. Senſus, Cùm ita ſit, vt à tot & tantis obſideat hoſtibus, corpus pauore concuſſum quoquò verſùm veluti dilabitur, non aliter atque aqua effuſa: vel, corpus inſtar aquę diffluit, id eſt, metu deficit & elangueſcit corpus, & conciderunt omnes vires: quò pertinet quod ſequitur, *ſeparata* (aut *luxata*) *ſunt omnia oſſa mea*: hoc eſt, non ſecus vacillat totum corpus, quàm ſi omnia oſſa luxata ſint. *Tanquam cera*, &c. præ metu. Simile eſt Ioſuæ 7. 5. *& liquefactum eſt cor populi, fuitque velut aqua*: vbi Vulgata habet, *pertimuitque cor populi, & ad inſtar aquæ liquefactum eſt*. Parum refert ad ſenſum num conſtruas vocabulum *liqueſcens* cum *cera*, ſic, *cera liqueſcens*: num ad *cor* referas; quod tamen erit melius propter athnach; quod eſt hebraicè in voce *cera*. Chaldæus interpretatus eſt ſic, *fuit cor meum liqueſcens ſicut cera* &c. Alij

Digitized by Google

vertunt in præterito, *liqueſcit ſe*, cor meum ſcilicet.

16 *Virtus* (ſeu *fortitudo*) *mea*. Sic appellat humidum radicale, in quo tota vis corporis poſita eſt. *In puluerem mortis*, hoc eſt, in ſepulchrum: quaſi dicat, morti ſum proximus, quoniam tu vis, ac permittis. Idcirco dicit *deduxiſti* (hebraicè *diſpoſuiſti*) *me*.

17 *Canes*. Per *canes* deſignantur minores quidem hoſtes, ſed magis acres, nimirum *concilium* (vel *congregatio*) *malignantium* è turba, qui Chriſtum cruci affixerunt, eique manus, ac pedes crudeliter perfoderunt. Ezra notat per *canes* deſignari minores hoſtes, ſed magis acres, ſeu, vt ipſe habet, magis laceſſentes, ac irritantes. *Foderunt manus meas*, &c. Iudæi, vt hiſtoriæ Chriſti fidem labefactent, malitioſè hunc textum corruperunt, ac deprauarunt, legentes hoc loco, *ſicut leo manus meas & pedes meos*. Subſtituerunt enim in locum כָּארוּ *caru*, quod ſignificat *foderunt*, à verbo כָּרָה *cara*: (nam א ad radicem non pertinet, ſed tantùm vocalis ſignum erat ante puncta inuenta) ſubſtituerunt, inquam, vocem ſimilem, quò faciliùs ſuam fraudem tegerent, nimirum כָּאֲרִי *caari*, id eſt, *ſicut leo*. Sed quàm bene hæc vox cum ſequentibus cohæreat, ipſi viderint. Suppleant quicquid libuerit, vel *circundederunt*, ſeu *obſederunt*, vel *mordent*, aut quiduis aliud, nihil efficient. Nam, proh Dei atque hominum fidem, quid eſt *mordere*, aut *circundare inſtar leonis manus, & pedes?* An quia leo manibus & pedibus tantùm aut potiſſimùm bellum indicit? Audire licet hîc Kimhi interpretationem: *ſicut leo manus meas, & pedes meos* ſup. circundederunt: ſicuti .n. leo in ſyluis ad prædam captandã circulũ quẽdam ſuâ caudâ deſcribit, quem conſpicatæ feræ non audent inde proſilire, metuentes ſibi à leone, ideóque contractis ac collectis manib. pedibúſque, totæ in globũ conuolutæ: ac ſic leo intra ſuum circulum prædã deprehendit: ita nos in * exilio, (hunc .n. pſalmum interpretatur de populo Iudaico in præſenti, quod vocat, exilio) in circulo veluti ſumus incluſi, vnde exire nõ poſſumus, quin in manus raptorũ incurramus: nam ſi Iſmaëlitarum (Turcas ſeu Saracenos ſic vocat) manum ac poteſtatem effugerimus, in poteſtatem incircunciſorum (Chriſtianos intelligit) veniemus: atque ecce nos, collectis manibus pedibúſque præ metu, ſtamus perterriti: ſiquidem non poſſumus pedes in fugam coniicere, nec manibus depugnare: perindéque ſumus ac ſi manicis manus, pedicis verò pedes vincti ſint. Sic ferè ille, qui omni arte ac ratione nititur probare illam locutionem, *circundant ſicut leo manus meas*, &c. Ezra breuiùs, ſed nihilo meliùs, qui idcirco dicit nominatim mentionem facere Dauidem *manuum & pedum*, quòd illis pugnaret, his poſſet fugâ ſibi conſulere. Sic neceſſe eſt extra lineas excurrere, & ambages quærere, vbi ſemel à verâ lectione aberraueris. Malàm Iudæorum fidem erga hunc locum facile detegere eſt ex eo quòd Critica ſeu Maſſora marginalis huius loci à Maſſoretis Iudæis conſcripta notat כארי duo eſſe cum camets in duplici ſignificatione: hoc videlicet, & alterum apud Eſ. cap. 38.13. At ſi כארי exponas hîc, quemadmodum apud Eſaiam, *ſicut leo*, quid, quæſo, erit diſcriminis, & vbi duplex ſignificatum? Itaque dubium eſſe non debet, quin innuere voluerint iſtius Criticæ autores hîc aliter eſſe legendum, quàm ſcribatur, & cùm ſcribatur כארי, legendum eſſe כָּארוּ, id eſt, *foderunt*. Ecce tibi aduerſus Iudæos alius teſtis Iudæus. Is eſt R. Iacob filius Chaiim, qui in magna Maſſoreth, quæ extat ad calcem Bibliorum rabbinicorum, in Maarecheth ſeu Diſpoſitione literæ א, ſcribit in quibuſdam libris correctis ſe inueniſſe כְּתִיב, hoc eſt, *ſcriptum* (in textu) כארו: ſed קְרִי hoc eſt, *lectum* (at ſcriptum tantùm in margine) כארי. Ex hoc ſaltem habemus, quòd hodie in textu ſcribatur כארי, crimen eſſe recentiorum Iudæorum. Sed enim ampliùs dico. Neque illud כארו, quod in quibuſdam correctis codicibus, illo teſte quem mox laudaui, olim ſcribebatur in textu, legendum fuiſſe כארי, mihi videor hæc vna ratione demonſtrare poſſe, quòd, vt idem Iacob loco notato obſeruat, vox illa minimè iis annumeretur, quæ cùm ſcribantur per ו in fine, tamen legendæ ſint per iod. Hæc res indiget ampliore declaratione. Quædam voces ſunt, quæ cùm habeant ו in extrema ſyllaba, tamen ex Maſſora ſeu Critica Hebræorum debent legi per iod. Harum autem vocum ſummam & catalogum fecit Maſſora, in quo catalogo non eſt hæc vox כארו: quod quidem argumentum eſt certum, ſicuti olim in emendatis exemplaribus ſcribebatur in textu כארו, ita etiam fuiſſe lectum, per ו ſcilicet, non autem כארי per iod. Annotat citatus Iacob loco notato non etiam referri eam vocem inter eas, quæ aliter apud Orientales, aliter apud Occidentales notent atque efferant ר literam. Vnde ſanè perſpicuum eſt conſtantem olim apud Hebræos omnes huius vocis fuiſſe lectionem, & illam quidem, quæ in correctis exemplaribus obtinebat, כארו.

* captiuitate.

Ioannes Iſaac Leuita ex Iudæo Chriſtianus, alioquin hebræi textus acerrimus defenſor, & fortaſſe paulò plùs quàm Chriſtianum decebat, hanc vocem, de qua nunc agimus, eſſe à Iudæis corruptam ingenuè fatetur: &, referam eius verba, impios Iudæos quoſdam (quod intra ſexcentorum annorum ſpatium contigiſſe arbitratur) vocabulum in margine notatum textui inſeruiſſe: id verò quod in contextu ſcriptum erat, ſcilicet כארו, omnino omiſiſſe. Habet præterea: Hoc idem ego Iohãnes Iſaac ipſa veritate & bona conſcientia teſtari poſſum, quòd huiuſmodi pſalterium apud auum B meum viderim, vbi in textu ſcriptum erat כארו, & in margine כארי. Et ita omnia olim exemplaria habuiſſe haud dubito. Vide illum, ſi vis, in *Defenſione veritatis hebraicæ aduerſus Lindanum*, lib. 2. ſub finem. Ille ſuperiore ſeculo viuebat, & ſcripſit ſuprà laudatum librum Coloniæ, anno Chriſti 1558. Omitto quòd verſio Syriaca omni memoria antiquior, & ab hebraica fide raró diſcedens, habet hîc בזעו *baza*, quod ſignificat *transfixerunt*.

18 *Dinumerauero*, hoc eſt, Dinumerare C poſſem, vel numerare licet præ macie: δυνητικῶς. Sic aliàs ſæpe exponitur futurũ. Si de Chriſto, ſic accipe, Ita eſt corpus diſtentum in cruce, vt omnia oſſa appareant. Græcus & Lat. vertêre, *dinumerauerunt*, ſenſum tantùm ſecuti, pro, potuerunt ſpectatores dinumerare. *Ipſi conſiderauerunt & inſpexerunt me*, læti meo malo, ac mihi ſuperbè inſultantes. Ex quibuſdam vertendum *deſpexerunt me*: nam putant verbum ראה *raa*, cum ב *in*, conſtructum, nihil aliud eſſe interdum quàm *illudere*, *deſpicere*. Fa- D uet illis Chaldæus, qui interpretatus eſt, *contemnunt* ſeu *deſpiciunt me*. Nihil hoc prorſus refert ad ſenſum: ac de eiuſmodi rebus potiùs conſulenda ſunt Lexica.

19 *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea*, &c. Hoc Chriſto accidiſſe loquitur hiſtoria, Dauidi non: niſi dicas Dauidis veſtes, opes & quæcumque poſſidebat, poſtquam aula exceſſiſſet, hoſtes rapuiſſe, & ſorte inter ſe partitos eſſe. Sed de Chriſto præſertim hoc ſumi debet, teſte D. Ioan. cap. 19. vbi ſcribitur, E *Dixerunt ergo ad inuicem, Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Vt Scriptura impleretur dicens, Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem.*

20 *Tu autem, Domine*, &c. Senſus, Nunc ergò, ô Domine, cùm videas me tot afflictum malis, ne procul abſis, néue me deſerito: tu qui es vis & fortitudo mea, robur meum in quo tantùm ſpero, accurre ad me, ac citò fer opem.

21 *Erue à gladio animam meam*, à gladio tot ſimul obſidentium ac vitæ meę inſidiantium, de quibus antea egi. *De manu canis*, hoc eſt, vulgi, qui canis inſtar non ceſſat in me latrare. Vide ad 17. verſum. In priore parte *gladio* quum dicit, notare videtur milites, vel ſanè nobiles & aulicos, penes quos præcipuè armorum vſus, quíque tunc fortaſſe, vt nunc, enſibus latera accincti incederent. *Manum* tantùm vulgo tribuit. Aliquis exiſtimare poſſit in vtroque membro notari quoſuis hoſtes. *Vnicam meam:* hoc eſt, animam, quæ vnica habitat in corpore, domo lutea, abſque compare ſeu ſimili: anima enim appetitiua eſt corpus. Iob 4. 19. Kimhi. Ezra vult animam hominis *vnicam* appellari, quòd anima hominis ſolitaria degat vnà cum ſuo corpore, & ſeorſum ab animabus aliorum hominum: quæ dum ſeparata eſt à corpore, tunc in cœtum aliarum ſe recipiat. Obſeruat Mercerus in Theſauro Pagnini יחיד *iachidh*, ſignificare *vnicum* genitura, ſucceſſione, vel ſolitudine, id eſt, deſertum, ſolum. Si ita eſt, quod puto, malè qui accipiunt hîc *vnicam* pro vnicè charam.

22 *Salua me ex ore leonis*, hoc eſt, ferociſſimorum hoſtium, qui inſtar famelicorũ & rugientium leonum hiantibus faucibus vitam meam appetunt. Reſpondet hic verſus ad 14. verſum. *Et à cornibus vnicorniũ exaudi me*, ad verbum, *exaudiſti me*, pro, *exaudies me*, præt. pro fut. vt ſæpe in prophetiis, aut potiùs pro imperatiuo, quem locus videtur poſtulare, vt poſterior pars verſus priori pro more reſpondeat. Aut retinendo præteritum ſenſus erit, Quia multoties me ſeruaſti à furore ſæuiſſimorum hoſtium, & vnicornium inſtar indomitorum, ſic *ſalua me* nunc *ab ore leonis*. Vtroque modo Kimhi. Poſteriore modo Ezra, qui etiam obſeruat dicere hîc, *à cornibus vnicornium exaudiſti me*, quaſi fuiſſet in ipſis cornibus, hoc eſt, in ſummo & vrgenti diſcrimine. Sed, quòd ad hoc attinet, ſimplicius eſt interpretari hunc hebraiſmum, *à cornibus vnicornium exaudiſti me*, pro, exaudiendo eripuiſti me à cornibus vnicornium.

23 *Narrabo nomen tuum* &c. Cùm me, ô Pater, inquit Chriſtus, liberaueris, & ad vitam reuocaueris immortalem, te, tuúmque ſanctiſſimum nomen inter fratres meos celebrabo. *Fratres* vocat Chriſtianos, vtpote filios Dei & cohæredes ſuos: vnde illud Pauli ad Rom. 8. *vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*: vel Apoſtolos, vt apud Matth. cap. 28. *Nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam*: & apud Ioan. cap. 20. *vade ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad*

Digitized by Google

patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Hunc verſum à Chriſto Domino dictum eſſe teſtis eſt D. Paulus epiſt. ad Heb. cap. 2. Et tamen optimè etiam conuenit Dauidi, qui ſic dicat, Poſtquam me erueris à gladio & manu hoſtium, méque ſeruaueris ex ore leonis & cornibus vnicornium, tunc verò *narrabo nomen tuum* &c. Quum *fratribus meis* dicit, intelligit Iſraëlitas ex eodem genere ortos, ac prætereа communi religionis, quaſi fraternitatis, vinculo coniunctos. Cæterùm palàm docet Dauid quorſum tam ardentibus votis optaret ſeruari, & in libertatem reſtitui, nimirum eo duntaxat conſilio, vt ſibi eſſet copia & occaſio celebrandi nominis Dei, quæ tum datur maximè, quum adflictis & miſeris Dei auxilium commodùm affulget. Indignum profectò Dauide videretur, illum tam anxio fuiſſe & ſollicito animo in periculis, niſi hæc vna aut præcipua cauſſa timoris fuiſſet, ſi desereretur à Deo, fore vt ſibi, peſſimo exemplo, fruſtra imploratum Dei auxilium exprobraretur.

24 *Qui timetis Dominum*, &c. Chriſtus, vel Dauid in ſuâ, aut Chriſti perſonâ, ea proponit, quæ ſalutem conſecutus, palàm, & in publico cœtu dicturus ſit. Vel Chriſtus, ſeu Dauid intelligens ſe liberatum iri, iam fratres ſuos hortatur ad canendos hymnos, & gratias Deo agendas.

25 *Neque deſpexit deprecationem pauperis.* Alij vertunt, *neque abominatus eſt humilitatem (*ſeu *paupertatem) pauperis.* Sed Chald. interpretatus eſt, *nec deſpexit orationem pauperum.* Et Raſi explicat *clamorem pauperis:* quanquam non negat poſſe D etiam verti *humilitatem.* Ezra quoque & Kimhi obſeruant eſſe qui explicent עֱנות *enuth*, *vocem* ſeu *clamorem.* Bene ergo Græc. & Lat. *neque deſpexit deprecationem pauperis.* Eódem ſenſus redit.

26 *A te laus mea* &c. hoc eſt, Tu me ſeruando publicarum laudum materiam mihi obtuliſti.

27 *Edent manſueti* (iuxta alios *pauperes)* &c. Certè vox hebraica עֲנָוִים *anauim*, quæ *manſuetos* ſignificat, admodum ſimilis eſt E ei, quæ *pauperes*, nimirum עֲנִיִּים *aniiim*, ita vt facilè confundi poſſint, & paſſim Hebræi variam lectionem in iſtis vocibus ſtatuant. Vide ad verſ. 17. pſ. 10. Vox *pauperes* optimè huic loco conueniet, vbi Gentium ſalus, ac vocatio prædicitur, quæ, cùm religione, & bonis animi careant, quæ veræ certæque diuitiæ ſunt habendæ, iure merito *pauperes* appellatæ ſunt. Forma hæc ſermonis, *Edent manſueti*, ſumpta eſt ex more tunc vſitato: ſolebant enim periculo

A liberati ad ſacrificia vocare multos, & publicum conuiuium celebrare. Sic Chriſtus certò ſciens ſe ex huius vitæ ærumnis à Deo patre liberatum iri ſacrificium & conuiuium ſimul inſtituit, in quo ſuum corpus & ſanguinem dedit, nobíſque dat quotidie edendum, ac bibendum, quod qui edent, ac bibent, *ſaturabuntur*, æternúmque viuent, quod ſignificatur his verbis, *viuet cor veſtrum in æternum*: vbi per enallagen mutatur tertia perſona in ſecundam, vt ſit apoſtrophe ad manſuetos ipſos em-B phatica. Probarem tamen hîc magis Græcam & Latinam verſionem, quæ correxerunt enallagen ſic, *viuent corda eorum in ſeculum ſeculi*: nam ſic ſenſus eſt clarior. Difficile eſt hæc ad tempora Dauidis accommodare: (& ipſe Raſi, & alij agnoſcunt hoc ad tempus Meſſiæ pertinere) niſi dicas dicere Dauidem tunc manſuetos conuiuia inter ſe agitaturos in ſignum publicæ lætitiæ, quum viderint Deum afflicto, ac miſero opem tuliſſe: túmque ſibi inuicem dicturos, *Viuet (* vel *Viuat) cor veſtrum* &c. Ac C ſic ferè Ezra. Annotat Kimhi dici *viuet cor veſtrum*, quo modo Gen. 45. 27. dicitur *reuixit ſpiritus Iacob*, pro, cœpit eſſe Iacob bono animo, contra quàm 1. Sam. 25. 37. *& mortuum eſt cor eius* (Nabal) *intrinſecus.* Rationem huius loquutionis eſſe ait, quòd ſpiritus vitæ ſit in corde. Et quum, inquit, aliquis affligitur aut verſatur in anguſtia, mortuũ eſt cor eius, (natiuo calore ſcilicet ad cor tum ſe recipiente, ac veluti ipſum opprimente) quo ſenſu pſ. 109 22. *& cor meum vulneratum eſt intra me*: at quum ex anguſtia exiuit in latitudinem, ac redditus eſt li-D bertati, tum verò reuiuiſcit cor eius. Sic ferè Kimhi.

28 *Reminiſcentur, & conuertentur* &c. Quoties, inquit Dauid, non Iſraëlitis modò, ſed etiam externis populis ac Gentibus ad extremos vſque terrarum fines veniet in mentem, (hoc ſignificat quum ait *Reminiſcentur)* quot & quanta miracula meâ cauſſâ Deus ediderit, tum verò ad Deum ſeſe conuertent, ipſúmque venient adoratum. Senſus eſſe poteſt quaſi dicat, Tunc non E Iſraëlitæ modò, ſed etiam omnes populi, qui vſpiam ſunt, quum acceperint quid meâ cauſsâ fecerit Deus, memores erunt Dei, (hoc ſignificauit verbo *reminiſcentur,)* & ad ipſum quem obliti fuerant, pro Deo ſaxa & ligna colendo, *reuertentur*, (יָשׁוּבוּ *iaſchuuu*, hoc ſignificare palàm eſt) ciúique numen adorabunt. Non abſurda mehercule ſententia: etſi prior ſimplex eſt magis. Sed quomodò, dicet aliquis, dici poſſunt Gentes recordari Dei, quem nunquam antea nouerunt? Imò nulla gens ac natio tam

Digitized by Google

barbara aut fera, quæ Deum aliquando non nouerit, antequam naturæ lumen, quod ad cognoſcendum Deum ſufficit, Idololatriæ tenebris eſſet obſcuratum: ita vt Gẽtes idolis addictæ, quæ agnoſcere Deum incipiũt, dici poſſint Dei reminiſci ac recordari. Verum quidem eſt hæc ad tempora Dauidis quodammodo pertinere, cùm de Dauide ſcriptum legatur 1. Paral. 14. 17. *Diuulgatúmque eſt nomen Dauid in vniuerſis regionibus, & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes Gentes.* At tandem vt verum ſit ad Gentes Iſraëliticæ terrę vicinas Dauidis famam perueniſſe, imò & ad longinquas etiam, nullibi tamen legimus ad religionem & veri Dei cultum idcirco adductas. Fatendum igitur eſt in Dauide haud perfectè & ſolidè impletum eſſe quod hîc dicitur, ſed in Chriſto ſolùm, de quo intelligendum illud Eſ. 49. 6. quod ad hunc verſum optimè reſpondet, *Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces* (ex Hebræo vertendum *deſertos*, in Græco διασποράν) *Iſraël conuertendas: ecce dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terrę.* Plura alia de Gentium vocatione per Chriſtum apud Prophetas extant teſtimonia, quibus nihil neceſſe eſt paginam implere, cùm res nota ſit. *Reminiſcentur* miraculorum eius, (hoc ſupplet Chald.) vel Dei. *Adorabunt in conſpectu tuo*, prop. *ad faciem tuam*, hoc eſt, te adorabunt. Græcus & Lat. correxerunt enallagen, vertendo *in conſpectu eius.*

29 *Quoniam Domini (eſt) regnum*, &c. Senſus, Quum à Saulis tyrannide fuero liberatus, tunc omnes Gentes, vel ſaltem aliqui ex omnibus Gentibus, Deum colent atque adorabunt, quoniam tunc demum cognoſcent Deum, cuius ope tam miraculosè ſeruatus fuero, ipſum illum Deum eſſe, qui omnibus imperet, & Gentibus vniuerſis latè dominetur. Ex eo quòd hîc dicitur Domini eſſe regnum, manifeſtum fit reges Dei ſolùm eſſe miniſtros, docentúrque reges ac principes ſe pro Dei miniſtris gerere. Quàm commodè quod dicitur in hoc verſu, ad Chriſti tempora referri poſſit, docet Zacharias propheta, cap. 14. 9. dum ait, *Et erit Dominus rex ſuper omnem terram: in die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum*, hoc eſt, Tunc palàm fiet Deum omnium Gentium eſſe regem: túncque ſolus Dominus, euerſâ Idololatriâ, pro Deo coletur, iuxta illud eiuſdem Prophetæ, cap. 13. 2. *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, Diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà*: &c.

30 *Manducauerunt*, &c. Præterita, etiam in Hebræo, pro futuris, vt ſæpiſſimè in prophetiis, ad maiorem certitudinem deſignãdam, quaſi iam res eueniſſet. *Manducauerunt* igitur pro manducabunt. Senſus hîc idem eſt, atque verſu 27. *Pingues terræ* appellat reges & principes. Verſu 27. dixerat, *Edent manſueti*, iuxta alios *pauperes*, ſeu *afflicti*: nunc dicit, *omnes pingues terræ.* *Procident* ſeu *incuruabunt ſe omnes qui deſcendunt in terram*, ad verb. *omnes deſcenſores pulueris*; quod Chaldæus interpretatur *omnes deſcendentes in ſepulchrum.* Sic ſuprà, verſu 6. dicit *puluerem mortis* pro ſepulchro. Ita pſ. 143. 7. *deſcendentes in foueam*: ad verb. *deſcenſores foueæ.* Sic aliàs ſæpe. Periphraſticè autem ſic homines hoc loco, meo quidem iudicio, appellat, (ſicut nos *mortales* dicimus) ex illo Gen. 3. 19. *puluis es, & in puluerẽ reuertèris.* *Et (qui) animam ſuam nõ viuificat.* Altera hominis periphraſis, qui à morte ſibi cauere non poteſt, *nec animam ſuam viuificare*, hoc eſt, vitam perpetuò conſeruare. Hîc autem *anima* pro vita appellatur: eodémque modo dicitur hoc loco *anima non viuificari*, quo mori, Iob. 36. 14. *Morietur in adoleſcentia anima eorum, & vita eorum inter effœminatos* ſeu cinædos. Sunt qui hoc loco Iob *animam* pro *perſona* interpretentur, quo modo aliàs accipitur. Sed quo modo ſit ibi accipiendum vocabulum *animæ*, indicat poſterius illud membrũ, *& vita eorum* &c. præſertim cùm ſæpe in ſacris litteris *anima* pro vita accipiatur. Quãquam non repugno, ſi vis cùm hîc, tum etiam Iob loco citato *animam* pro *perſona* ſumere, & interpretari *animam ſuam*, id eſt, ſe vel perſonam ſuam.

31 *Semen* &c. hoc eſt, poſteri, vt aliàs ſæpe. *Annumerabitur Domino* &c. id eſt, ſemen illud in Dei familiâ & gente perpetuum cenſebitur. *In generationem*, hoc eſt, in æternũ. Sic ſæpe, *in generationem & generationem.* Significat Chriſti Eccleſiam fore æternam.

32 *Venient*, &c. Naſcentur qui prædicent poſteris Dei beneficentiã: *iuſtitia* enim *Dei* appellatur ferè ſemper in ſacris litteris pro eius bonitate, & beneficẽtia: ſeueritas enim, quæ miſericordię opponitur, non tam iuſtitia Dei, quàm iudicium nominatur. De Dauide accipiendo per *iuſtitiam Dei* intelligẽda illa liberatio, quâ Deus, Dauidem à vi & iniuria improborum ſeruando, iuſtum ſe probauit. *Populo genito* ex ſe, hoc eſt, ſuis filiis. Chald. habet *populo ſuo, qui naſcetur*, ſeu, *naſcituro.* Sic Latinus poſt Græcum, *populo qui naſcetur.* Nihil refert ad ſenſum. *Quia fecit* ſcilicet Dominus *iuſtitiam*, hoc eſt, ſalutem ac miſericordiam dudum hominibus promiſſam. Poteſt hoc tamen ad Dauidem reſtringi.

Digitized by Google

PSALMVS

XXII. XXIII.

VERSIO

VETVS.

Pſalmus Dauid.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.
2 *Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.*
3 *Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ, propter nomen ſuum.*

4 *Nam, etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.*
5 *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.*
6 *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me.*
7 *Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus eſt?*
8 *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ:*
9 *Et vt inhabitem in Domo Domini, in longitudinem dierum.*

NOVA.

Pſalmus Dauid.

Dominus [a] paſtor meus: [b] nihil mihi deerit. a vel *paſcit me:* b ad verb. *non indigebo.*
2 In [c] tuguriis herbidis facit me accubare: ad aquas [d] quietas deducit me. c *paſcuis* d heb. *quietum.*
3 Animam meam leniter ducit: deducit me per ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum.
4 Etſi ambulauero in valle vmbræ mortis, nõ timebo [e] mala, quoniam tu mecum (es:) virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. e heb. *malum,*

5 Paras in conſpectu meo menſam, ex aduerſo eorum qui tribulant me: impinguas in oleo caput meum; calix meus [f] inebrians. f *exuberãs.*

6 Profectò bonitas & miſericordia perſequentur me omnibus diebus vitæ meæ: [g] vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum. g vel *& inhabitabo.*

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *Pſalmus hic excellentiſſimus eſt, in quo Dauid oui ſe comparat, Deum verò paſtori: quæ ſimilitudo in ore Dauidis olim paſtoris bella eſt. Altera etiam ſimilitudine hoc carmen exornat, nimirum hoſpitis conuiuam ſeu viatorem liberaliter excipientis, cum quo Deum comparat. Vtràque autem ſimilitudine vult oſtendere, quàm Deo ſit curæ. Apparet omnino hunc pſalmum à Dauide conſcriptum, quum deuictis hoſtibus, & conſtituto regno, otio & pace læta frueretur: tota enim oratio huius pſalmi videtur ex animo pacato & tranquillo proficiſci. Non hìc, vt ſolet, deplorat Dauid ſuas calamitates: tantùm gratias agit Deo, in eòque ſuauiter ſeſe oblectat, quem vnum agnoſcit proſperi ſtatus authorem, eundémque conſeruatorem ſperat.*

1 *Dominus paſtor meus:* &c. Summa totius carminis eſt in hoc verſu. Effundit enim ſemel ex ingenti animi affectu illud A omne quod prolixiùs dicturus eſt, & ſuo ac poëtico more poſtea amplificaturus. Certò ſcio, inquit, nihil mihi defuturum vn-

quam, qui paſtorem habeam Deum. Hoc autem affirmat expertus, qui hactenus Deũ erga ſe eodem affectum animo ſenſerat, quo paſtor affectus eſt erga oues. Huc pertinet illud Eſ. 40. 11. *Sicut paſtor, gregem ſuum paſcet* Dominus; *in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit* ſeu *portabit: fœtas leniter deducet. Paſtor meus.* Græc. ποιμαίνει με, Lat. *regit me.*

2 *In tuguriis herbidis* &c. Boni paſtoris eſt idoneis temporibus ad præſepia, ad paſcua, ad aquam, ad exercitationem pecus ducere. His muneribus fungi Deum erga ſe confirmat Dauid in his duobus verſibus, quò probet ſcilicet, quod dixit, Deum eſſe paſtorem ſuum. Expendamus nunc ſingula. *In tuguriis herbidis*, ad verb. *herbæ* ſeu *germinis, facit me accubare.* Reſpicere videtur præſertim ad accubationem ouium meridianam, quę in calidis maximè regionibus, qualis eſt Iudæa, ad declinandum ſolis ęſtum fit apud tabernacula & ſepta non longè à paſcuis, imò in ipſis paſcuis, quæ ſepta ſeu tabernacula hîc *tuguria herbida* idcirco vocat, quaſi dicat tuguria in ipſis paſcuis, vel non longè à paſcuis fixa. Quum autem hoc dicit Dauid, ſignificare vult ſibi optimè à Deo eſſe proſpectum, non modò de iis quæ ad victum pertinent, ſed etiam aduersùs omnia vitæ incommoda. Porrò *accubandi* verbum in notata ſignificatione legitur Cant. 1. 7. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi accubare facias in meridie.* Necnon Ezech. 34. 15. *Ego paſcam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Ad aquas quietas*, ad verb. *quietum* in gignendi caſu, more hebræo, nec ſine emphaſi, *deducit me*, ſicuti prudens paſtor ſolet oues aquatum ducere ad aquas placidas, ac leniter fluentes, non ad rapidos torrentes, qui & ſuo ſtrepitu terrerent ouiculas, & ſua velocitate abriperẽt. Hoc autem quum ait Dauid, ſignificare vult clementer ſe à Deo tractari, atque in ærumnis & calamitatibus ſe verbo Dei, quaſi potu, ſuauiter refici ac recreari.

3 *Animam meam*, id eſt, me, *leniter ducit.* Ezra & Kimhi verbum יְשׁוֹבֵב *ieſchoueu*, exponunt *leniter ducit*, quemadmodum ſolet bonus paſtor oues ſuas, ne fatigentur. *Deducit per ſemitas iuſtitiæ.* Sicut bonus paſtor oues non ducit per collium, aut vallium præcipites & tortuoſas ſemitas, ſed per planas & expeditas vias, ſic me Deus inoffenſa ac ſtabili via ducit: atque hoc non propter me, qui indignus ſum, ſed *propter nomen ſuum*, quò ipſum nimirum toto orbe celebretur. Sic ferè Ezra & Kimhi. *Leniter ducit.* Græc. & Lat. *conuertit*: ac ſic ad mentem Raſi verti poteſt, qui ita expli-

A cat, animum miſeriis atque exilij malis defeſſum ad priſtinum ſtatum reuocauit.

4 *Etſi ambulauero* &c. Etiã in mediis periculis nihil timebo. *Vallẽ vmbræ mortis* ſepulchrũ nominat, quod aliàs *terra tenebrarum & vmbræ mortis* appellatur, Iob. 10. verſ. 21. & 22. per ſepulchrum autem ingentia notat pericula. Sic ferè Kimhi. *In valle.* Græc. & Latinus, *in medio*, qui videntur pro גֵּיא *ghe*, legiſſe גּוֹא *gho*, quod Chaldaicè *medium* ſignificat, vel ad ſenſum tantùm reſpexerunt. *Virga tua*, &c. Pergit in inſtituta ſimilitudine: paſtor enim virga B oues regit, eadémque feras depellit. Per *virgam* autem & *baculum* caſtigationes, vel legem ſeu doctrinam Dei intellige. Nota porrò in his verſibus ſubitam ad Deum apoſtrophen.

5 *Paras* &c. Nunc alteram ſimilitudinem aggreditur hoſpitis lautè conuiuam excipientis. *Ex aduerſo eorum qui tribulant me*, quos hæc mea vrit fœlicitas. *Impinguas* &c. Hoc dicitur ex more iſtius gentis. Solebant enim conuiuas, quos lautè excipiebant, balſamo, vel aliis vnguentis fragrantibus per-C fundere. Obſeruat Ezra ad hunc verſum, hunc pſalmum intelligendum eſſe de ſeruis Dei, qui mundana relinquentes, & ſuo contenti, panem & aquam loco omnium deliciarum, & voluptatum habent, ſolliciti tantùm de æternis deliciis, perituras, & breues huius mundi delicias nihil æſtimantes. *Calix meus* &c. Senſus eſt, das potum pleno calice, ac liberaliter. Latinus habet hîc, *calix meus inebrians quàm præclarus eſt?* Legit enim primas voces ſequentis verſus אַךְ טוֹב *ach tou*, quæ ſignificare poſſunt, D *profectò bonus eſt*, ſimul cum his *calix meus inebrians*; ac ſic optimè ſenſum expreſſit, *calix meus inebrians quàm præclarus eſt?* In Græco hodie eſt ποτήριόν σου. Sed D. Hieron. in epiſt. ad Suniam & Fretellam affirmat Hebræos, Septuaginta, & omnes interpretes habere *calix meus*: & in κοινῇ errorem obtinuiſſe *calix tuus.*

6 *Profectò bonitas, & miſericordia* ſupple ex Græco, & Latino *tua.* Quod hactenus dixit figuratè, nunc ſimpliciter, & ſum-E matim explicat. *Profectò*, inquit, *bonitas & miſericordia (tua) perſequentur me* &c. hoc eſt, Nunquam me tua deſtituet benignitas, quin me ad extremum vſque vitæ ſpiritum proſequetur. Magno pondere dixit *perſequentur*, & quidem *omnibus diebus vitæ meæ. Vt inhabitem in domo Domini* &c. Explicat poſteriore hoc membro de qua benignitate præſertim intelligat, quòd nimirum per Dei gratiam ac miſericordiam in Eccleſia, quam *domum Domini* appellat, ſemper manſurus ſit. Non poſſum iis

Digitized by Google

aſſentiri, qui *per domum Domini* cœleſte domicilium intelligunt: quòd ſequatur *in longitudinem dierum*, hoc eſt, longos ac multos dies tantùm, quod non ſufficeret ad exprimendam vitam illam æternam, quam beati cum Deo & Angelis victuri ſunt. *Vt inhabitem*, ad verb. *& inhabitabo*, quod reſolui poteſt ſic, *vt inhabitem.* Nam ו *ve*, id eſt, *&*, ab interpretibus ſic ſæpe exponitur ac reſoluitur. Potes tamen legere, *& inhabitabo*, citra detrimentum ſenſus. Hebraicè eſt וְשַׁבְתִּי *veſchauti* quod hîc, vt puto, eſt pro וְיָשַׁבְתִּי B *viiaſchauti*, eliſa prima radicali, ſicuti רד *radh*, eſt pro יָרַד *iaradh*, *deſcendit*, Iud.19. 11. Accedit quòd verba quieſcentia primâ, & ſecundâ promiſcuè interdum vſurpãtur, ſicuti norunt periti linguæ hebraicæ: ex grat. צוּר *tſur*, habet ſignificationem יָצַר *iatſar*, pſal. 139.5. & יָרַע *iara*, & רוּעַ *rua*, confunduntur. Alij vertunt *&* (vel *vt*) *requieſcam*, eodem ſenſu. Kimhi hunc verſum accipit tãquam precationem, ac ſic explicat, Agnoſco ego quæ tu beneficia in me contuleris hactenus, veruntamen à te peto, vt bonitas, ac miſericordia tua perſequantur me quandiu viuam, nec bella, aliáque ſecularia negotia diſtineant me: quò ſcilicet diu poſſim quieſcere in domo Domini, ibíque in otio, & ſecurus in tuum cultum incumbere. Sic ferè ille, qui putat verbum hebraicum, de quo diximus, ſignificare *& requieſcam*: quanquam exiſtimat etiam accipi poſſe, vt ſonat, pro *& reuertar*, quaſi vellet dicere, ſe iterum atque iterum domum Domini aditurum, eóque ſubinde rediturum. Per *Domum Domini* iſte intelligit locum Arcæ, & τὸ *in longitudinem dierum* idem eſſe dicit ac τὸ *omnibus diebus vitæ meæ.* Verùm, inquit, precatur vt detur bene diu viuere, & humanæ vitæ ſpatium emetiri, quum ait *in longitudinem dierum.* Ad huius ergo mentem vertendum eſſet, *Veruntamen bonitas & miſericordia* (*tua*) *perſequantur me omnibus diebus vitæ meæ, &* (pro *vt*) *requieſcam in domo Domini* &c. vel *& reuertar in domum Domini* &c.

PSALMVS

XXIII. XXIV.

VERSIO

VETVS.	NOVA.
PRima ſabbati, Pſalmus Dauid. *Domini eſt terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.*	DAuidis Pſalmus. Domini (eſt) terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo.
2 *Quia ipſe ſuper maria fundauit eum: & ſuper flumina præparauit eum.*	2 Quia ipſe ſuper maria fundauit [a] eam, & ſuper flumina ſtabiliuit [b] eam. — a vel *eum.* b vel *eum.*
3 *Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius?*	3 Quis aſcendet in montem Domini, & quis ſtabit in loco [c] ſancto eius? — c heb. *ſanctitatis eius?*
4 *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.*	4 Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vanum animam ſuam, nec iurauit in dolo.
5 *Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.*	5 Accipiet benedictionem à Domino, & iuſtitiam à Deo ſalutis ſuæ.

Digitized by Google

6 Hæc (eſt) generatio quærentium eum: quærentium faciem tuam, Iacob.

7 Attollite, ô portæ, capita veſtra,
d ſeculi: & eleuamini portæ [d] æternæ: & introibit Rex gloriæ.

8 Quis (eſt) iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.

9 Attollite, ô portæ, capita veſtra,
e ad verb. & attollite portæ &c. [e] attollite, inquam, portæ [f] æternæ: & introibit Rex gloriæ.
f ſeculi: 10 Quis (eſt) iſte Rex gloriç? Dominus exercituum: ipſe (eſt) Rex gloriæ.

6 *Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.*

7 *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.*

8 *Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.*

9 *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.*

10 *Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.*

COMMENTARIVS.

Argumētum. *PVtant Ezra, Kimhi, & alij hunc pſalmum à Dauide eſſe compoſitum, poſtquam ei locus fuiſſet reuelatus, in quo futurum eſſet templum. Vide 1. Paral. 22. 1. Scripſit hunc pſalmum, inquit Kimhi, qui decantaretur, quando Arca in Sanctum ſanctorum eſſet inferenda. Ita ſenſerunt & veteres Hebræorum doctores, vt obſeruat Ezra ad verſum 7. Quorum ſententiæ lubens ſubſcribo, quòd videam omnia huius pſalmi verba, ac præſertim verſum 7. & qui ſequuntur, in hoc argumentum facilè conuenire. Non nego tamen (quis enim neget, niſi prorſus à Chriſto alienus?) altiùs etiam reſpexiſſe in hoc pſalmo Dauidem, ac ſimul de Chriſto, cuius vetus illa Arca vmbra veluti quædam erat, cogitaſſe, ita vt hic pſalmus de Chriſto magis eiúſque Eccleſia, quàm de Arca, ac Salomonis templo, quæ illorum tantùm vmbræ erant, accipi debeat. Pſalmus hic duas habet partes. In primà docet quales ſe præſtare debeant, qui ſanctiſſimum Domini templum adire, aut Eccleſiæ Chriſti ſe adiungere volunt. In altera ſubitò tranſit ad exhortationem, qua ipſas templi portas per proſopopœiam, aut ipſam Chriſti Eccleſiam compellans, hortatur, illas, vt latè pandantur ingredienti Arcæ, hanc, vt honorificè Chriſtum regem glorioſum excipiat.*

1 *Domini (eſt) terra*, &c. Dicturus Dauid qui ſint peculiariter Dei, præmittit exordij loco generalem hanc theſim, Dei eſſe vniuerſum terrarum orbem, & quicquid eo continetur. Sic Deus ipſe Exo. 19. 5. ad Iſraëlitas, *eritis mihi*, ait, *in peculium: mea eſt enim omnis terra.* *Domini (eſt) terra*, &c. Kimhi obſeruat vocabulo הָאָרֶץ *haarets*, terram vniuerſam ſignificari, (nimirum tam habitabilem quàm inhabitabilem) vt Gen. 1. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*: vocabulo autem תֵּבֵל *teuel*, (quod *orbis* redditum eſt ac reddi ſolet) terram habitabilem: ideóque cum priore dici *& plenitudo eius*, (hoc eſt, quicquid ea continetur) cum poſteriore verò, *& qui habitant in eo.* Raſi per *terram* intelligit terram Iſraël, per *orbem* reliquas terras. Sed hoc ſubtilius.

A

2 *Quia ipſe ſuper maria* &c. Ratio, quâ probat iure ſibi vendicare Deum vniuerſam terram tanquam dominum, ſiquidem ſolus eius autor ſit. Sed cur terra ſuper maria dicitur fundata, & ſuper flumina ſtabilita? Reſpondeo, quòd depulſis in ſuos alueos maribus & fluminibus, terra, etſi grauius elemētum, ad commodam hominum, cæterarúmque animantium habitationem, ſupra aquas emineat. Non idcirco terra ſuper maria dicitur fundata, quòd maria terræ ſubiaceant, (potiùs enim terra maribus & aquis ſubiacet veluti fundamentum, iuxta illud pſ. 102. 26. *Initio terram fundaſti*) ſed quòd terra illa, quæ oculis patet, altior ſit mari, mare autem & flumina infra illam ſubſidant, ex quo *dixit Deus, Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum, & appareat arida.* Gen. 1. 9. Ezra à nobis facit, qui ſic habet ad hunc verſum, Terra naturâ ſuâ creata fuerat, vt eſſet ſub aquis: at

B

Dei vo-

Digitized by Google

Dei voluntate factum, vt partim exareſceret: hæcque pars eſt quæ retecta ac nudata cernitur. Raſi qui præcedentis verſiculi prius membrum ad terram Iſraël reſtringit, à difficultate, quam prima fronte videtur obiicere hic locus, facilè ſe expedit, docendo, ſeptem eſſe maria quæ ambiant terram Iſraël, necnon quatuor flumina: ideóque illam ſuper maria & flumina dici fundatam. Annotat Ezra R. Moſem exiſtimare עַל *al*, hîc non ſignificare *ſuper*, ſed *cum*, vt Exo. 35. 22. necnon Balaami filium cenſere hanc huius verſus eſſe ſententiam, non longè à flumine aut mari poſitam eſſe terram. Sed hæ interpretationes ſunt coactæ, & violentæ.

3 *Quis aſcendet* &c. Sic coniunge cum præcedentibus, Etſi eſt Dei totus orbis, atque adeo omnes homines, non tamen omnes ex æquo ad Deum pertinent, nec digni ſunt omnes qui ad Deum accedant, aut eius ſanctiſſimum templum adeant; neque in eius familia aut Eccleſia omnes cenſeri debent: ſed tantùm *Innocens manibus* &c.

Quis aſcendet &c. quaſi dicat, Sed *quis aſcendet* &c. *In montem Domini.* Per *montem Domini* intelligit montem illum, ſiue Moriam, vt quidem cenſent Hebræi, ſiue alium, in quo extruendum erat templum: per *locum* verò *ſanctum* (heb. *ſanctitatis*) *eius*, ipſum templum. Per hæc quoque Eccleſia Chriſti optimè ſignificatur, ſiquidem illa huius vmbra & figura eſſent.

4 *Innocens manibus*, &c. Breuis reſponſio ad propoſitam quæſtionem, quâ non quales ſint, qui ſunt de Eccleſia, aut qui templum Domini adeunt, ſed quales eſſe debeant, ſignificat: multi enim ſunt de Eccleſia numero, non merito, vt loquuntur Theologi. Hoc autem verſu tria cōplectitur, vt Kimhi obſeruat, *opus*, ſcilicet externū, quod per *manus* ſignificatur, *cogitationē*, quæ per *cor* intelligi debet, & *ſermonem*; in quibus tota hominis perfectio poſita eſt: ſi nimirum fuerit innocens in operibus, mundus in cogitationibus, fidelis denique in verbis ac ſermone. *Qui non accepit in vanum animam ſuam*, hoc eſt, vt ſequens membrum, quod eſt exegeſis præcedentis, oſtendit, falſum non iurat per animam ſuam: ſequitur enim, *nec iurat in dolo*, ſed in veritate & iuſtitia: quod quidem iuramentum non licitum eſt modò, ſed præceptum: ſcriptum eſt enim Deuter. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſeruies, ac per nomen illius iurabis*: quum ſcilicet Deum timueris, illíque ſeruieris, tunc per nomen illius iurabis. Sic ferè Kimhi, qui tamen & ipſe aliam expoſitionem

A adfert, aliter legendo ex Maſſoretarum decretis, qui cùm reperiſſent in textu נפשו, ſic tamen notarunt נַפְשִׁי, indicantes variam lectionem, ac volentes legi נַפְשִׁי *naphſchi*, id eſt, *animam meam*. Legit igitur & ipſe, *qui non accepit in vanum animam meam*, hoc eſt, nomen meum, quaſi Deus ſit, qui loquatur. Citat ſimile ex Amos 6. 8. *Iurauit Dominus Deus in anima ſua* ſeu *per animam ſuam*, hoc eſt, per ſemetipſum, ſeu per ſuam Maieſtatem. Simile eſt quoque Ier. 51. 14. Sic Raſi, Ezra, & alij legerunt, hodiéque legunt Iudæi. Chaldæus Maſſo-
B retis antiquior legit נַפְשׁוֹ *naphſcho*, habet enim *qui non iurat falsò ad obſtringendam animam ſuam.* Elias Leuita Iudæus alicubi notat errare eos qui legunt נַפְשִׁי *naphſchi*, id eſt, *animam meam*. In margine Bibliorum rabbinicorum ſcribitur ad hāc vocem, *Mirum quòd in Maſſorâ magnâ non annumeratur iis quæ ſcribuntur in fine per vau, leguntur per iod.* Scio hoc nihil referre ad ſenſum: (etſi non video cur inducatur Deus loquens in hoc verſu, cùm contextus id non patiatur) ſed tamen hîc conſultò prolixior eſſe volui, vt omnes intelligant non eodem
C modo ab omnibus Iudæis legi, nec ſatis apud illos de ſcripturâ interdum conſtare, cùm hîc inter ſe pugnent, vt oſtendi: atque ideo non debere nos in illorum hodiernam ſcripturam omnino iurare: præſertim ſi cōmodior aliquis ſenſus, & noſtræ conuenientior religioni, immutato fortè aliquo punctulo, ſeſe vltro offerat: quanquam id perparcè, & reſtrictè admodum faciendum puto, vt Hebræo textui cum punctis etiam, quæ nunc ſunt, manus adferamus. *Nec iurauit in dolo.* Addiderunt Græc. & Lat.
D rei magis explicandæ gratia, *proximo ſuo.* Quis per *proximum* intelligi debeat, vide ad verſ. 3. pſal. 15.

5 *Benedictionem*, ſpiritualem ſcilicet, id eſt, gratiam. Nam vt temporalis Dei benedictio terram ad fructum, ita eiuſdem gratia animam fœcundat ad æternam vitam: gratia enim eſt ſemen gloriæ, & *gratia Dei vita æterna*, vt loquitur Apoſtolus ad Rom. 6. quò pertinet quod mox ſequitur, *& iuſtitiam à Deo* &c. *Iuſtitiam*, id eſt, mercedem debitam ex iuſtitia iis qui gra-
E tiæ Dei obtemperantes piè & iuſtè vixerūt: iuxta illud Apoſt. 2. ad Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex. Iuſtitia* ergo hoc loco pro æterna gloria ac ſalute vſurpatur: atque idcirco non ſimpliciter dicitur *à Deo*, ſed additur *ſalutis ſuæ*. Hoc quoque ſignificare poteſt *benedictio*, quo ſenſu Chriſtus ait Matth. 25. *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione*

Digitized by Google

mundi. Et D. Petrus 1ª.3°. *in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poßideatis.* Lat. fortè poſuit *miſericordiam* pro *iuſtitia*, quoniam iuſtitia, quæ nobis à Deo fit, non eſt mera iuſtitia, ſed miſericordia. Græc. habet ἐλεημοσύνην. *Iuſtitia* hîc accipi poteſt, vt ſæpe in ſacris litteris, pro ea bonitate, ac miſericordia, quâ Deus ex quadam iuſtitia vtitur in eos qui rectè viuunt, quod ſignificabit etiam *benedictio.* Hoc ſimplicius eſt: ac ſic, *à Deò ſalutis ſuæ*, ſimpliciter accipiendum, quaſi dicat, à Deo, qui ſollicitus ſemper erit de eius ſalute, & temporali & ſpirituali.

6 *Quærentium faciem tuam.* Subita eſt Apoſtrophe ad Deum. *Iacob.* Sup. ô Deus *Iacob*: & eſſe qui illud ſuppleant, obſeruat Ezra, qui tamen dicit non eſſe neceſſe. Refer potiùs *Iacob* ad τὸ *Hæc (eſt) generatio*, quaſi dicat, hæc, inquam, generatio Iacob, hoc eſt, hi veri ſunt Iacobæi, ac Iſraëlitæ. *Iacob* hîc ſumitur quo modo Eſ. 44. 2. *Noli timere ſerue meus Iacob*, id eſt, Nolite timere ſerui mei Iſraëlitæ. Prius non eſt incommodum: & bene Græc. & Lat. corrigendo apoſtrophen verterunt *quærentium faciem Dei Iacob.* Nota non dicere in hoc verſu, Hi ſunt quærentes eum, ſimpliciter, ſed, *Hæc (eſt) generatio quærentium eum*, credo, vt iis occurreret, qui, quòd eſſent de ſemine Abrahæ ſecundùm carnem, ſibi perſuadebant, & vulgò gloriabantur ſe eſſe generationem ſanctam, cùm interim eſſent generatio adulterina: quaſi diceret, Hæc vera generatio quærentium Deum, non illa quæ præter natales & carnem nihil habet ſanctorum illorum Patrum. Non omnes qui ex Iſraël ſunt, Iſraëlitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij Abrahæ cenſendi, niſi maiorum mores ac pietatem referant, eorúmque exempla imitentur.

Ad Rom. 9.

7 *Attollite, ò portæ*, &c. Subita adhortatio per proſopopœiam ad portas templi, vt ſuperliminaria attollant, & ampliores ſe præbeant, vel, quod eódem redibit, vt quàm altè ac latè patent, totas ſe pandant ingredienti Arcæ, æterni Dei domicilio. Sed hæc adhortatio, vt dictum eſt in argumento, de Chriſto magis, quàm de Arca Chriſti figurâ accipienda eſt. *Portæ æternæ*, ad verb. *æternitatis*, ſeu *ſeculi.* Ante extructum templum nullam certam ſedem habuerat Arca, quæ ſubinde ex vno loco in alterum transferebatur, ex Deſerto in Galgala, ex Galgala in Silo, ex Silo in terram Palæſtinorum, ex terra Palæſtinorũ in Beth-ſames, ex Beth-ſames in Cariathiarim, ex Cariathiarim in domũ Obed-edom, ex domo Obed-edom in Ciuitatẽ Dauidis,

A ex Ciuitate Dauidis denique in templum Salomonis perpetuum & fixum illius domicilium: quo ſenſu Salomon dicebat 1. Reg. 8. 13. *Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum: locum vt habites tu in ſecula*: in Vulg. *firmiſſimum ſolium tuum in ſempiternum.* Idcirco portas eius templi *portas ſeculi* ſeu *æternas* vocat Dauid, quæ tamen niſi quatenus Chriſti eccleſiam tunc repræſentabant, ac ſic quodammodò in Chriſti Eccleſia, quæ in illarum locum ſucceſſit, adhuc durant, æternæ dici non
B poſſunt: iam enim à multis ſeculis cum templo ſunt euerſæ: at *portæ ſeculi* dici poſſunt, quòd diu ac longo tempore illæ cum templo durauerint. Vox autem hebraica עוֹלָם *olam*, & *æternum* & *longum tempus* ſeu *ſeculum* ſignificat. *Rex gloriæ*, hoc eſt, Deus, qui Arcæ inter duos Cherubim peculiari cum gloria, ac maieſtate inſidebat: inde enim dabat oracula, & ſuam potentiam oſtendebat. Cæterùm non eſt tacendum pro, *Attollite, ò portæ, capita veſtra*, reddidiſſe Græcum
C Ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν, Latinum, *Attollite portas principes veſtras.* Vnde hoc? Niſi quia רָאשֵׁיכֶם *raſche*, quod *capita* ſignificat, iudicarunt metaphoricè eſſe accipiendum pro *principibus*, vt aliàs interdum, & affixum illi pronomen כֶם *chem*, ad *portas*, quod in accuſandi caſu ſibi viſi ſunt commodè exprimere poſſe, tranſtulerunt; quod an liceat, diuellere ſcilicet pronomen à nomine cui eſt annexum, facilè quiuis iudicabit, modò ne imperitus omnino linguæ Hebraicæ. Ex Græco οἱ ἄρχοντες ὑμῶν verti
D ti poſſit *principes veſtri.* Eugubinus porrò minimè dubitat affirmare hunc verſum nõ rectè conuerſum à Græcis Interpretibus, (Sept. intelligit) ob eámque cauſſam obſcurum. Certè D. Hieron. vertit, *Leuate portæ capita veſtra.* Syrus quoque, quem nuper Latinum dedit Gabriel Sionita, Collega & ſummus amicus noſter, *Tollite portæ capita veſtra.* Chald. interpretatus eſt, *Attollite portæ domus Sanctuarij capita veſtra.* Aquila vertit Ἄρατε πύλαι κεφαλὰς
E ὑμῶν. Longum eſſet eorum catalogum texere, qui ſic verterunt. Omnes enim præter Græcum & Latinum ex Hebrço ſic reddidere. Excipio tamen Sýmm. qui vertit Μετάβατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν. Genebrardus ſubtilis indagaior figurarum apud Septuaginta reperit hypallagen, cuius beneficio, ſi Deo placet, illud quod eſt in Græco & Latino, cum Hebræo conueniat. Mirum profectò hominis ingenium, qui tam diuerſa nouit conciliare. Card. Bellarminum adhærere hac in parte textui Hebræo palàm fiet iis qui eius commentarios

Digitized by Google

adire volent. Nititur tamen defendere Septuaginta ſuos, ſed quàm bene, vide apud illum.

8 *Quis (eſt) iſte* &c. Si quærat aliquis, *Quis (eſt) iſte* &c. Vel ipſæ portæ per proſopopœiam id quærunt. *Dominus fortis*, &c. Commoda epitheta, & ad rem. Nam quando Arca in bellum deferebatur, victoriam Iſraëlitæ ſolebant reportare. Idcirco Hebræorum maiores natu poſt inſignem cladem à Philiſtæis acceptam ſic interſe, 1. Sam. 4. 3. *Quare percuſſit nos Dominus hodie coram Philiſtiim? Afferamus (Accipiamus) ad nos è Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, & ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum.* Quid Hebræos dico? Imò tunc Philiſtæi, quum audiſſent Arcam Domini veniſſe in caſtra, (miſerant enim Hebræi in vrbem Silo, qui Arcam in aciem adferrent,) *Timuerunt dicentes, Venit Deus in caſtra: & ingemuerunt dicentes, Væ nobis: quis nos ſeruabit de manu Deorum fortium iſtorum? hi ſunt Dij qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto.* Vide 1. Sam. 4.

9 *Attollite, ô portæ*, &c. Intercalaris verſus, quem Ezra putat pertinere ad tempus Redemptoris, (hoc eſt, Meſſiæ,) quando gloria (id eſt, Deus) reuertetur: ſiquidem non fuit in templo ſecundo, eo ſcilicet quod poſt captiuitatem Babylonicam fuit extructum, & durauit ad tempora vſque Veſpaſiani. Nos id quoque putamus, ſed Chriſtum ipſum eſſe illum Deum gloriæ credimus, ad quem honorificè excipiendum eccleſiam hortatur. *Attollite, inquam*, ad verb. *& attollite*, repete *capita veſtra*. Chaldæus, Græcus, & Latinus habent *eleuamini*, eodem ſenſu.

10 *Quis eſt iſte* &c. Nota cùm verſu octauo tantum ſit מִי־זֶה *mi-ze*, id eſt, *Quis iſte*, eſſe hîc מִי הוּא זֶה *mi hu ze*, id eſt ad verb. *Quis ille iſte*, quod maiorem ſanè habet emphaſim, & noui aliquid non antea viſum aut auditum ſignificat, quale in Chriſto homine Deo cernere eſt. Kimhi, qui hos duos poſtremos verſus ad Arcam quoque vult pertinere, obſeruat in hoc verſu omitti illud verſus octaui, *potens in prælio*, quòd ex quo Arca in templum fuit illata, nunquam poſtea in bellum fuerit tranſuecta, vt antea. Meliùs Ezra, qui omiſſum illud putat, quòd poſt natum Meſſiam, ad cuius tempus refert hos duos verſus, *conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà*

A *ad prælium*, vt eſt Eſaiæ 2. 4. Nec obſtat quòd dicatur *Dominus exercituum*: nam *Dominus exercituum* propriè ſignificat Dominum cœli & terræ, & *omnis* (ſic enim dicitur Gen. 2. 1.) *exercitus eorum*, hoc eſt, eorum omnium quæ cœlo terráve continentur: non verò tantùm Dominum copiarum militarium: neque enim ſolùm copiæ & exercitus militares Deo militant, ſed omnia tam quæ in cœlo, quàm quæ in terra ſunt, quæ idcirco *exercitus* vocantur. Imò

B Ezra hîc obſeruat Deum appellari *Dominum exercituum* propter exercitum cœli tantùm, (hoc eſt, Angelos,) non propter exercitum Iſraëlitarum, quemadmodum putat Haggaon: dici autem hoc loco *Dominum exercituum*, quòd eius ætatis homines (ſcilicet poſtquam venerit Meſſias) futuri ſint ſicut Angeli Dei. Num bene hoc vltimum, necne, non quæro. Sat mihi eſt, oſtendam ipſum arbitrari *Dominum exercituum* non ſignificare Dominum copiarum

C militarium. Ipſe ad hoc pſalmi 59. 6. *Et tu Domine Deus exercituum*, ſic habet, Tu Deus exercituum ſuperiorum in cœlis, & Deus exercituum inferiorum, hoc eſt, Iſraëlitarum. Idem habet Kimhi ad verſum 9. cap. 1. Eſaiæ. Vides non ſibi conſtare quidem Ezram, qui ad hunc locum negat dici Deum D*ominum exercituum* propter exercitum Iſraëlitarum, vt mox notatum eſt, alibi verò affirmat, ſed non putare tamen D*ominum exercituum* eſſe Dominum copiarum militarium tantùm. Ego ſanè &

D propter angelos, & quotquot ſunt homines in orbe terrarum, imò propter totã rerum creaturam arbitror dici Deum D*ominum exercituum*, ſiquidem omnia Deo, quaſi ſuo duci, militent, & ad eius nutum præſtò adſint: quo ſenſu Sap. 5. 18. dicitur Dominus *armare creaturam ad vltionem inimicorum*: & verſ. 21. *pugnare cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Scio multos accipere D*ominus exercituum*, vt ſonat. Sed, meo iudicio, anguſta eſt nimis hæc ſignificatio, præſertim cùm Deo hoc nomen tribuatur ſæpe, vbi nulla belli mentio, pateátque la-

E tiùs, exempli gratia Malach. 2. 7. vbi Sacerdos *angelus* (*legatus*) D*omini exercituum* eſſe dicitur, & aliàs ſæpe. In hac ſententia fuiſſe D. Iohannem Apoſtolum liquet, qui Apocal. 4. reſpiciens dubio procul ad illud Eſaiæ 6. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum*, vertit *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens*, Græcè ὁ παντοκράτωρ. Dico quod ſentio: nihil definio. Liberum eſto ſuum cuique iudicium.

Digitized by Google

PSALMVS

XXV. XXIV.

VERSIO

NOVA.

DAuid.
Ad te, Domine, leuo
animam meam.
2 Deus meus in te
confido: ne erubeſcam; ne exultent
inimici mei de me.
3 Etiam vniuerſi qui expectant te,
non erubeſcant: erubeſcant [a] iniqua
agentes ſine cauſa.
4 Vias tuas, Domine, demonſtra mi-
hi: ſemitas tuas edoce me.
5 Dirige me in veritate tua, & doce
me: quia tu (es) Deus [b] ſaluator meus,
te expectaui [c] tota die.
6 Reminiſcere miſerationum tua-
rum, Domine, & miſericordiarum
tuarum: quia à ſeculo ſunt.
7 Delicta iuuentutis meæ, & præ-
uaricationes meas ne memineris,
(ſed) ſecundùm miſericordiam tuam
memento mei tu: propter bonitatem
tuam, Domine.
8 Bonus & rectus Dominus: pro-
pter hoc docebit [d] delinquentes [e] in
via.
9 Diriget manſuetos in iudicio, &
docebit [f] mites [g] vias ſuas.
10 Vniuerſæ viæ Domini miſericor-
dia & veritas, cuſtodientibus [h] teſta-
mentum eius, & teſtimonia eius.
11 Propter nomen tuum, Domine,
propitiare [i] peccato meo: [l] multum
enim eſt.
12 Quis (eſt) homo qui timet Do-
minū? docebit eum [m] in via (quam)
[n] elegit.

a heb. *præuaricantes*
b heb. *ſalutis meæ*,
c vel *omni*
d heb. *peccatores*
e *viam*.
f *manſuetos* ſeu *humiles*
g heb. *viā ſuam*.
h heb. *pactum*
i *iniquitati*
l vel *magnum*
m vel *viā*
n ad verb. *eliget*.

VETVS.

*IN finem, Pſalmus
Dauid.
Ad te Domine le-
uaui animam meam:
Deus meus in te confi-
do, non erubeſcam:*
2 *Neque irrideant me inimici mei: ete-
nim vniuerſi, qui ſuſtinent te, non con-
fundentur.*
3 *Confundantur omnes iniqua agentes
ſuperuacuè.*
4 *Vias tuas Domine demonſtra mihi:
& ſemitas tuas edoce me.*
5 *Dirige me in veritate tua, & doce
me: quia tu es Deus ſaluator meus, & te
ſuſtinui tota die.*
6 *Reminiſcere miſerationum tuarum
Domine, & miſericordiarum tuarum,
quæ à ſaculo ſunt.*
7 *Delicta iuuentutis meæ, & ignoran-
tias meas ne memineris.*
8 *Secundùm miſericordiam tuam me-
mento mei tu: propter bonitatem tuam
Domine.*
9 *Dulcis & rectus Dominus: propter
hoc legem dabit delinquentibus in via.*
10 *Diriget manſuetos in iudicio: doce-
bit mites vias ſuas.*
11 *Vniuerſæ viæ Domini, miſericor-
dia & veritas, requirentibus teſtamen-
tum eius & teſtimonia eius.*
12 *Propter nomen tuum Domine pro-
pitiaberis peccato meo: multum eſt e-
nim.*
13 *Quis eſt homo qui timet Dominum?
legem ſtatuit ei in via, quam elegit.*

Digitized by Google

14 *Anima eius in bonis demorabitur: & ſemen eius hereditabit terram.*

15 *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum: & teſtamentum ipſius vt manifeſtetur illis.*

16 *Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.*

17 *Reſpice in me, & miſerere mei: quia vnicus & pauper ſum ego.*

18 *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.*

19 *Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.*

20 *Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.*

21 *Cuſtodi animam meam, & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperaui in te.*

22 *Innocentes & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te.*

23 *Libera Deus Iſraël, ex omnibus tribulationibus ſuis.*

13 Anima eius in [o] bonis [p] demorabitur, & ſemen eius hæreditabit terram.

14 Secretum Domini timentibus eum, & [q] teſtamentum ipſius ad [r] inſtruendum eos.

15 Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe educet de reti pedes meos.

16 Reſpice [ſ] in me, & miſerere mei: quia vnicus & pauper (ſum) ego.

17 Anguſtię cordis mei dilatatę ſunt: ab anguſtiis meis [t] erue me.

18 Vide afflictionem meam, & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea.

19 Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me.

20 Cuſtodi animam meam, & erue me: ne erubeſcam, quoniam ſperaui in te.

21 Innocentia & rectitudo cuſtodiant me: quoniam expectaui te.

22 Libera, Deus, Iſraël ex omnibus anguſtiis eius.

o heb *bono*
p *pernoctabit*,
q heb *pactum*
r ad verb. *ſcire faciendum eos*.
ſ *ad*
t *educ*

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *HIC pſalmus primus eſt eorum, quorum ſinguli verſus à litteris ſecundum Alphabeti Hebraici ordinem incipiunt, qui idcirco Alphabetici vocantur: quanquam in hoc pſalmo quædam litteræ deſunt,* ב, ו, *&* ק, *ſi tamen duæ primæ deſunt: qua de re dicetur ad verſ. 2. Sunt & aliquot alij pſalmi alphabetici, ſed non omnes eodem modo. Ea res num ad muſicam pertineat, an verò tantùm ad memoriam iuuandam, incertum eſt: & Rabbini fatentur ſe nihil ſcire de hac re. Certum illud eſt, eos omnes pſalmos, qui ſic ſunt, inter alios eminere. Hunc porrò Pſalmum compoſuit Dauid, quum grauiter ab aduerſariis premeretur: in eo enim enixè petit ſe aduerſus hoſtium iniurias defendi: & quoniam peccata ſuorum malorum cauſſam eſſe cognoſcebat, magnopere contendit à Deo, vt ſibi remittat peccata, ſeque in gratiam recipiat. Putarim ego tunc à Dauide conſcriptum hoc carmen, cùm Abſalomus bellum ei intuliſſet: totus enim eſt in deprecanda venia peccatorum, ſed præſertim ac ſeorſim cuiuſdam, quod ipſe* magnum *ſeu* multum *eſſe dicit verſu vndecimo, adulterij ſcilicet cum Beth-ſabee, propter quod iuxta vaticinium Prophetæ Nathan à proprio filio regno eiectus eſt. Quod enim magnum aliud facinus intelligeret, qui fortaſſe hoc vno excepto, & cenſu populi, in tota vita nihil admiſit? At propter cenſum populi non bello, ſed peſte, de qua nulla in hoc pſalmo mentio, in illum fuit animaduerſum. Ex quo efficitur per peccatum illud magnum, non cenſum illum, ſed adulterium cum Beth-ſabee eſſe intelligendum. Vnde tandem patet quo tempore hic pſalmus fuerit à Dauide conſcriptus.*

1 *Dauid* ſup. *pſalmus. Ad te, Domine, leuo* (ad verb. *leuabo*) *animam meam*, hoc

Digitized by Google

eſt,totam ſpem in te ac tua vnius bonitate colloco. Sic Deut. 24. 15. *Eadem die reddes ei* (ſcilicet mercenario indigenti) *pretium laboris ſui ante ſolis occaſum,quia pauper eſt, & ex eo ſuſtétat animam ſuam*; vbi pro *ex eo ſuſtentat animam ſuam*, ad verbum legitur, *ad illud* (ſcilicet pretium) *leuat animam ſuam*, hoc eſt,totam ſpem in pretio ponit, quia ex eo viuit. Huic interpretationi, quæ à Kimhi adfertur ex Deras, necnon etiam ipſi Ezræ probatur, conuenit ſequens verſus, *Deus meus,in te confido*, &c. Raſi exponit *animam meam leuabo*, dirigam cor meum. R. Moſes & alij *animam meam leuabo* quaſi oblationem. Alij, in quibus Kimhi, explicant, *animam meam leuabo* in modum orationis. Citant ſimile ex verſ.41. cap.3. Threnorum, *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum in cælos*. Kimhi annotat ex Deras alios exponere *animam meam leuabo* iuxta illud pſ. 31. 6. *In manus tuas commendo ſpiritum meum*. Primam expoſitionem præfero: etſi aliæ eódem ferme redeunt. Cæterùm vbi nos in præſenti vertimus *leuo*, ad verbum legitur *leuabo*, hoc eſt, nunquam ceſſo ac ceſſabo leuare: hanc enim vim ſæpe obtinet futurum hebraicum, ſignificátque actum continuum,vt iam ſæpe dictum eſt.

2 *Deus meus, in te confido*, heb. *ſperaui*: &c. In te ſperaui,non in alio, idcirco precor te, vt ne erubeſcam. Nam ſi reſtiteris poſtulationi meæ, futurum eſt vt me ſpei meæ pudeat: quo modo Iob 6. 20. dicitur, *Confuſi (Pudore ſuffuſi) ſunt, quia ſperauerant*: &c. & pſ. 22. 6. *in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi*, ſeu *pudore ſuffuſi*. At ſi conceſſeris poſtulationi meæ,cui te conceſſurum ſperaui, non erubeſcam, neque exultabunt (hoc eſt, triumphabunt) inimici mei de me. Kimhi. Breuiùs Ezra, Ecce ſperaui in te: indignus ſum qui pudore afficiar. *Etiam vniuerſi* &c. æquum verò vt *erubeſcant præuaricantes* &c. Mane. Hic verſus non incipit à litera ב, vt debebat, ſed repetit א. Cenſet tamen Ezra videri ב ſecundę vocis בְּךָ *becha*, id eſt, *in te*, eſſe pro ב, ſicuti verſu 5. ו vocis וְלַמְּדֵנִי *velammedeni*, pro ו: aut ſanè ſic caſu contigiſſe.

3 • *Etiam vniuerſi qui expectant* &c. Non tantùm, inquit, pro me precor, ſed pro omnibus, qui partes meas ſequuntur, & iuxtà mecum in tuo pręſidio ſpes ſuas collocant: ſed *erubeſcant iniqua agentes*, heb. *præuaricantes*, ſup. *in me*. *Sine cauſſa*, id eſt, immeritò. *Erubeſcant*. In Vulg. *confundantur*, quod verbum hîc, vt aliàs ſæpe in Vulgata, pro *erubeſcere* ſeu *pudefieri* ponitur. Aliter diſtinguunt Gręcus & Latinus. A Verùm Hebręorum diſtinctionem ſatis probat ordo Alphabeti, qui in Gręco & Lat. confunditur.

4 *Vias tuas* &c. In áduerſis difficile eſt diſcernere quid ſequi oporteat, & longè difficilius rectam viam tenere: res enim aduerſę mentem confundunt, & ſæpe extra viam rectæ rationis longè abripiunt: idcirco à Deo petit monſtrari ſibi viam, quam ſequi debeat: nec hoc tantùm, ſed & in illâ regi; hócque ſignificatur verſu ſequente, *Dirige me* &c.

B 5 *Dirige me*, ſicuti quis infantulum ſenſim docet incedere. Eódem pertinet quod ſequitur *& doce me*, hoc eſt ex Kimhi, aſſuefac me: quam ſignificationem verbi לִמֵּד *limmedh*, probat ex Ier. 31. 18. vbi לֻמַּד *lummadh*, idem eſt quod *aſſuetus*. *Deus ſalutis meæ*, qui,inquit Kimhi, ſeruabis me è præſentis ſeculi calamitatibus, & dabis mihi cor ad aſſequendum futurum ſeculum, hoc eſt, docebis me veritatem.

6 *Reminiſcere* nunc *miſerationum tuarum,* C *& miſericordiarum tuarum*, (emphaticè in num. plur.) quibus erga me ſemper vſus es, hócque ſignificat, *quia à ſeculo ſunt*: quaſi dicat, In ipſo matris vtero, ac poſtea in educatione tuam ſemper expertus ſum benignitatem ac clementiam: decet igitur te, qui me educaſti, & ad hanc vſque ætatem perduxiſti, mihi nunc ignoſcere, quoniam opus manuum tuarum ego ſum. Sic Iob 10. 9. *Memento, quæſo, quod ſicut lutum feceris me*. *Reminiſcere*, inquit, *miſericordiarum tuarum* ſuperiorum: ſed *delicta iuuentutis meæ ne memineris*. Sic fe- D rè Kimhi. Iuuat hanc interpretationem illud Eſa. 64. 8. & 9. *Et nunc Domine,pater noſter es tu: nos lutum, & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne iraſcaris Domine vltra modum, & ne in perpetuum memineris iniquitatis: ecce reſpice, populus tuus omnes nos*. Accipe, ſi vis, hunc verſum ſimpliciter hoc modo, Vtere erga me eâdem illa miſericordia, quâ erga tuos ſemper vſus es.

7 *Delicta* (ſeu *Peccata*) *iuuentutis meæ*, E hoc eſt, Ea quæ iuuenis perpetraui,nódum maturo iudicio. *Et præuaricationes meas*, quas grandior commiſi. Obſeruat Kimhi voce פֶּשַׁע *peſcha*, quæ hîc habetur, ſignificari rebellionem: cúmque aliquis à viceſimo anno, & ſupra, ſciens, & prudens peccat, dici admittere פֶּשַׁע *peſcha*, id eſt, ſic enim exponi ſolet, *præuaricationem*. Certè hæc vox omnino grauius quid ſonat, quàm *peccatum*, quod generalius eſt, & ad omnia patet. *Secundùm miſericordiam tuam*, tu qui fons es miſericordię, & ſcaturigo omnis

Digitized by Google

boni, non ſecundùm iudicium, & ſuperiora mea opera; quò & pertinet *propter bonitatem tuam*, quod idem eſt ac ſi diceret, non propter me, ſed propter bonitatem & miſericordiam tuam, quia tu bonus & clemens; quò & ſpectat ſequentis verſic. initium. Non poſſum, neque debeo præterire id quod annotat Raſi ad hæc verba *ſecundùm miſericordiam tuam memento mei tu*, ſolùm quia fauet meritis bonorum operum: ſic enim ille habet, tuæ eſt miſericordiæ mei memorem eſſe, atque illorum bonorum operum, quæ ſunt in manu mea, id eſt, quæ nunc penes me ſunt.

8 *Bonus & rectus* &c. Senſus, Bonus & rectus eſt Dominus, vúltque omnes homines ſaluos fieri, ac propterea docet peccatores *in via* (hoc eſt, viam) pœnitentiæ. Hoc ſenſu accepit Raſi, necnon etiam Kimhi, qui ſic habet, *Bonus & rectus* &c. Propterea quòd eſt bonus & rectus, nunquam peccatores repellit, ſed quoties voluerint reſipiſcere, recipit, eóſq; rectam viam docet. בַּדֶּרֶךְ *baddarech, in viâ*, ſed cognitâ, propter patach litteræ בּ, viâ nimirum pœnitentiæ, quæ iam tum à diebus orbis conditi hominibus à Deo palàm facta eſt: illam enim ipſum Cain peccatorem docuit his verbis, Gen. 4. 7. *Nónne ſi bona feceris* (emendaueris) ſup. opera tua, *erit remiſſio* ſeu *venia*: (ita enim hic locus ad mentem Kimhi vertendus eſt.) Sic ille. Nota *docebit in viâ*, quod ſeruiendo conſuetudini Latini ſermonis potiùs verterem *inſtruet in viâ*. Aliàs verbum הוֹרָה *hora*, Hebraicè, vt Latinè verbum *docendi*, duplicem regit accuſatiuum. Habes exemplum pſal. 27. 11. & aliàs. Pſalmo tamen 32. 8. regit, vt hîc, alterum ſeu ſecundum nomen, intercedente præpoſitione *in*: atque idcirco nos ſecuti Latinum interpretem illic reddidimus per verbum *inſtruendi*. Caue conſtruas *in viâ*, cum præcedente nomine חַטָּאִים *chattaim*, id eſt, *peccatores*, ſeu, vt vertimus Latinum interpretem ſecuti, *delinquentes*: quin refer ad verbum *docebit*. Crebra enim hæc eſt locutio, *docere viam*, aut aliæ ſimiles, vel in hoc pſalmo: at illa *peccator in via*, nuſquam occurrit, quod ſciam.

9 *Diriget manſuetos* ſeu *humiles* &c. Senſus eſt, Eos, qui ſumma animi demiſſione à peccatis reſipiſcunt, *diriget in iudicio*, hoc eſt, aperiet illis viam pœnitentiæ, præparans eorum animos ad ſua iudicia, ac vias cognoſcendas; hócque eſt, quod ſequitur, *& docebit mites vias ſuas*. Sic Kimhi.

10 *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*: primùm miſericordia: at poſtea veritas. Sic Ezra, qui vult ſignificare, Deum quidem ex pura liberalitate, & miſericordia nobiſcum primùm agere, ſed poſteaquàm eius in nos gratiæ reſponderimus, teneri nobis ex pacto infallibili (illud eſt quod *veritatem* vocat) gratiam ſuam largiri, ac benefacere. *Cuſtodientibus teſtamentum* (heb. *pactum*) *eius*, &c non item deflectentibus à rectâ viâ: iuxta illud Oſeæ 14. 10. *Rectæ viæ Domini, & iuſti ambulabunt in eis: præuaricatores verò corruent in eis.*

11 *Propter nomen tuum*, quod eſt *bonus, & veniæ largitor, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te*, vt eſt pſal. 86. 5.

Magnum enim eſt. Peculiare quoddã peccatum (ſi fidem habemus ipſi Kimhi) intelligit, quod aliis grauius eſſet, nimirum peccatum, quod commiſerat cum Beth-ſabee: quaſi hoc velit, Etſi iam veniam peccatorum à te petij, tamen iterum, ac ſeorſum huius peccati veniam à te poſtulo, *magnum enim eſt*. Sic Kimhi ad hunc verſum. *Multum* tamen non abs re: nam peccatum illud non vnicum, aut ſimplex fuit, ſed multiplex, vt ex hiſtoria videre eſt: voxque hebræa רַב *rau*, vtrumque ſignificat, & *multum* & *magnum*. Huius verſus iuxta Raſi ſenſus eſt, *Propter nomen tuum* magnum *parce peccato meo: quia magnum eſt*: & magnum decet magnum peccatum condonare. Ad mentem Ezræ vertendum, *etſi magnum eſt*: vult enim כִּי, *ci*, hoc loco non *quia*, vt plerumque ſolet, ſed *etſi* ſignificare. Citat ſimile ex Exod. 34. 9. *gradiatur, quæſo, Dominus in medio noſtri*: כִּי, hoc eſt iuxta Ezram, *etſi populus duræ ceruicis eſt; & parce iniquitati noſtræ*, &c. ex pſal. 41. 5. *Sana animam meam*, כִּי, id eſt, *etſi peccaui tibi*. Vtrobique tamen כִּי pro *quia* ſumendum eſt, etiam ipſius Ezræ iudicio, qui ad locum Exod. citatum aliud ſentiens reiicit opinionem cuiuſdam Marini, qui כִּי explicat *etſi*. Ita interdum hic à ſeipſo diſſentit. Tenenda igitur vulgata ſignificatio *quia* vel *enim*. Poteſt hic verſus in genere accipi de omnibus peccatis, ita vt *peccatum*, ſeu, vt alij vertunt, *iniquitas*, hîc collectiuè ſumendum ſit.

12 *Quis eſt homo* (Hebraicè *vir*) &c. Senſus eſt, Quicumque timet Dominum, eũ Deus docet viam rectam, *quam* ipſe Deus *elegit* ſeu *eligit* ac probat. Vel potiùs, docet eum Deus viam, quam eligere & inire debeat: vt verbum *eligendi* non ad Deum, ſed ad hominem timentem Deum referri debeat, ac ſic vertendum ſit, *docebit eum viam, quam eligat*. Certè verbum *eligendi* eſt fut. temporis. Vtroque tamen modo accipitur ab Hebræis. Chald. habet, *docebit eum in via*

Digitized by Google

quam gratam habuit: quod ſimile eſt prorſus Vulgatæ. *Quis eſt homo.* Hebraiſmus pro, Si quis eſt.

13 *Anima eius in bonis* (Heb. *bono*) *demorabitur* (propriè *pernoctabit*) poſt mortem. *Et ſemen eius hereditabit terram*, hoc eſt, Deus propter eius iuſtitiam poſteris quoque eius benedicet. Sic Kimhi. Alij tamen prius membrum de fœlicitate præſentis vitæ accipiunt. Hos fortè iuuat, quòd verbum תָּלִין *talin*, propriè ſignificat *pernoctabit*, quod optimè huius vitæ fœlicitati conuenit, quia breuis eſt; & in hoc mundo, non tanquam in domo, ſed tanquam in hoſpitio diuerſamur. Non minùs tamen verbum *pernoctandi* alteri vitæ competit, in quam poſt huius vitæ diſcrimina beatæ, ac fœlices animæ ſe recipiũt, ibi æternùm quieturę, ſicut aliquis diurni itineris labore feſſus in hoſpitium ſerò ſe recipit, ibi pernoctaturus, ac quieturus.

14 *Secretum Domini* (ſupplet Chald. *manifeſtũ eſt*) *timentibus eum. Et teſtamentum* (ſeu *pactum*) *eius* (repete *manifeſtum eſt timentibus eum*) *ad inſtruendum eos.* Per *ſecretum Dei* intelligit arcana Dei iudicia, & conſilia, quæ noſſe ex parte, & quantùm humanæ mentis imbecillitas patitur, omnino iuuat ad æternam ſalutem conſequendam: per *pactum* verò, metonymicῶs Decalogum, qui 1. Reg. 8. 21. vocatur *fœdus* (ſeu *pactum*) *Domini, quod pepigit cum patribus noſtris, quando egreſſi ſunt de terrà Ægypti*: quo modo & *Tabulæ lapideæ* vocantur *Tabulæ pacti*, Deuteron. 9. 9. Hinc quoque Arca, in qua fœdus illud Domini, ſeu duæ tabulæ lapideę erant, vt conſtat ex 1. Reg. 8. ver. 9. & 21. *Arca fœderis Domini* vocatur. *Ad inſtruendum eos* in iis omnibus, quæ ad eorum ſalutem pertinent.

15 *Oculi mei* &c. Repetit quod initio pſalmi dixerat: & poſtquàm veniam peccatorum inſtanter à Deo efflagitauit, defendi ſe petit aduerſus hoſtium iniurias: ac primùm quidem hoc verſu, antequam acriùs inſtet, affirmat certò ſe liberatum iri. *De reti* ſcilicet inimicorum. Ezra tamen & alij hoc de concupiſcentià accipiunt, quâ anima, vt reti, capitur, & ex qua, niſi Deus opem ferat, impoſſibile eſt exire.

16 *Quia vnicus* &c. Etſi ego rex ſum, mihíque eſt multus populus, ac ingentes diuitiæ, nihilominus vnicus & pauper ſum: neque enim ſpes mihi vlla in multis copiis, ac opibus, ſed in tua tantùm miſericordia, & potentia. Sic ferè Kimhi. Hunc quoque verſum & duos ſequentes de concupiſcentia Ezra interpretatur, obſeruátque Dauidem vnicum ſe appellare propter animam, quæ vnica eſt, & cor vnicum: necnon *pauperem*, ob virium imbecillitatem ad obſiſtendum concupiſcentiæ.

17 *Dilatatæ ſunt*, id eſt, multæ ſunt. Idcirco Græcus & Lat. ad ſenſum reſpicientes verterunt *multiplicatæ ſunt*. Sed ſeruanda fuit antitheſis, quæ eſt hebraicè in nomine *anguſtiæ*, & verbo *dilatatæ ſunt*.

18 *Vide afflictionem meam & laborem meum*, hoc eſt, Vide & conſidera quantum pœnarum & laborum in his bellis iam exhauſi, próque tantis ærumnis *dimitte vniuerſa delicta mea*, ſintque mala, quę patior, meorum criminum ac peccatorum expiatio. Hoc ſenſu Raſi & Kimhi. Ezra exponit hunc verſum de difficultatibus, quas pateretur Dauid in cohibenda concupiſcentia.

19 *Quoniam multiplicati ſunt.* Efficax ratio ad excitandam Dei miſericordiam. Nãque Deus, quò ſuorum maius ac grauius videt eſſe periculum, eò promptiùs ſuccurrit. *Et odio iniquo* &c. Altera ratio, quâ Deo exponit ſe immeritò hoſtibus odio eſſe, quippe qui ipſos nullâ vnquam in re læſerit. *Odium iniquum* dicitur, quum quis alium odit ſine cauſſa. D. Auguſtinus explicat, *& odio iniquo oderunt me*, & oderunt me diligenter ſe. B. M. Card. Bellarminus, qui præcedentes verſus de concupiſcentia cum Ezra intelligit, hoc verſu per *inimicos*, ſpirituales inimicos intelligit, dæmones videlicet, qui innumerabiles ſunt, & odio iniquiſſimo in nos ardent.

20 *Cuſtodi animam meam*, &c. Sciebat ſe ad necem expeti, idcirco ait *animam meam. Ne erubeſcam*, hoc eſt, ne permitte, vt me fruſtretur ſpęs de ſalute concepta, ac ſic cogar erubeſcere coram hoſtibus, ſi in illorum poteſtatem venero, aut coram meis etiam, qui malis victi ſpem fruſtratam mihi fortaſſe exprobrabunt. *Quoniam ſperaui in te.* Optima ratio, quaſi dicat, alioqui fruſtra in te ſpem videbor repoſuiſſe. Non tam ſibi, quàm Dei honori conſulit vir ſanctus.

21 *Innocentia & rectitudo* &c. Petit hoc verſu, vt Deus innocentiæ ſuæ ſit vindex, præſertim cùm ab eo ſolo pendeat.

22 *Libera, Deus, Iſraël* &c. Poſtquàm priuatam egit cauſam, nunc agit publicam, quam ſciebat à ſua pendere. *Iſraël* in accuſ. caſu.

Digitized by Google

PSALMVS

XXV. XXVI.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Pſalmus David.

Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum: & in Domino ſperans non infirmabor.

2 Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos & cor meum.

3 Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt: & complacui in veritate tua.

4 Non ſedi cum concilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo.

5 Odiui eccleſiam malignantium: & cum impiis non ſedebo.

6 Lauabo inter innocentes manus meas: & circundabo altare tuum Domine:

7 Vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuerſa mirabilia tua.

8 Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

9 Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam:

10 In quorum manibus iniquitates ſunt; dextera eorum repleta eſt muneribus.

11 Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: redime me, & miſerere mei.

12 Pes meus ſtetit in directo: in eccleſiis benedicam te Domine.

NOVA.

DAuid.

Iudica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ambulaui: & in Domino ſperaui, non nutabo.

2 Proba me Domine, & tenta me: examina renes meos, & cor meum.

3 Quoniam miſericordia tua ante oculos meos (eſt,) & ambulaui in veritate tua.

4 Non ſedi cum hominibus vanitatis, & cum occultantibus ſe non introiui.

5 Odi concilium malignantium, & cum impiis non ſedi.

6 Laui in innocentia manus meas, & circundedi altare tuum, Domine.

7 Vt audire facerem vocem laudis, & enarrarem vniuerſa mirabilia tua.

8 Domine, dilexi habitaculum domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

9 Ne [a] perdas cum [b] impiis animã meam, & cum viris ſanguinum vitam meam.

10 In quorum manibus ſcelus (eſt,) & dextera eorum repleta eſt muneribus.

11 Ego autem in innocentia mea ambulaui: redime me & miſerere mei.

12 Pes meus ſtetit in rectitudine: in [c] eccleſiis benedicam Domino.

[a] vel congreges
[b] heb. peccatoribus
[c] congregationibus

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumĕtum. *Videtur Dauid hunc pſalmum ſcripſiſſe, cùm falſis criminibus apud Saulem deformaretur ab inimicis, atque ex eius aula exceſſiſſet. In hoc igitur pſalmo Deum iudicem appellat, eique exponit vitæ ſuæ rationem, & quomodò ſemper ex animo innocentiæ ſtuduerit, malorum ſocietatem fugerit, religionique incubuerit: tum pœnas, quæ improbos poſt mortem manent, deprecatur: aut certè Deum precatur, ne ſe, qui pietatem colat, impiorum conſuetudine corrumpi vnquam patiatur.*

1 *Iudica me, Domine.* Propoſitio, cuius hęc eſt ſententia, Cognoſce cauſſam meam, ô Domine, & vlciſcere me, ac pœnas ſume de hoſtibus meis. Iudicis eſt non ſolùm cauſſam cognoſcere, ſed etiam, cognitâ cauſsâ, innocentes defendere, in malos verò animaduertere. Hoc pacto accipitur *iudicandi* verbum Eſ. 11. 4. *Sed iudicabit* Chriſtus *in iuſtitia pauperes.* *Quoniam in innocentia mea ambulaui.* Perinde quaſi diceret, Non vereor te iudicem appellare, qui nullius criminis aut perfidiæ mihi conſcius ſũ. Pronomen *mea* habet emphaſim, quaſi diceret, in innocentia & integritate mea ſolita. Præterea *ambulandi* verbum conſuetudinem notat, vt ad verſ. 2. pſ. 15. obſeruatum eſt. Ad hoc, *Iudica me, Domine*, ſic habetur in Deras: Vno in loco dicitur, *Iudica me, Domine*; alio verò in loco, *non intres in iudicium cum ſeruo tuo*: &c. (Pſ. 143. 2.) Dicit Dauid Deo, Quum tu impios iudicas, *iudica me*, quia ſi cum illis conferor, iuſtus ſum: at cũ iuſtos iudicas, *ne intres in iudicium cum ſeruo tuo.* Idem habet hîc Raſi. Kimhi τὸ *Iudica me* vult intelligi ratione cordis, ſeu intentionis, quam ſynceram eſſe affirmet: τὸ autem *non intres in iudicium cum ſeruo tuo*, ratione operum, quæ non ſemper bona fuiſſe agnoſcat. Ego puto hîc & quoties ſuam Dauid prædicat iuſtitiam, intelligendum eſſe de iuſtitia cauſſæ, quam petat à Deo defendi, non de iuſtitia perſonæ, ſeu de propria munditie, de qua alibi dicit, *non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Videbat Dauid ſe iniquis calumniis ab aulicis Saulis opprimi. Appellat igitur Deum, eique quaſi iudici probat ſuam iuſtitiam, non quidem quòd legi diuinæ per omnia à ſe ſatisfactum putet, ſed comparatiuè ad calumnias aduerſariorum loquitur. Quòd ſi res illi cum Deo eſſet, peccata humiliter deprecaretur, & ad Dei miſericordiam ſupplex confugeret, vt iſ fecit pſalmo præcedente, quum verſu 6. & ſequente dicit, *Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine, & miſericordiarum tuarum: &c. Delicta iu-*

A *uentutis meæ, & præuaricationes meas ne memineris, (ſed) ſecundùm miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam, Domine.* De hoſtibus cogitans Dauid, ab illorum iniquis iudiciis ad iuſtum Dei iudiciũ prouocat: at ſua peccata in memoriam reuocans ad Dei miſericordiam confugit. Non enim ignorabat Dauid illud, *Nunquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce Luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mũdæ in conſpectu eius. Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Iob 25. verſ. B 4. & ſequent. *Et in Domino ſperaui*, &c. Subitò hîc mutatur ſecunda perſona in tertiam: quæ res frequens eſt in Pſalmis, nec parum habet elegantiæ. Sic autem connectendum poſterius hoc membrum cum eo quod præcedit, quaſi dicat, Iudicem te appello, ô Deus, &c. ego verò qui in te ſemper ſpem collocaui, interea dum cauſſam meam cognoſces, *non nutabo* vnquam, licet hoſtes mei omni ratione mihi conentur excutere fiduciam in te, méque conſpiciam C preſſum vndique malis, ex quibus nullo modo poſſim vnquam emergere, niſi tu ſuccurras. Poteſt & poſterius membrum ſic accipi, vt ſit alia ratio propoſitionis, quaſi diceret, Suſcipe cauſſæ meæ cognitionem, nõ ſolùm quia innocens ſum, ſed etiam quia ad te vnum confugio, in te vno ſpero, nec vnquam ſpe illâ fretus nutabo. Vide porrò vt dicit ſe ſpe in Deo nixum, non autem ſuâ innocentiâ & integritate, nunquam nutaturum aut vacillaturum.

D 2 *Proba me* &c. Certum eſt nihil tam eſſe abſtruſum, quod Deum lateat. Senſus ergo huius verſus eſt, Tu habes exploratos omnes meos affectus, ac cogitationes, ſicuti aurifex naturam auri, quod probè examinauit. Neque quod dicit Dauid, *Proba me, Domine*, &c. ita eſt accipiendum, quaſi velit Deum aliquid experiri, ac cognoſcere, quod antea ignorarit, ſed quòd omnia ſciat. Nam quòd vtitur imperatiuo, id facit, vt ſi aliquem ex hominibus alloqueretur, quem iuberet de ſe ac ſua cauſa

Digitized by Google

cognoſcere. Quî, quæſo, Deum alloqui, ac de Deo loqui poſſumus, niſi noſtro more? Per *renes* intellige affectus, qui pullulant in renibus: per *cor*, ipſas cogitationes, quarum cor ſedes à nonnullis creditur.

3 *Quoniam miſericordia tua ante oculos meos (eſt,)* &c. Quò intelligatur hic verſus, qui ſanè, niſi commodè explicetur, non facilè cum præcedentibus & ſequentibus cohærebit, ſcire primo loco oportet, *miſericordiam Dei* in Sacris litteris ſolitam vocari, (præſertim vbi opponitur *veritati*, vt hîc) quâ is liberaliter & abſque promiſſo nobiſcum agit, *veritatem* verò, quâ poſt promiſſum, ita vt hæc aliud nihil ſit, quàm conſtans Dei fides in præſtandis promiſſis. Deinde quod ait habere ſe perpetuò ob oculos Dei miſericordiam, non eſt Dei miſericordiam meditari ſimpliciter ac ſpeculatiuè, liceat ſic loqui, ſed Dei miſericordiam ſemper habere ab oculos propoſitam ad imitandum, déque ea exemplum capere: id quod admonebat Chriſtus Dominus diſcipulos alicubi, dicens, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Ita eſſe apertè oſtendit poſterius membrum, *& ambulaui in veritate tua*: vbi profectò *ambulare in veritate Dei* nihil aliud eſſe videtur, quàm Dei fidem in ſoluendis promiſſis imitari: quo ſenſu pſal. 119. 3. fœlices dicuntur *qui in viis Dei ambulant*, hoc eſt, Dei veſtigiis inſiſtunt. Hoc poſito, facile eſt connectere hunc verſum cum præcedente, quaſi nimirum Dauid, poſtquàm Deum iudicem ac vindicem appellauit, ſuæ vitæ rationem ei incipiat exponere, ac dicat, Idço non vereor te iudicem appellare in hac cauſſa, quòd conſcientia teſtis ſit nulla me in re, qui tam inimico in me ſunt animo, violaſſe. Nam & de te exemplum capiens, qui non ceſſas homines pro tuâ miſericordia nouis quotidie beneficiis prolixè impertiri, nullam prætermiſi occaſionem bene de iis merendi, & quibuſcumque potui officiis cumulandi: ac multò magis, ſi quid eis promiſeram, exolui, & fidem liberaui, tuo etiam exemplo ductus, qui nunquam promiſſis dees. Longum eſſet, ſi vellem omnes cùm Hebræorum, tum Latinorum interpretationes referre. Satis ergo ſit meam propoſuiſſe, ſic tamen vt ſuum vnicuique relinquam iudicium.

4 *Non ſedi cum hominibus vanitatis* ſeu *mendacij*, &c. Exegeſis poſterioris membri præcedentis verſus. Semper, inquit, tuo exemplo fidem ſeruaui: neque vlla vnquam mihi fuit conſuetudo (conſuetudinem & ſocietatem notant verba *ſedendi*, & *introeundi*) cum mendacibus & vanis hominibus, qui frontem aperiunt, mentem tegunt: quos homines *occultantes ſe* hîc nominat Dauid. Kimhi per *occultantes ſe* intelligi vult, qui quærunt latebras, vt peccent, ac propterea dici *non introiui*, cum illis, ſcilicet in latibula eorum: idémque repeti in ſequente verſu. Idem & cenſet Raſi. Chald. interpretatus eſt *cum occultantibus ſe vt malè faciant* ſeu *affligant*.

5 *Odi concilium malignantium*, &c. Vniuerſim nunc affirmat deteſtari ſe ſceleratorum ſocietatem, nec cum ijs libenter verſari. Verba in his verſibus partim ſunt præteriti, partim futuri temporis, atque idcirco per præſens rite exponentur.

6 *Laui in innocentia* &c. Aulici Saulis hypocriſin Dauidi exprobrabant. Ab iſto crimine ſeſe purgat in hoc verſu, affirmans ſe ad cultum diuinum, & ſacrificia animi puritatem attuliſſe. Non dicit autem ſe expertem omnis culpæ, ſed, ſi quam admiſerit, eam, antequam ad ſacrificia accederet, expurgaſſe. *Laui*, inquit, *in innocentia manus meas*, hoc eſt, animum purum exhibui, &, ſi quâ fuit infectus macula, expurgaui. Quum *manus* dicit, notat quidem ſolemnem & externum illum ablutionis ritum, quem tū Sacerdotes, tum populus ſacra facturi vſurpabant, ſed magis tamen ſignificat internam illam puritatem, cuius externa illa ceremonia ſignum erat, ideóque ait *in innocentia*, quaſi dicat, Non tantum externam illam ablutionis ceremoniam abſolui, quod hypocritæ faciunt, ſed etiam animi candorem, ac puritatem adhibui. Habes ſimile quid Iob 9. 30. *Si lauero me aquis niualibus, & mundauero in puritate* (Chald. *in ſmegmate*) *manus meas*, hoc eſt, Etiamſi animo & factis mundus fuero. *Et circũdedi altare tuum* hoſtiis & holocauſtis: aut ad mentem Kimhi, *& circuiui altare tuum*, vt illic offerrem holocauſtum. In hoc verſu verba ſunt fut. temporis ad ſignificandum continuum actum pro more. Potes igitur commodè vertere *Lauo*, necnon *circundo*, ſeu *circumeo*.

7 *Vt audire facerem* &c. Oſtendit in quem finem ſacrificia inſtituta fuerint: nimirum, vt Deus celebraretur.

8 *Domine dilexi* &c. Odi vanorum hominum & ſceleratorum conciliabula: ſed *habitaculum domus tuæ*, id eſt ex Kimhi, Arcæ domicilium, vbi Leuitæ, Sacerdotes, Prophetæ, pij & ſancti Dei cultores perpetuò diuerſantur, impenſè diligo. *Et locum habitationis gloriæ tuæ*. Idem quod *habitaculum* &c. Nam apud Arcam gloria Domini præſertim elucebat.

9 *Ne perdas*, vel *congreges* &c. Quando elegi ipſe cœtum iuſtorum, *ne congreges cum peccatoribus animam meam*: quaſi

Digitized by Google

dicat, Ne permitte vt moriar morte peccatorum. Sic Kimhi. Vel, Fac vt ne quid vnquam mihi ſit commercij in hac vita cum peccatoribus, ac multò minùs cum *viris ſanguinum*. Sic ferè Ezra. Sed prius magis placet, & Græc. & Lat. eſt conforme, nec Hebræo repugnat: verbũ enim אסף *aſaph*, & *congregare*, vt multis locis, & *auferre* ac *perdere* ſignificat. Exemp. gr. Ier. 8. 13. & Soph. 1. 2. Quibus tamen in locis Latinus expoſuit *congregare*: cùm Chald. & Hebræi interpretentur *conſumere*, *perdere*. Iud. 18. 25. ſignificat *perdere*, ex Latini, Chaldæi & aliorum ſententia. *Vitam meam*, id eſt, me viuentem.

10 *In quorum manibus* &c. id eſt, Qui ſtrenuè praua quæque exequuntur, & muneribus corrupti iudicia peruertunt. Potes per *ſcelus* intelligere opes rapina, & ſcelere partas: vel potiùs munera, quæ ad peruertendum iudicium accipiunt: ac ſit vtroque membro, vt mos eſt in Pſalmis, idem ſignificabitur.

11 *Ego autem in innocentia mea* &c. Cauſſam adfert cur petat à Deo ne permittat ſe

A mori, quemadmodum impij moriuntur, in peccatis ſcilicet: aut certè cur auerſetur impiorum hominum ſocietatem in hac vita: quòd nimirum pietati ſtudeat, ideóque nec ſibi in altera vita, neque in hac cum illis conueniat. *Ambulaui*, hebraicè *ambulabo*, quod futurum pro more perpetuum & continuum actum ſignificat. De *ambulandi* verbo vide ad verſ. 2. pſal. 15. *Redime me* &c. Senſus eſt, ne permitte, vt quemadmodum impij moriuntur, ſic ego moriar, aut in illorum ſocietatem vn-

B quam veniam, ſed pro tua miſericordia ſuccurre. In verbo *redime* eſt emphaſis, quaſi eo ſignificare velit nos in peccati, aut impiorum hominum poteſtate eſſe, niſi Deus ſua gratia redimat.

12 *Pes meus ſtetit in rectitudine*. Locutio metaphorica, pro, Nunquam ego deflexi à pietate, & recto Dei cultu. *In eccleſiis* (ſeu *congregationibus*) *benedicam* &c. Senſus eſt, atque agnoſco tuum eſſe beneficium, quòd hactenus pietatem coluerim, vitámque piè, ac ſanctè exegerim: idcirco nunquam ceſſabo palàm te celebrare.

PSALMVS

XXVII. XXVI.

VERSIO

Nova.

DAuid.

Dominus lux mea, & ſalus mea; à quo timebo? Dominus fortitudo vitæ meæ; à quo [a] trepidabo?

a pauebo

2 Dum appropinquarent aduerſum me maligni, vt ederent carnem meã; qui tribulant me, & inimici mei [b] aduerſum me: ipſi impegerunt & ceciderunt.

b vel *mihi*

3 Si [c] conſiſtant aduersùm me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſpero.

c ad verb. *caſtrametata fuerit aduerſum me acies,*

4 Vnum petij à Domino, hoc requi-

Vetus.

PSalmus Dauid priuſquam liniretur.

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?

2 *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?*

3 *Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas:*

4 *Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt & ceciderunt.*

5 *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.*

6 *Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.*

7 *Vnam petij à Domino, hanc requiram,*

Digitized by Google

ram, vt inhabitem in domo Domini om-
nibus diebus vitæ meæ:
8 *Vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius.*
9 *Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo : in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.*
10 *In petra exaltauit me : & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.*
11 *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis: cantabo, & pſalmum dicam Domino.*
12 *Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te: miſerere mei, & exaudi me.*
13 *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.*
14 *Ne auertas faciem tuam à me : ne declines in ira à ſeruo tuo.*
15 *Adiutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.*
16 *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.*
17 *Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.*
18 *Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.*
19 *Credo videre bona Domini in terra viuentium.*
20 *Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.*

ram, vt inhabitem in domo Domini
omnibus diebus vitæ meæ: vt videam
voluptatem Domini, & [d] viſitem
templum eius.
5 Quoniam abſcondet me in taber-
naculo ſuo in die [e] malorum, abſcō-
det me in abſcondito tabernaculi ſui:
in petram exaltabit me.
6 Et nunc [f] exaltabit caput meum
ſuper inimicos meos, qui circum me
ſunt, & [g] immolabo in tabernaculo
eius [h] hoſtiam vociferationis: canta-
bo & pſalmum dicam Domino.
7 Audi Domine vocem meā (quâ)
clamo : & miſerere mei & exaudi
me.
8 [i] De te dixit cor meum, [l] Require
ô facies mea : faciem tuam Domine
requiram.
9 Ne [m] auertas faciem tuam à me,
ne declinare ſinas in iram ſeruum
tuum, [n] adiutor meus fuiſti: ne de-
relinquas me, neque deſeras me, Deus
ſalutis meæ.
10 Quoniam pater meus, & mater
mea dereliquerunt me: Dominus au-
tem aſſumpſit me.
11 Doce me, Domine, viam tuam, &
[o] dirige me in ſemitā rectâ : propter
inimicos meos.
12 Ne tradideris me in animam tri-
bulantium me : quoniam inſurrexe-
runt in me teſtes mēdaces, & loquens
[p] iniquitatem.
13 (Defeciſſem) niſi crediddiſſem vi-
dere [q] bona Domini in terrâ viuen-
tium.
14 Expecta Dominum, [r] viriliter
age, & [ſ] confortetur cor tuum: & ex-
pecta Dominum.

d vel *quærā in templo eius.*
e heb. *mali,*
f *exaltabitur*
g *ſacrificabo*
h *ſacrificia*
i vel *Pro te*
l vel *Requirite faciem meam:*
m heb. *abſcondas*
n heb. *auxilium meum*
o *duc*
p ad verb. *iniuriam, violētiam.*
q *bonum*
r *corrobora te,*
ſ vel *roborabit*

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *STatim initio pſalmi Dauid poſt crebra & maxima pericula Dei ope ſuperata fortem ſe & animoſum factum affirmat quidem, vt nihil iam extimeſcat: ſed quoniam tamen ſine Deo, otio, quo iam ipſe fruebatur, diutius potiri ſe non poſſe intelligebat, Deum rogat, vt perpetuam ſibi pacem, perpetuum otium ab hoſtibus concedat, quò deinceps domum Domini quotidie adire liceat, vbi ab omni hoſtium incurſione & inſidijs tutus ſit. Addit & alteram precationem, quæ tamen eòdem tendit, quà petit à Deo, ne ſe implicari negotiis ſecularibus ſinat, néve iratus auerſetur ac deſerat, cui hactenus ſemper adfuit, ſed doceat quam viam debeat inſiſtere, imò per rectam viam deducat, nec patiatur in bellis gerendis detineri, à cultu diuini numinis abductum. Obſeruat Ezra ad verſum quartum videri ſibi hunc pſalmum à Dauide ſcriptum, cùm ſenex eſſet, &* iuraſſent illi viri eius *(vt eſt 2. Sam. 21. 17.)* dicentes, Non egredieris vltrà nobiſcum in bellum. *Hoc & mihi videtur.*

1 *Dominus lux mea*, &c. Sententia plana eſt, Quando Deus lux eſt & ſalus mea, nemo profectò eſt quem timere debeam. *Lucem* opponit ærumnis & calamitatibus, quę inſtar tenebrarum habent, cùm ſalus & liberatio ex ærumnis ſit inſtar ſplendidæ cuiuſdam lucis. *Dominus fortitudo vitæ meæ*, hoc eſt, vitam meam aduersùs quoſuis inſultus hoſtium tutatur: idcirco nemo eſt quem expaueſcam. Nam ſi Deus eſt pro me, quis contra me? Propoſitio eſt in hoc verſu.

2 *Dum appropinquarent aduerſum me* &c. In hoc verſu, quò magis ſuam in Deo fiduciam confirmet, in memoriam reuocat, quot victorias de tot potentiſſimis & atrociſſimis hoſtibus tulerit. *Dum appropinquarent*, iuxta alios, *congrederentur*, aut *cominus pugnarent*. *Vt ederent carnem meam*, hoc eſt, vt me totum vno momento conficerent, ac veluti deuorarent ferarum more. Chald. habet *vt comminuerent* (ſeu *conciderent*) *carnem meam*.

3 *Si conſiſtant aduerſum me caſtra*. Senſus, Cùm ita ſit, & toties expertus ſim cecidiſſe qui meo capiti imminebant, ſi me ſolum & imparatum ab omnibus hoſtium caſtra nũc circunſedeãt, ſtabo tamen imperterrito animo. Eòdem ſpectat ſequens membrum.

In hoc &c. *in hoc*, quòd Dominus eſt lux, & ſalus mea, quódque iam ſæpe illius opem in hoſtibus profligandis expertus ſum. בְּזֹאת *bezoth*, ad verb. *in hac*, quod bene Latinus reddidit per neutrum genus *in hoc*: Hebræi enim pro neutro genere, quod ignorant, fœmininum genus vſurpare ſolent, vt obſeruat B. Hieron. ad cap. 7. Eccl. Habes exemplum mox initio verſ. 4. אַחַת *achath*, ad verb. *Vnam*, pro *Vnum*.

4 *Vnum petij à Domino*, &c. Senſus, Spero equidem, & id ſatis exploratum habeo, ſi me omnes hoſtium copiæ circunſedeant, tamen nihil mihi periculi fore. Verùm longè mihi gratius fuerit, idque vnum omnibus votis exopto, ac precor à Domino, nec deſinam vnquam precari, *vt inhabitem* ſeu *ſedeam*, id eſt, vt mihi deinceps ſemper liceat ſedere ac verſari, *in domo Domini*, hoc eſt, in loco, vbi erat Arca, & vbi Sacerdotes, Leuitæ, Doctores, & pij quique Dei cultores frequentes erant, & cultui diuino vacabant. Petit ſcilicet à Deo perpetuam pacem, & otium ab hoſtibus, quò liberiùs ſacram ædem adire poſſit, ibíque in ſanctorum communione ſecura Deo ſeruire libertate: non vt profani, qui pacis bono peruersè vtuntur, indulgentes deliciis & voluptatibus. Eòdem ſpectat quod ſequitur, *vt videam voluptatem* (ſeu *amœnitatem*) *Domini*, id eſt, pulcherrimum illud diuinæ Maieſtatis domicilium. *Videam voluptatem* &c. ad verb. *videam in voluptate* ſeu *amœnitate*. Verbum חָזָה *chaza*, quod eſt *videre*, conſtructum cum בְּ id eſt, *in*, ſignificat videre cum voluptate, vt hoc loco. Sic & רָאָה *raa*, quod occurret verſu 13. *Et viſitem templum eius*, ſingulis matutinis: nam id propriè verbum hebræum בִּקֵּר *bikker*, ſignificat. Alij vertunt, *& quæram in templo eius*, ſup. ipſum Deum, quod fortaſſe magis eſt ad verbum: ſiquidem in Hebræo eſt בְּ *be*, id eſt, *in*. Per *templum Dei* locum ſeu tabernaculum Arcæ intellige, (nullum enim aliud tunc templum fuit) illum ſcilicet locum, quem Arcę ædificauerat, illúdque tabernaculum, quod ei tetenderat Dauid, vt eſt 1. Paral. 15. 1. vel illud Tabernaculum, quod fecerat Moſes in deſerto, & erat tunc in Gabaon.

5 *Quoniam abſcondet me* &c. Ratio voti: quaſi diceret, Certus enim ſum, quòd

Digitized by Google

tunc,quæcunque ingruant mala, *abſcondet*
me in tabernaculo ſuo, hoc eſt,in ſanƈta ſua
æde, ibique me ab hoſtibus tutum præſta-
bit,quaſi in alta petra conſtitutum. Alludit
fortaſſe hoc verſu ad morem etiam in ſua
gente vſitatum, quo alicuius criminis rei,
vel quibus periculum grauius imminebat,
cõfugiebant ad aras, vnde ſine ſummo pia-
culo auelli non poterant. Sic Ioab *fugit in*
tabernaculum Domini, (tabernaculum cum
Kimhi intellige vbi erat Arca) *& apprehen-*
dit cornua altaris: 1. Reg 2. 28. Nec ta-
men illi profuit, quòd, vt obſeruat ad
locum illum libri Reg. Leui Ben Gerſom,
ipſe ſciens,& prudens cædes patraſſet. Aſy-
lum autem, vt videre eſt Ioſ. 20. 3. tantùm
ei proderat, qui hominem errore, & im-
prudenter occidiſſet. Sed hoc non eſt hu-
ius loci.

6 *Et nunc exaltabit* &c. vel potiùs *exal-*
tabitur: verbum enim hebraicum ירום *ia-*
rum, aliàs eſt neutrum, ſeu intranſitiuum,
quod vocant. Senſus huius verſus eſt, Ac
nunc, ſpero, me tutum ab hoſtibus præ-
ſtabit, ac deinceps Dei beneficiorum me-
mor *immolabo* ſeu *ſacrificabo* &c. *Ho-*
ſtiam (ſeu *ſacrificia*) *vociferationis* appel-
lat ſacrificia, quæ lætis canticis perage-
bantur.

7 *Audi Domine vocem meam*, &c. Sequi-
tur altera precatio, de qua in argumento.
Deum iam in ſecunda perſona alloqui-
tur.

8 *De te dixit cor meum*, &c. Senſus huius
verſus eſt, De te ſic dixi apud me, ac con-
ſtitui in animo meo, *Require ò facies mea*
Deum, hoc eſt, Deum intuere, ad Deum te
conuerte. *Faciem tuam* &c. hoc eſt, ad te
nunc confugio, tuam opem imploro, te in-
tueor. Huc denique redit omnis verſus, Sua-
det animus, vt tibi ſupplicem, ac tibi ſup-
plico. Hic autem & præcedens verſus nil
aliud ſunt quàm præludium quoddam ad
ſequentem petitionem ſeu precationẽ, quæ
eòdem tendit, quò præcedens. Hoc ſenſu
accipit Kimhi hunc verſum. *De te*: heb.
לך *lecha*, quod Kimhi, & alij explicant *de*
te. Sic Gen. 20. 13. *dic* לי *li*, *de me*, *Frater*
meus eſt. ל non ſemper eſt nota Datiui. Vi-
de ad verſ. 3. pſ. 3. *Dixit cor meum*. Eodem
ſenſu hoc ait, quo pſ 16. 7. *noctibus increpue-*
runt me renes mei. Gallicè *mon cœur à dit*.

Requiram, vel *requiro*: nihil enim refert
ad ſenſum: & futurum ſæpe pro præſenti v-
ſurpatur, præſertim vbi ſignificatur conti-
nuus actus, vt hìc, quemadmodum iam ſæ-
pe annotatum eſt. Ad mentem Raſi verten-
dum aliter, *Pro te dixit cor meum, Requirite*
faciem meam: &c. Hoc ſenſu, Tuo nomine,
ac tuis verbis dicit mihi cor meũ, *Requirite*

A omnes *faciem meam*: ego verò audiens vocẽ
cordis mei *faciem tuam, Domine, requiram*.
Sic ferè Raſi, qui לך *lecha*, exponit *pro*
te, vice tui, *au lieu de toy*, quaſi dicat Da-
uid, Pro te venit ad me cor meum dictum
ſic, ita enim habet ad verbum. Porrò vt
probet לך *lecha*, ſignificare *pro te*, citat
ex verſu 8. 13. Iob, *nunquid* לאל *lael*, *pro*
Deo contendetis, vbi ל ſignificat *pro*. Citat
& alium locum.

9 *Ne auertas* (heb. *abſcondas*) *faciem*
tuam &c. Explicat ſequentibus verſibus
B ſuam petitionem, quidque animus ſuaſe-
rit, vt poſtulet. *Ne auertas* &c. Senſus eſt,
Faciem tuam, quam requiro, ne auertas à
me. *Ne declinare ſinas in iram*, hoc eſt ex
Kimhi, in negotia ſecularia, quæ *ira* ſunt
& indignatio ei, qui illis implicatur. Ad
mentem Raſi vertendum, *ne inclines* (id eſt,
ne proſternas) *in ira ſeruum tuum*. Chal-
dæus habet, *ne declines in ira ad ſeruum*
tuum. Potes vertere, *ne abijcias (auertas) in*
ira &c. hoc eſt, ne iratus auerſeris, ac reii-
cias me ſeruum tuum.

10 *Quoniam pater meus* &c. Pater & ma-
C ter me quidem in lucem ediderunt; at mo-
rientes deſeruerunt: tu verò me ſemper
collegiſti. Sic Ezra. Vel, vt vult Raſi, pa-
rentes ſoli voluptati intenti de me pro-
creando non cogitabant: at Deus mei cu-
ram geſſit, méque efformauit. Aliter Kim-
hi, poſt parentum educationem tu me col-
legiſti: quaſi dicat, prouidiſti mihi de iis
quæ ad victum & cultum neceſſaria eſſent.
Quando igitur ego ſum opus manuum
tuarum, méque collegiſti hactenus, *Doce*
D *me, Domine*, &c.

11 *Propter inimicos meos*. Nam qui ho-
ſtibus vult eſſe ſuperior, debet ſtudere,
quantùm poteſt, pietati in Deum, vt qui-
dam ex Hebræis hìc obſeruat, teſte Ezra.
Senſus eſſe poteſt *propter inimicos meos*, qui,
ſi vel tantillùm aberrauero à viis tuis, aut
triumphabunt ruinam inde meam ſperan-
tes, aut exemplo offendentur. Simile oc-
currit pſ 5. 9.

12 *Ne tradideris me in animam* &c. Sen-
E ſus eſt, Ne permittas me voluntati, ac deſi-
derio hoſtium, qui me cupiunt auocare à
tuo cultu, bellis perpetuò occupatum.
Quòd *anima* voluntatem ac deſiderium ſi-
gnificet, apparet ex Geneſ. 23. 8. *Si eſt cum*
anima veſtra, id eſt, ſi vobis voluntati &
cordi eſt, vel, vt eſt in Vulgata, *Si placet*
animæ veſtræ. *Quoniam inſurrexerunt*
&c. ſcio enim non deeſſe etiam nunc mul-
tos, qui de me acerbiſſimè loquãtur, mihí-
que perniciem intentent. Et certè iamdu-
dum defeciſſem *niſi crediaiſſem* &c.

13 *Niſi crediaiſſem* &c. Raſi ſic coniun-

git cum poſteriore membro præcedentis verſus, niſi credidiſſem in Dominũ, iam inſurrexiſſent in me teſtes illi mendaces, méque dudum euertiſſent. Igitur ad mentem illius vertendum, *quoniam inſurrexiſſent* &c. *Niſi credidiſſem* &c. Sic Ezra coniungit, Ac parum abfuit, quin hoſtes ſuperiores me fuerint, niſi credidiſſem in Dominũ, méque ipſe confirmaſſem his verbis, *Expecta Dominum*, &c. Sed malo ſupplere *Defeciſſem*, quaſi diceret, Iamdudum deſpõdiſſem animum tot hoſtium technis appetitus, tot iniuriis exagitatus, niſi certam ſpem habuiſſem me aliquando æternis bonis in altera vita, quæ ſola vera vita eſt, fruiturum. Vel certè, Iamdiu defeciſſem prorſus, niſi certò confidiſſem me Dei beneficiis adhuc fruiturum in his terris. Sed de hoc ſenſu ad finem verſus. Supplendum hîc profectò videtur prædictum verbum. Porrò ſatis frequentes ſunt eiuſmodi reticentiæ, & apoſiopeſes, & iratis imprimis aptæ ſunt, qui ſermonem ſolent concidere: hîc autem Dauid aduersùs hoſtes videtur excandeſcere. *Videre bona.* Ad verb. *videre in bono*, hoc eſt, frui bono. Nam verbum רָאָה *raa*, quod eſt *videre*, cum ב id eſt, *in*, constructum voluptatem ferè dicit, aut certè dolorem ac triſtitiam, ſi in malum ſumitur. De hac re conſule lexica. *In terra viuentium. Terram viuentium* pro loco vitæ æternæ appellat: etſi enim non eſt locus animæ in terra, nihilominus fœlicitas futuri ſeculi ac beatorum ſedes metaphoricῶs *terra viuentium*, hoc eſt, *Paradiſus*, ſeu, *Hortus Eden* vulgò appellari ſolet, quòd in terris non ſit amœnior locus: ſicut econtrà locus vbi dæmones, & damnatorum animæ pœnas luunt, metaphoricῶs vocatur *Gehenna*, quod nomen fuit loci cuiuſdam prope Hieroſolyma, quò ſordes & cadauera proiiciebantur, ibique igne, qui illic perpetuò ardebat, cremabantur: quo loco nullus in terris fuit vilior ac ſordidior. *Terra viuentium*, ſeu *vitæ* ſignificat propriè paradiſum voluptatis, ſeu hortum Eden, in quo ſemper vixiſſet Adam, & ex quo ſtatim atque eiectus eſt, morti fuit mancipatus: metaphoricῶs verò beatorum domicilium, in quo ſolùm verè viuitur, & extra quod vita mors eſt. Sic quidam Hebræorum, ac præſertim Kimhi, *terram viuentium* interpre-

A tantur. Sed ſimplicius erit *terram viuentium* interpretari cœleſtem illam regionem, quam incolunt animæ beatæ, vbi vera vita degitur: noſtra enim, quæ dicitur vita, mors eſt. Chaldæus interpretatus eſt *terram vitæ æternæ*. Ego per *terram viuentium*, terram hanc rectè intelligi poſſe exiſtimo, quaſi diceret Dauid, Iamdiu deſpondiſſem animum, niſi ſemper ſperaſſem futurum, vt Dei beneficiis in his terris adhuc fruerer. Hoc ſenſu Ezechias apud Eſ. cap. 38.11. quum vitæ ſuæ finem adeſſe intellexiſſet,

B *Non videbo*, inquiebat, *Dominum, Dominum in terra viuentium*: perinde quaſi diceret, Non igitur ampliùs dabitur mihi contemplari in his terris ſacram illam Domino ædem, vel Arcam Domini, quæ interdum in ſacris litteris *Dominus* appellatur. Peccaret vehementer, vt ego quidem arbitror, qui in hoc Eſ. loco *terram viuentium* cœlum ac domicilium beatorum ſpirituum interpretaretur. Quid? Deſperaret Ezechias rex pientiſſimus atque ſanctiſſimus Deum ſe viſurum in cœlo? Verùm, quando nihil aliud eſſet, illius verſus poſterius

C membrum, quod prioris duntaxat declaratio eſt, *non aſpiciam hominem vltrà cum habitatoribus orbis*, nimis perſpicuè oſtendit in præcedente membro per *terram viuentium* terram hanc eſſe intelligendam: etſi Raſi domum Sanctuarij interpretatur, ſed myſticè, aut liberiùs, ſuo more. Pſ. 116. 9. *Ambulabo coram Domino in regione (in terris) viuorum* ſeu *viuentium*, id eſt, in his terris.

14 *Expecta Dominum.* Contemplatione æternorum bonorum, aut ſpe quam habet

D Deum ſuas preces exauditurum, ſeipſum Dauid excitat, ac bene deinceps ſperare iubet. Hîc quoque fortaſſe eſt reticentia ſupplenda hunc in modum, & niſi mihi ipſe dixiſſem *Expecta* &c. vel aliquid ſimile ſubaudiendo. *Confortetur*, vel potiùs *roborabit*, ſup. Deus, *cor tuum*, ſi fortem te præbueris in viis eius. *Et expecta Dominum.* Quòd ſi non admittatur tua oratio, rurſum adi *&* *expecta Dominum.* Sic Raſi ad hoc vltimum membrum. Vel idem repetit, vt oſtendat nunquam ſe depoſiturum ſpem, quam in Deo habet: vel vt magis ſe excitet.

Digitized by Google

PSALMVS

XXVII. XXVIII.

VERSIO

VETVS.

PSalmus ipſi Dauid.

Ad te Domine, clamabo, Deus meus ne ſileas à me: nequando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum.

2 *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.*

3 *Ne ſimul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.*

4 *Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.*

5 *Da illis ſecundùm opera eorum, & ſecundùm nequitiam adinuentionum ipſorum.*

6 *Secundùm opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipſis.*

7 *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opere manuum eius deſtrues illos, & non ædificabis eos.*

8 *Benedictus Dominus: quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.*

9 *Dominus adiutor meus, & protector meus: in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum.*

10 *Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.*

11 *Dominus fortitudo plebis ſuæ: & protector ſaluationum chriſti ſui eſt.*

12 *Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vſque in æternum.*

NOVA.

DAuid.

Ad te, Domine, clamabo, [a] Deus meus ne ſileas à me: nequando taceas à me, & aſſimiler deſcendentibus in foueam.

2 Audi vocem deprecationis meæ, dum clamo ad te: dum attollo manus meas ad adytum ſanctitatis tuæ.

3 Ne trahas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem: loquentibus pacem cum proximis ſuis, [b] mala autem in cordibus eorum.

4 Da illis ſecundùm [c] opera eorum, & ſecundùm nequitiam facinorum ipſorum: ſecundùm [d] opera manuũ eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipſis.

5 Quoniam non aduertunt ad opera Domini, & ad [e] opera manuum eius, [f] deſtruet illos, & non [g] ædificabit eos.

6 Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.

7 Dominus fortitudo mea, & ſcutum meum, in ipſo ſperauit cor meũ, & adiutus ſum, & exultauit cor meũ: & cantico meo confitebor ei.

8 Dominus fortitudo eis, & fortitudo ſalutum chriſti ſui eſt.

9 Saluum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: & [h] rege eos, & extolle illos vſque in [i] æternum.

a ad verb. *Petra mea*
b heb. *malum*
c heb. *opus*
d heb. *opus*
e heb. *opus*
f vel *deſtruat*
g vel *ædifices*
h *paſce*
i vel *ſeculum.*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *DAuid petit inſtanter à Deo, vt qui hactenus ſibi in profligandis hoſtibus adfuit, deinceps adſit in regenda vita, nec ſe permittat impiorum conſuetudine corrumpi, atque adeo vnà cum illis æternùm perire. In fine Pſalmi votum concipit pro totius populi ſalute. Apparet hunc quoque pſalmum eiuſdem eſſe argumenti cum præcedente, & à Dauide conſcriptum, quum cunctis bello domitis, & exteris, ac domeſticis motibus compreſſis, florentiſſimum regnum in pace haberet, ac ſummo otio frueretur; quo quia impij ad ſuam & aliorum perniciem abuti ſolent, idcirco verſu 3. quo huius carminis propoſitio præſertim continetur, Deum rogat, ne ſe impiorum conſuetudine corrumpi, vnàque cum illis perire patiatur.*

1 *Deus meus*: ad verb. *Petra mea*: ſic enim appellatur Deus, in quo ſcilicet, tanquam in petra, aduerſus omnes iniurias tuti conſiſtimus. Obſeruat Ezra dicere *Petra mea* cõtra illud *deſcendentibus in foueam. Ne ſileas à me*. Senſus eſt, ne obmuteſcas ad meas preces: vereor enim *nequando taceas à me*, &c. hoc eſt, ne ſi fortè meas preces reſpuas, *aſſimiler deſcendentibus in foueam. Foueam* infernum interpretare. Kimhi Gehennam exponit. Hebræum בור *bor*, propriè eſt foſſa exciſa ad colligendum aquas pluuias, & inde transfertur ad carcerem & ſepulchrum, quòd in foſſa fiant, indéque tandem ad infernum, qui animarum damnatarum carcer eſt, ac veluti ſepulchrum. Hanc vocem Latinus *lacum* ſolet interpretari.

2 *Dum attollo manus meas*, ſicut qui opem alterius implorat. *Ad adytum ſanctitatis tuæ*, hoc eſt, in cœlum, quod aliàs vocatur *templum*, & *mons ſanctitatis*, ſicuti alibi notauimus. Mos iſte ac ritus apud quaſcumque vel profanas Gentes ſemper vſurpatus fuit, hodiéque vſurpatur, vt in aduerſis, & quum premunt mala, cœlum versùs manus & oculos attollant. Scilicet natura ipſa docet in malis ad Deum confugere, & geſtum illum, quem diximus, extorquet etiam atheis & idololatris. Accipe, ſi vis, *adytum*, vt ſonat, pro loco in quo erat Arca, qui adytum vocabatur, erátque inſtar ſcalæ, (ſic loquitur Kimhi) per quam aſcendebat oratio ad Deum: quo ſenſu intelligi vult idem Kimhi illud 2. Paral. 30. 27. *& exaudita eſt vox eorum, peruenitque oratio eorum ad habitaculum ſanctitatis eius, ad cœlum*, quaſi diceretur, ad Arcam, deinde ad cœlum.

3 *Ne trahas me* &c. Senſus eſt, Ne moriar morte impiorum. Sic pſal. 26. 9. *Ne congreges cum peccatoribus animam meam*, &c. In eadem ſignificatione verbum *trahendi* ſumitur Iob 21. 33. *& poſt ſe omnem hominem trahet*, ſcilicet ad mortem. A *Loquentibus pacem* &c. hoc eſt ex Kimhi, ſceleratis, qui plerumque bene loquuntur lingua, cùm malè corde conſultent, vt quidam ait. Sic ferè Kimhi. Raſi interpretatur *ne trahas me*, ne deducas me, *attire moy*, ſic enim Gallicè exponit, omiſſa negatiua. Eodem modo Ezra, qui explicat, Noli facere, aut permittere vt commiſcear cum impiis, & pertrahar vnà cum illis. Vide ſimile pſal. 26. 9. Caue legas hîc *tradas*, vt eſt in quibuſdam exemplaribus Latinis: nam repugnat Hebraicum & Græcum. B

4 *Da illis ſecundùm opera eorum*, &c. Sceleratis imprecatur pietatis & Dei contemptoribus. *Redde retributionem eorum ipſis*, id eſt, repende dignam illorum factis mercedem.

5 *Quoniam non aduertunt* &c. Senſus, non dant operam cultui diuino, duntaxat aduertentes animum ad ſeculi vanitates, quarum periti exiſtunt, iuxta illud Ier. 4. 22. *ſapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt.* Dicit *opera Domini*, necnon C *opus manuum eius*, quòd operum Dei contemplatio ad eius cultum pertineat, operũ ſcilicet quæ quotidie in natura fiunt, tum in cælo, tum in terra; ex quibus Dei potentia, & quòd ab eo ſint omnia, vt à cauſa prima, manifeſtè apparet. Quo ſenſu Rabbini dicunt, *Opus Domini non cernunt, nec opus manuum eius vident*, de iis qui non conſiderant reuolutiones & planetas. Sic ferè Kimhi. Ezra obſeruat in hoc verſu dicere *opera Domini* πρὸς τὸ ſuperioris verſus D *opera eorum*; necnon *opus manuum eius* πρὸς τὸ *opus manuum eorum*: vt ſit ſenſus, Si conſiderarent opera Domini, non operarentur iniquitatem. *Deſtruet*, vel, *deſtruat*, vt ſit vel prædictio, vel potiùs precatio, ſicut in præcedentibus verſibus. Kimhi vult eſſe precationem. *Et non ædificabit*, vel, *ædificet eos.* Senſus eſt, ita cadant, vt nunquam vltrà reſurgant.

Digitized by Google

6 *Benedictus Dominus*. Gratias Deo agit, A qui hactenus ſuas preces admiſerat, victoriam ſemper de hoſtibus concedens. Vel fortè ſecurus repulſæ, & certus omnino ſe exaudiendum vtitur præter. pro fut. quemadmodum & Prophetæ ſolent.

7 *Dominus fortitudo mea*, &c. Quæ dicuntur hoc & ſequente verſu, perſpicuè oſtendunt Dauidem perfunctum bellis & periculis, & in altiſſima pace degentem conſcripſiſſe hunc pſalmum. Kimhi hunc verſum ad illud refert, quod 2. Sam. 21. narratur de Ieſbi-benob, qui Dauidem laſſulum B conſpicatus, illum eſt aggreſſus, voluítque conficere, atque haud dubiè confeciſſet, ni Abiſaï Saruiæ filius repentè ſuperueniens ei opem tuliſſet, hoſte trucidato: quo regis periculo grauiter commoti qui erant in caſtris, iureiurando eum obteſtati ſunt, ne in poſterum intereſſet prœliis. Sic ferè ergo hunc verſum explicat Kimhi: *Dominus fortitudo mea*, &c. quippe qui me à Ieſbi-benob vindicauit. *In ipſo ſperauit cor meum*, etiam in ſummo illo diſcrimine, ipſum ſcilicet mihi adfuturum. *Et adiutus ſum* ab Abiſaï, C iuxta illud 2. Sam. 21. 17. *Præſidióque ei fuit* (ſeu *Et auxiliatus eſt ei*) *Abiſai filius Saruiæ*. Omitto lubens, quæ ipſe habet ad reliquam partem verſus. Acciperem hoc, quod ait Dauid in hoc verſu, dictum in genere. *Cantico meo*, hoc eſt, illo carmine, quod ſoleo habere in ore. Raſi putat canticum illud contineri ſequente verſu.

8 *Dominus fortitudo eis*, &c. *Eis*, hoc eſt, iſti populo, qui coram me eſt: iſtis meis militibus. Indicabat manu, quos diceret. Vel dic eſſe relatiuum abſque antecedente, vt fit interdum in ſacris litteris: exemp. gr. Num. 24. 17. *Video eum, ſed non modò*: &c. & alibi paſſim. Tunc ſcilicet interdum omittitur antecedens, quum notius eſt, quàm vt exprimi neceſſe ſit, vt hoc loco: vel quũ ipſum ſileri intereſt, vt loco Num. citat. vel aliqua alia de cauſſa. Pro *eis* Græcus & Latinus habent *plebis ſuæ*, ſiue quòd legerint fortaſſe עמו *ammo*, id eſt, *populi ſui*, vbi hodie למו *lamo*, id eſt, *eis*, ſiue quòd rem magis, quàm vocem ſpectarint, &, vt aliàs ſæpe faciunt, perſpicuitati ſtuduerint. *Fortitudo ſalutum Chriſti ſui eſt*. De ſe loquitur in tertia perſona. *Salutum*. Emphaticè vſus eſt numero multitudinis, vt ſignificaret non ſemel tantùm, ſed multoties ſe à Deo eſſe ſeruatum. *Chriſti* (ſeu *vncti*) *ſui*, hoc eſt, regis quem ipſe elegit, atque inungi voluit. Si non ſentis cum Raſi, qui putat hoc verſu contineri canticum, cuius facta eſt mentio in ſuperiore verſu, dicito eadem perſequi hîc Dauidem, quæ ſuperiore verſu.

9 *Saluum fac populum tuum*, &c. Hactenus pro ſe ſolo: nunc pro ſalute ac fœlicitate vniuerſæ gentis Deum precatur. *Rege eos*: ad verb. *paſce eos*. *Extolle illos* ſupra alios populos, iuxta Kimhi. Vel *extolle illos*, id eſt, conſtitue eos in alto loco, quò vis hoſtilis non poſſit pertingere. Vel *extolle illos*, id eſt, da illis omnia neceſſaria, quo modo dicimus Gallicè *eſleuer quelqu'vn*: quod optimè cum verbo *paſcendi* conueniet: ac ſic accepit R. Moſes: quo modo nimirum accipitur verbum hebraicum נשא *niſſe*, id eſt, *extollere*, Eſd. 1. 4. vbi legitur ad verb. *extollent eum viri loci ſui argento & auro*, &c. *extollent* ſeu *eleuabunt*, id eſt, ſubleuabunt ſeu adiuuabunt eum. *Vſque in æternum*. Senſus eſt, non tantùm precor pro iſtis, ſed etiam pro omnibus qui poſtea futuri ſunt.

Digitized by Google

PSALMVS

XXIX. XXVIII.

VERSIO

NOVA.

PSalmus Dauid.

Date Domino filij fortium: date Domino gloriam, & fortitudinem.

2 Date Domino gloriam nominis eius: adorate Dominum in decore ſanctitatis.

3 Vox Domini ſuper aquas, Deus [a] maieſtatis intonat: Dominus ſuper aquas multas.

a *gloria*

4 Vox Domini in virtute: vox Domini in [b] magnificentia.

b *decore.*

5 Vox Domini confringit cedros, & confringit Dominus cedros Libani:

6 Et exilire facit eas tanquam vitulum: Libanum & Sarion, quemadmodum filium vnicornium.

7 Vox Domini excidit flammas ignis.

8 Vox Domini [c] concutit deſertum: concutit Dominus deſertum Cades.

c vel *contremiſcere facit* vel *parturire facit*

9 Vox Domini parturire facit ceruas, & denudat ſyluas: & in templo eius omnes dicunt gloriam.

10 Dominus ad diluuium [d] ſedit, & [e] ſedit Dominus rex in æternum.

d vel *ſedet,*

e vel *ſedet*

11 Dominus fortitudinem populo ſuo dabit: Dominus benedicet populo ſuo in pace.

VETVS.

PSalmus Dauid, in conſummatione tabernaculi.

Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum.

2 *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio ſancto eius.*

3 *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.*

4 *Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.*

5 *Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani:*

6 *Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium.*

7 *Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis deſertum: & commouebit Dominus deſertum Cades.*

8 *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa: & in templo eius omnes dicent gloriam.*

9 *Dominus diluuium inhabitare facit: & ſedebit Dominus rex in æternum.*

10 *Dominus virtutem populo ſuo dabit: Dominus benedicet populo ſuo in pace.*

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumentum.

D*Auid, vt apparet, in ingenti aliqua ac turbulenta aëris tempeſtate hoc carmen conſcripſit, exemplar futurum poſtea, quoties ingrueret vehementior tempeſtas. In eo autem, quaſi nactus occaſionem, ipſos præſertim principes compellat, atque hortatur, ne ſuarum virium fiducia tumeant, ſed potiùs agnoſcant, ac celebrent immenſam Dei potentiam, qui, vt proceras cedros tonitru quotidie diſturbat, ſic fortiſsimos quoſque principes, quando vult, facilè poteſt euertere. In fine animum ſuum aduerſus vim tempeſtatis munit exemplo diluuij, quo vniuerſum genus humanum ita deletum eſt, vt Noë tamen cum ſua familia ob ſtudium pietatis ſingulari Dei beneficio ſeruatus ſit.*

1 *Date Domino* &c. Duobus primis verſibus continetur propoſitio pſalmi. *Filij fortium* ſeu *Deorum*. Accipe, vt ſonat, pro principibus & potentibus viris. Kimhi pro Iſraëlitis accipit, qui ſunt filij Abraham, Iſaac, & Iacob, qui verè fortes fuerint. Chald. *cœtus Angelorum* interpretatur: Ezra *filios Dei*, per quos ſtellas, & aſtra intelligit, vt & Iob 38. 7. vbi idem eſſe vult *filij Dei* in poſteriore membro verſus, quod *ſtellæ luminis* in priore. Sed quæ in his verſibus dicuntur, non facilè ſtellis conuenire poſſunt, etſi ille conetur ad illas accommodare. Græcus & Latinus, quia vocabulum אֵלִים *elim*, poteſt etiam *arietes* ſignificare, volentes vtramque ſimul vocis ſignificationem ſeruare, vertunt *Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filiòs arietum*: quibus verbis prius tantùm hemiſtichium interpretati ſunt, ſed duplici modo propter duplicem vocabuli אֵלִים *elim*, ſignificationem, quod & *Deos*, ſeu *Deum* iuxta Ezram, vt notauimus, necnon *arietes* poteſt ſignificare. Quòd enim poſt Aleph non habet Iod, ſicuti ſolet, quando *arietes* ſignificat, id verò mirum videri non debet, quia in aliis ſimilibus nominibus interdum excidit littera Iod. Sed ſimplicius erit, & ad argumentum aptius *filios fortium*, ſeu, *deorum* principes, & potentes terræ interpretari, qui principum filij ſunt vt plurimùm, quos principes Sacra ſcriptura Deos interdum appellat, vt Exod. 22. 28. *Dijs non detrahes, (maledices,) & principi populi tui non maledices: Dijs*, id eſt, principibus, qui Dei vicem obtinent in terris, vel etiam, quod eódem redit, iudicibus, qui pro Deo ius dicunt in terris. Poſſes non incommodè vertere propter ſequens membrum, vbi vnius tantùm principis mentio fit, *Deo non maledices*, ita vt vnus etiam princeps Deus dicatur, ſicuti Moſes Exod. 7. 1. & 4. 16. Deus ab ipſo Deo nominatur. Sed hoc obiter dictum ſit.

2 *Gloriam nominis eius*: hoc eſt, gloriam A dignam eius nomine. *In decore ſanctitatis*, id eſt, in Sanctuario magnifico: quod Græcus, & Latinus interpretati ſunt *in atrio ſancto eius*, ſenſum tantùm ſecuti, vel potiùs quòd pro הַדְרַת *hadhrath*, fortaſſe legerint חֶדְרַת *chadhrath*, nimirum ח pro ה, ex חֶדֶר *chedher*, quod eſt *penetrale, conclaue*. Vide ſimile ad verſ. 9. pſ. 96.

3 *Vox Domini ſuper aquas*, &c. Argumenta proponit, quæ mouere principum animos debent, vt Dei potentiam agno- B ſcant. Ducit autem illa ex occaſione à tonitruis, quorum vis incredibilis immenſam Dei potentiam arguit. Tonitru *vocem Domini* nominat, vel quòd ſonus ille non tantùm naturæ vi, ſed etiam Dei virtute edatur: vel quòd è cœlis, ideóque à Deo, eſſe videatur. Sic Iob 37. 5. *Tonat Deus in voce ſua mirabiliter*. Eiuſdem cap. ver. 2. appellatur tonitru *vox Domini, & ſonus* (ſeu *locutio*) *de ore illius procedens*: & verſ. 4. *vox magnitudinis* (ſeu *magnificentiæ*) *eius*. Græcis φωνὴ Διὸς tonitru appellatur. *Super a-* C *quas multas*, hoc eſt, nubes, quæ ſunt eſſentialiter aqua.

4 *Vox Domini in virtute*, hoc eſt, vim habet admirabilem, & omnia concutit, ac tremefacit. *In magnificentia*: hoc eſt, magnificè, ac terribiliter incedit omnibus horrorem incutiens.

5 *Vox Domini confringit cedros*. Meminit cedrorum, quòd cedri inter cæteras arbores validæ maximè, & proceræ ſint: addítque *Libani*, quòd in eo monte maximè ſint proceræ, ideóque tonitrui, quod altiſſima D quæque ſolet concutere, magis obnoxiæ. Fortaſſe cedros Libani vt magis notas profert.

6 *Et exilire facit eas tanquam vitulum*: &c. Senſus, Exiliunt cedri tonitru concuſſæ atque agitatæ inſtar vituli: ipſi quoque montes, quos ſynecdochicōs nominibus Libani & Sarion complectitur, exiliunt inſtar catuli vnicornium, ac pene videntur à ſuis radicibus conuelli. Hyperbole eſt in

Digitized by Google

hoc verſu poëtica. & Sacris literis familiaris. Durior fortaſſe videri poſſit Latinis auribus comparatio à vitulo, & filio ſeu pullo vnicornium petita. Verùm eiuſmodi ſimilitudines à rebus quæ frequenter in oculos incurrunt, deſumptæ in Sacris literis paſſim ſunt obuiæ, & mirum quantam habeant ſuauitatem, quámque dulces ſint. Similis huic occurrit pſ. 114. verſ. 4. *Montes exultauerunt* (heb. *ſubſilierunt) vt arietes: colles ſicut agni ouium.* De *Sarion*, ſeu *Sirion* vide Deut. 3. 9. Cæterum hunc verſum aliter legerunt Græcus & Lat. Nam vbi nos וַיַּרְקִידֵם *vaiiarkidem*, *Et exilire fecit eas*, legerunt illi וַיָּדִקֵּם *vidhikkem*, vel וִירִיקֵם *virikem*, *Et comminuet eas.* Aliter quoque diſtinxerunt, & לְבָנוֹן *leuanon*, quod *Libanum* ſignificat, traxerunt ad *vitulum*, ſic vertentes, *tanquam vitulum Libani*: etſi in Græco τὸν λίβανον, pro quo legendum tamen puto τοῦ λιβάνου. Deinde vbi nos וְשִׂרְיֹן *veſchirion*, id eſt, *& Sarion*, non dubium eſt, quin legerint illi וִישֻׁרוּן *viſchurun*, *& dilectus.* Nam *ieſchurun*, Deut. 32. 15. Deut. 33. 5. Eſ. 44. 2. Græcus ἠγαπημένον interpretatur: Lat. quoque Deut. 32. verſu mox cit. *dilectum.* Eugubinus vix intelligi affirmat quorſum ſpectet *dilectus*: neque huius verſus Vulgatam editionem nititur explicare.

7 *Excidit* è nubibus.

8 *Concutit deſertum.* Alij vertunt *dolere facit:* alij *parturire facit:* alij *contremiſcere facit*: & *deſertum* ſynecdochicῶs pro feris deſerti accipiunt. Nominat autem *deſertum Cades*, quòd fuerit iſtud deſertum ingens, ac vaſtum, & in eo horrenda animalia.

9 *Ceruas.* Ceruarum meminit, quòd ægrè ac difficulter pariant: tonitrui autem metu perterrefactis venter aperiatur, fœtúſque excutiatur, vt obſeruant Ezra, & alij. Sed ſimplicius erit accipere, quaſi dicat ceruas tonitru perterrefactas ſæpe abortire. *Denudat ſyluas*, arbores diſiiciendo. *Et in templo eius* &c. Senſus

A eſt, atque tunc omnes in templum conueniunt (*templum* autem hoc loco appellat locum Arcæ) laudes Dei enarraturi, ac dicturi quæ ſequuntur.

10 *Dominus ad diluuium* &c. hoc eſt, Dominus olim diluuio præſedit: & exinde *ſedit Dominus rex in æternum*, hoc eſt, inde ab eo tempore cognitum eſt Deum regem eſſe æternum, quoniam tam ſeuerè ac potenter animaduertiſſet in impios, eóſque omnes ad vnum deleuiſſet, ſeruatis tantùm qui piè vixerant, Noë videlicet, vxore, filiis ac nuribus. Alij, à quorum ſententia non abſum, hunc verſum putant patere latiùs, & de quibuſcumque denſiſſimis imbribus, qui diluuij inſtar inter tonitrua ſolent erumpere, exponunt, ad iſtum ferme modum, Sed licet ita ſit, támque vehemens ſit tonitru, tam denſi imbres, vniuerſi vt orbis interitum minari videantur, tamen certò tenendum eſt, Deum iſta omnia ſuo conſilio & prouidentia moderari: ſedet enim & quaſi præeſt tempeſtatibus & aquarum alluuionibus Dominus, qui quaſi æternus atque immortalis rex vniuerſo præeſt mundo. Hebræi diluuium ad diluuium, quod fuit tempore Noë, reſtingunt.

B

11 *Dominus fortitudinem* &c. Senſus eſt, Idem ille Deus qui olim ſuis in diluuio adfuit, nunc nobis aderit, ne quid nobis detrimẽti, vel terroris hæc tẽpeſtas afferat.

C

Fortitudinem dabit aduerſus ipſa tonitrua, ne quid ſcilicet noceant: vel potiùs, ne propter illa quicquam expaueſcamus. *Benedicet populo ſuo in pace*, hoc eſt, ſaluum & incolumem præſtabit populum: *pax* enim incolumitatem etiam ſignificat. Si poſteriore modo præcedentem verſum accipis de quacumque tempeſtate, facilis eſt connexio huius cum illo, q. d. Præterea autem faciet Deus, nullum vt nobis tempeſtas iſta adferat detrimentum: vel, vt fortes nos aduerſùs illam tempeſtatem præbeamus, nec animo deficiamus in illo terrore, qui vndique nobis offunditur.

Digitized by Google

PSALMVS

XXIX. XXX.

VERSIO

VETVS.

PSalmus Cantici in dedicatione domus Dauid.
2 Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me: nec delectaſti inimicos meos ſuper me.
3 Domine Deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me.
4 Domine eduxiſti ab inferno animam meam: ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.
5 Pſallite Domino ſáncti eius: & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.
6 Quoniam ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius.
7 Ad veſperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.
8 Ego autem dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum.
9 Domine in voluntate tua, præſtitiſti decori meo virtutem.
10 Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.
11 Ad te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor.
12 Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?
13 Numquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam?
14 Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei: Dominus factus eſt adiutor meus.
15 Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia:
16 Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

NOVA.

PSalmus cantici dedicationis domus, Dauid.
2 Exaltabo te Domine, quoniam exaltaſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.
3 Domine Deus meus, clamaui ad te, & ſanaſti me.
4 Domine, [a] eduxiſti è ſepulchro animam meam: viuificaſti me [b] à deſcendentibus in foueam.
5 Pſallite Domino ſancti eius, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.
6 Quoniam momentum in ira eius, vita in voluntate eius: veſperi pernoctabit fletus, & manè (erit) lætitia.
7 Ego dicebam in tranquillitate mea, Non mouebor in æternum.
8 Domine, in voluntate tua ſtatueras in montem fortitudinem (meam:) [c] auertiſti faciem tuam, factus ſum conturbatus.
9 Ad te Domine clamaui, & ad Dominum deprecatus ſum.
10 Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in foueam? nunquid confitebitur tibi puluis? nunquid annuntiabit veritatem tuam?
11 Audi Domine, & miſerere mei: Domine, eſto adiutor [d] meus.
12 Conuertiſti planctum meum in [e] gaudium mihi: [f] concidiſti ſaccum meum, & accinxiſti me lætitia.
13 Propterea cantabit tibi gloria (mea,) & non tacebit: Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

a ad verb: *aſcendere feciſti*
b iuxta aliã lectionem, *ne deſciderem in foueam.*
c heb. *abſcondiſti*
d *mihi.*
e heb. *chorum*
f prop. *diſſoluiſti*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *F**Acit contextus, vt non omnino repugnem Ezræ, qui exiſtimat hunc Pſalmum compoſitum eſſe à Dauide in dedicatione domus ſuæ, (domus ſcilicet cedrinæ,) quæ inciderit in id tempus, quo emerſerat è morbo. Probari hæc ſententia poteſt ex titulo, vbi ſimpliciter legitur* domus, *non* domus Domini. *Caue referas* τὸ Dauid *ad nomen mox præcedens* domus : (*ſic enim dicendum potiùs fuerat hebraicè* בֵּית דָּוִד beth Dauid) *ſed ad* τὸ Pſalmus cantici. *Quo porrò tempore dedicatio illa facta ſit, dicetur poſtea. Scire tantùm nunc oportet, vnam ex imprecationibus, quibus eos Moſes deuouit, qui, neglectis Dei legibus, aduersùs earum præſcriptum agerent, hanc eſſe,* Domum ædificabis, & non habitabis in ea, *vt legere eſt Deut.* 28. 30. *Atque idcirco, imminente prælio, per præfectos renuntiabatur, ſi quis in caſtris eſſet, qui nouam domum ædificaſſet, neque illam dedicaſſet, (hoc eſt, iuxta Raſi, non habitaſſet in ea dedicatâ,) reuerteretur ipſe domum, ne ſi in prælio occumberet, alius eam dedicaret, vt legitur Deut.* 20. 5. *Propterea Dauid in hoc pſalmo, quem in dedicanda domo ſua cecinit, totus eſt in hoc, vt Deo gratias agat de valetudine reſtituta, per quam ſcilicet poteſtas ſibi facta eſſet dedicandæ domus, etſi nullam huius rei expreſſè facit mentionem. Verùm perſpicuè feſtum diem, qualis erat haud dubiè dies dedicationis domus, arguit verſus duodecimus. Hebræi ferè omnes per* dedicationem domus *intelligunt dedicationem templi: (Templum enim domum appellant:) alij templi primi: alij templi ſecundi: alij templi tertij, quod ipſi fruſtra iamdiu ſperant. Qui dedicationem templi ſecundi, aut tertij intelligunt, per morbum volunt in hoc pſalmo metaphoricè ſignificari captiuitatem. R. Moſes, qui dedicationem templi primi intelligit, dicit Dauidem, tunc cùm per Nathan Prophetam vetaretur extruere templum Dominó, doluiſſe, inque lachrymas iiſſe: quum verò ſtatim ab eodem Propheta audiſſet ædificatum iri Domino templum à filio Salomone; tunc ſubitò conuertiſſe luctum in gaudium, quòd filium tanquam ſe reputaret, ideòque haud ampliùs hoſtium iniurias reformidaret. Vult ergo Rabbi Moſes, quem dixi, morbo in hoc pſalmo dolorem animi ſignificari, qui quidem corporis morbo grauior ſit, iuxta illud Prou.* 18. 14. Spiritus viri fert infirmitatem eius : (*hoc eſt, perfert morbum eius:*) ſpiritum verò percuſſum quis feret ? *Ego cum Ezra* dedicationem domus *interpretor dedicationem domus Dauidis: per morbum verò, à quo ſe dicit liberatum, morbum corporis. Venit mihi tamen in mentem ſuſpicari* pſalmum cantici dedicationis domus *nihil aliud eſſe, quàm pſalmum decantandum eo cantici & muſicæ genere, cuius vſus eſſet in dedicatione domus; vel iis inſtrumentis muſicis, quorum in eo feſto vſus eſſet. Coniectura eſt, cuius ipſe mihi auctor ſum, ſed quam, ſpero, probabis, ſi animaduertas nullam hic prorſus fieri mentionem dedicationis domus.*

2 *Exaltabo te Domine*, &c. Propoſitio A continetur his verbis, quâ pollicetur Dauid celebraturum ſe atque exaltaturum Deum, qui ſe exaltarit ſcilicet atque extraxerit è faucibus mortis. Huic enim propoſitioni ſtatim in altera verſus parte ſubiicit rationem, cur velit Deum celebrare atque extollere, quam rationem duobus ſequentibus verſibus per congeriem amplificat, quò magis Dei beneficium augeat, atque adeo oſtendat teneri ſe eò magis ipſum agnoſcere ac prædicare: non quemadmodùm ſcelerati, qui Dei beneficia extenuant aut diſſimulant, quòd poſſunt, & cuiuis potiùs quàm Deo accepta referunt: aut ſi à Deo eſſe agnoſcunt, beneficiorum loco non habent, dum peruersè iis vtuntur, tantùm abeſt vt gratiam referant. *Exaltabo te* Ezra obſeruat opponi τῷ *exaltaſti me* veluti è puteo, in quem eram demerſus. Verbum enim דִּלָּה *dilla*, propriè ſignificat *in altum extrahere.* *Nec delectaſti* ſeu *exhilaraſti inimicos meos ſuper me.* Senſus, nec lætitiam hoſtibus meis obieciſti, qui me iamdiu extinctum cupiunt. *Super me.* Heb לִי *li*, quod hîc Chaldæus, & Raſi interpretati ſunt *ſuper me.* Vertere potes *de me*: vel *propter me*: eodem ſenſu. De hac vocula dictum ſæpiùs.

3 *Domine Deus meus, clamaui ad te*, &c. Perinde ac ſi diceret, Statim vt te inclama- B ui, adfuiſti, ac me priſtinæ valetudini reſtituiſti: non longius mihi morbi fuit ſpatium, quàm dum tuam imploro opem: tam velox Deus, potentia tua eſt, támque in omnes pariter intenta bonitas & accincta, *Plin. in Paneg.* vt triſtius aliquid paſſis ad remedium ſalutémque ſufficiat, vt ſcias. Ezra ſic habet ad hunc verſum, *clamaui ad te* ſolum, non ad medicum,

Digitized by Google

medicum, & ſanaſti me. *Sanaſti* accipio cum Ezra, vt ſonat, de corporis ſanatione. Raſi, Kimhi, & alij de peccatorum remiſſione, quæ animæ ſanatio eſt ſcilicet, intelligunt. Citat Raſi ex Eſa. 6. 10. illud, *& conuertatur, & ſanet eum* ſub. Deus, vbi verbum *ſanandi* dubio procul metaphoricè vſurpatur. Verùm vt interpreter hoc loco *ſanandi* verbum, vt ſonat, rigidè ac præciſè, facit præſertim verſus, qui ſequitur, necnon verſ. 10. qui grauem corporis morbum, quo tunc non ſine magno vitæ diſcrimine laboraret Dauid, videntur notare.

4 *Domine, eduxiſti* (*aſcendere feciſti*) *è ſepulchro animam meam*: &c. Facilis ac ſimplex ſenſus, Retraxiſti me quaſi è ſepulchro: me ex morte ad vitam quaſi reuocaſti. *Sepulchro.* Græcus & Latinus habent *inferno*: ſæpe autem vterque infernum ponit pro ſepulchro, vt iam aliàs dictum eſt. *A deſcendentibus* &c. Duplex hîc lectio. Scribitur quidem מִיּוֹרְדֵי *miioredhe*, hoc eſt, *à deſcendentibus*, hoc ſenſu, iuxta Kimhi, *viuificaſti me à deſcendentibus* &c. id eſt, ab iis me ſeparaſti: at legitur (ex Maſſoretarum ſcilicet correctione) מִיּוֹרְדִי *miiordhi*, hoc eſt ad verbum, *à deſcendendo me*, ſeu *ne deſcẽderem* &c. & ſenſus eſt, vitam mihi reſtituiſti, alioquin mox in ſepulchrum deſcenſuro. Vltimo modo legit Chald. hodiéque Hebræi omnes.

5 *Pſallite Domino* &c. Viro ſancto non ſatis eſt priuatim Deo gratias agere, ſed etiam ſanctos omnes ad hoc officium inuitat & hortatur. *Pſallite* &c. Idem enim vobis faciet Deus, quod mihi. *Sancti eius*, hoc eſt, qui ſanctè Deum colitis. *Memoriæ ſanctitatis eius*: magno videlicet, & glorioſo illi nomini יְהוָה quod eſt proprium nomen Dei, atque idcirco eius *memoria* ſeu *memoriale* peculiariter vocatur, iuxta illud Exodi 3. 15. *hoc nomen meum* (ſcilicet יְהוָה) *in æternum, & hoc memoriale meum in generationẽ (&) generationem.* Oſeæ 12. 5. יְהוָה *Dominus memoriale eius.* Et Hebræi nomen hoc vocitant אַזְכָּרָה *adhcera*, quod eſt μνημόσυνον, nempe quòd debeamus, hoc audito nomine, Dei omnipotentiam in memoriam reuocare: quippe quod Deum, vt ens abſolutè & ſimpliciter, ſignificet: nihil enim aliud eſt יְהוָה à radice הָיָה *haia, fuit*, quàm *qui eſt, ens*, ſeu, vt cum Platone loquar, τὸ ὄν, aut αὐτοὸν, eſtque nomen Dei proprium, vt oſtendit litera Iod, quæ præfixa ſolet formare nomina propria: ideóque longè ſanctius ſemper eſt habitum, & in maiore reuerentia, quàm reliqua Dei nomina: idcirco dicitur hîc cum adiuncto, *memoriæ ſanctitatis eius.*

6 *Quoniam momentum* &c. Senſus eſt, Nam ſi iraſcitur homini, momento & breui tempore iraſcitur: at ſi bene vult, diu bene vult: cúmque dicatur Exod. 20. 5. (inquit Kimhi) *viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem*, ſtatim verſ. 6. dicitur *faciens miſericordiam millibus*, ſcilicet generationibus. *Veſperi pernoctabit fletus*, &c. Senſus eſt, ſi quis veſpere in luctu fuerit pernoctatus, manè lætum nuntium accipiet. Colligere eſt ex hoc verſu Deum morbos magna ex parte immittere propter peccata. *Vitam* accipe hoc loco pro longo tempore: opponitur enim *momento*. Chald. hunc verſum interpretatus eſt ſic, *Propterea quòd hora indignatio eius: vita æterna* (ſeu *ſeculi*) *in bona voluntate eius: veſperi pernoctare faciet in fletu, & manè ſurgere faciet in cantico.* Ad mentem Ezræ vertendum eſſet, *veſperi pernoctabit (aliquis) in fletu, & manè (erit) in lætitia.* Huius loci eſt illud Eſa. 54. 7. & ſeq. *Momento paruo dereliqui te: & in miſerationibus magnis congregabo te. In modico iræ abſcondi faciem meam momento à te: & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.*

7 *Et ego dicebam in tranquillitate mea*, hoc eſt, in bona valetudine. *Non mouebor* &c. Nihil vnquam poteſt accidere, quod bonam valetudinem affligat. Accuſat ſe nunc Dauid ſtultæ ſecuritatis, quòd ſanus, vt fit, nihil de morbo cogitaret, ſed perpetuò ſanum ſe futurum crederet, nec Deum, niſi labefactata valetudine, adierit, cùm antea oportuiſſet. Quum porrò ſe accuſat, monere vult nos præſertim, quid integra valetudine facere debeamus, nempe Deum adire maturè, antequam nos inuaſerint morbi. Vulgò dicunt honorandum eſſe medicum ante neceſſitatem. Ita eſt de Deo. Nam quemadmodum æger diligentiore vtitur medico, quem bene valens ac ſanus obſequio atque officiis ſibi deuinxit: ſic nos ægri, aut afflicti benigniorem experiemur Deum, quem, viribus, aut rebus integris, coluerimus. Vulgò etiam aiunt aptis & ſalutaribus remediis morbis eſſe occurrendum, & ante languorem adhibendam medicinã, ſicuti dicitur Eccleſ. 18. 20. Quæ autem ſalutaria magis remedia, quàm aſſiduæ preces ad Deum, à quo eſt omnis medela; qui vulnerat, & medetur; percutit, & manus eius ſanant? *Eccl. 38. 2. Iob 5. 18.*

8 *In voluntate tua ſtatueras in montem fortitudinem* (*meam* ſup.) &c. Huius verſus hæc ſententia eſt: Singulari tuo fauore inſtar montis firmam ac robuſtam effeceras meam valetudinem: at, ſubtracto eodem

tuo fauore, illico percuſſus ſum, & affectus grauiter. Alij vertunt *ſtabiliuiſti monti meo robur:* alij etiam aliter: ſed obſcuro ſenſu, & alieno à noſtro argumento. At dicet aliquis: Iod in לְהָרְרִי *lehareri*, eſt pronomen primæ perſonæ. Non puto: ſed tantùm eſt paragogicum, quod vocant. Autorem habeo Ezram, qui poſtquam R. Moſis expoſitionem attulit, obſeruat alios eſſe, qui Iod accipiant tanquam pronomen primæ perſonæ. Ergo neque ipſe, neque Moſes, quem citauerat, putauerant Iod eſſe primæ perſonæ. Quanquam & ij qui putant eſſe pronomen primæ perſonæ, illud *ſtabiliuiſti monti meo fortitudinem*, explicant, poſuiſti me tanquam montem, vt refert Ezra. Fauet Chald. qui, vt omittam alia, habet *in montes fortes*. Pagninus in ſuo Theſauro, rad. הרר legit, optimo ſanè & commodo ſenſu, *ſtatuiſti* (ſuppleo *me*) * *in montes fortitudinis*: quaſi ſcriberetur לְהַרְרֵי *leharere*, cum tſere ante Iod, quod nondum contigit vidiſſe in vllo exemplari. Sed tamen ſic facilis erit ſenſus: etſi ipſe in ſua verſione Pſalmorum habet, *ſtare feciſti in monte meo fortitudinem*, & aliter ad hiphil rad. עָמַד. Græc. & Lat. qui habent hîc *præſtitiſti decori meo virtutem*, legerunt לַהֲדָרִי *lahadhari*, id eſt, *decori meo*, ד pro ר. *Decori meo*, id eſt, ſtatui meo florenti.

* *Reſtituo hanc particulam, quæ videtur deeſſe apud Pag. errore typ.*

9 *Ad te Domine* &c. Tunc, inquit, nihil aliud habui, quod agerem, quàm vt te inclamarem, ac deprecarer his verbis, *Quæ vtilitas in ſanguine meo*, &c. Verba in hoc verſu ſunt hebraicè futuri temp. ſed per preteritum exponenda propter contextum. Kimhi per præt. exponit.

10 *In ſanguine meo*, hoc eſt, in vita mea: ſanguis enim, vt obſeruat Kimhi, pro anima, & hæc pro vita hîc appellatur. Sic accipiendo ſenſus erit, Quid profuerit hactenus vixiſſe, ſi morior nunc, quum maximè tuum cultum promouere, ac tuæ Eccleſiæ vtilis eſſe poſſum? nunc, inquam, quum primùm publico conſenſu regnum totius gentis obtineo? Bene & conuenienter ad argumentum. Si enim in dedicatione ſuæ domus hunc pſalmum cecinit Dauid, initio regni cecinit, regni dico in duodecim tribus: nam legitur Dauid domum ſibi conſtruxiſſe ſtatim, poſtquàm vi cepiſſet arcem Sionis, atque inibi illam conſtruxiſſe, quod contigit initio regni in duodecim tribus, vt videre eſt 2. Sam. 5. Ex quo efficitur circa illud tempus etiam domum dedicaſſe: neque enim credendum eſt Dauidem, qui ſciret quanti momenti eſſet domus dedicatio, diu illam diſtuliſſe. Hoc ex occaſione, vt ſenſus allati fidem facerem. Arridet tamen magis, vt hîc *ſanguis* pro corpore mortuo ſeu cadauere accipiatur: hócque poſtulat, quod mox ſequitur, *dum deſcendero in foueam*, quod nihil aliud eſſe videtur, quàm præcedentis explicatio. Senſus erit planus, Ecquid vtilitatis in meo cadauere? Si in ſepulchrum delatus fuero, quid inde boni conſequetur? Num meum corpus redactum in puluerem tuas laudes prædicabit? Ezra *ſanguinem* hoc loco accipit in vltima ſignificatione, docétque *ſanguinem* hîc pro *animà* poni in ea ſignificatione, quam obtinet vocabulum נֶפֶשׁ *nephеſch*, hoc eſt, *anima*, Leuit. 19. 28. *Inciſionem* לָנֶפֶשׁ *lanepheſch*, *ſuper mortuo* (ad verb. *animà*: Græcè eſt ψυχῇ) *non facietis in carne veſtra*: quo in loco *anima* pro corpore mortuo appellatur abſque controuerſia. Sic Num. 6. 6. *ſuper animam mortui* (vel *mortuam*, iuxta alios: in Vulg. *ſuper mortuum*) *non ingredietur*. *Nunquid confitebitur tibi puluis?* &c. Senſus, Nunquid mortuus inter mortales te celebrare potero? Nunquid tua beneficia, tuam in ſeruandis promiſſis fidem prædicare? Similis pene tibi occurret ſententia pſal. 88. verſ. 11. & ſequentibus, *Nunquid mortuis facies mirabilia? nunquid mortui reſurgent, (&) confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam? veritatem tuam in perditione? In perditione*, hoc eſt, in ſepulchro, in quo, inquit ibi Kimhi, perit, & conſumitur corpus. *Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis? Terra obliuionis* ſepulchrũ quoque ibi ſignificat, iuxta Kimhi, quòd in ſepulchro mortui obliuioni tradantur, & ex animis hominum excidant, iuxta illud pſal. ſeq. verſu 13. *Obliuioni datus ſum, ſicut mortuus, à corde.* Ezechias Eſaiæ 38. verſ. 17. & ſequentibus, quum è graui morbo, Dei beneficio, conualuiſſet, & quindecim annos prorogari ſibi ad vitam meruiſſet, ſic ad Deum, *tu deſideraſti eruere animam meam à fouea corruptionis: quia proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. Non enim ſepulchrum confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui deſcendunt in foueam, veritatem tuam. Viuens, viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Vnde clarè apparet quo modo ſit accipiendum, quod hîc & aliàs ſæpe dicitur in ſacris litteris, mortuos Deum non celebrare, ſcilicet in Eccleſia, & propagando ad poſteros Dei beneficia. De hac re vide pſal. 6. 6. pſal. 115. 26. pſal. 118. 17.

Veritatẽ tuam. Per *veritatem Dei* intellige Dei in præſtandis promiſſis, ſuíſque tuendis conſtantem fidem, quod ſæpe aliàs ſignificat, ex. gr. bis loco Eſaiæ mox cit.

Digitized by Google

11 *Audi Domine*, &c. Hoc quoque eſt A quod decumbens lecto ait ſe ad Dominum clamaſſe: hicque verſus ad 9.um referendus. Palàm eſt Græcum & Lat. verba in hoc verſu aliis punctis legiſſe.

12 *Conuertiſti planctum meum in gaudium* (heb. *chorum*) *mihi*, reſtituendo valetudinem. *Concidiſti*, prop. *diſſoluiſti ſaccum meum*, hoc eſt, luctum meum, vt idem ſit atque id quod præceſſit. Eſt autem hoc loquendi genus figuratum, ipſúmque è conſuetudine Hebrææ Gentis petitum, quæ in luctu, & mœrore vtebatur ſacco, veſte tum lugubri, quem circa lumbos conſtringebat, ſicuti patet ex Eſa. 32. 11. *Obſtupeſcite opulentæ, conturbamini confidentes: exuite vos & nudamini, & accingite vos ſuper lumbos*, ſaccis videlicet.

13 *Gloria* ſup. *mea*, hoc eſt, anima. Vide ad verſ. 6. pſ. 7. Potes interpretari linguam. Vide ad verſ. 9. pſal. 16. *In æternum*, ſeu *in ſeculum*, hoc eſt, quandiu viuam. Vel dicit *in æternum* reſpectu animæ, quam ſciebat æternùm victuram. Ezechias, quem mox nominaui, recuperata valetudine, gratiarum actionem eodem pene modo concluſit, Eſaiæ cap. cit. verſ. 20. *Dominus ad ſeruandum me* (*adfuit*): *ideo pſalmos meos pſallemus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.*

PSALMVS

XXX. XXXI.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Pſal. Dauid, pro extaſi.

2 *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me.*

3 *Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me.*

4 *Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias.*

5 *Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.*

6 *Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.*

7 *In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis.*

8 *Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuè.*

9 *Ego autem in Domino ſperaui: exultabo, & lætabor in miſericordia tua.*

10 *Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam.*

NOVA.

PRAECENTORI, Pſalmus Dauid.

2 In te Domine ſperaui, ne pudore afficiar in ſeculum: in iuſtitia tua libera me.

3 Inclina ad me aurem tuam, celeriter erue me, eſto mihi in petram fortitudinis, in domum munitionum, vt ſaluum me facias.

4 Quoniam arx [a] mea; & munitio mea (es) tu: & propter nomen tuum duces me, & deduces me.

[a] propriè rupes;

5 Educes me de reti hoc (quod) abſconderant mihi: quoniam tu (es) fortitudo mea.

6 In [b] manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine, Deus veritatis.

[b] heb: manum tuam

7 Odi obſeruantes vanitates mendacij: & ego in Domino ſperaui.

8 Exultabo & lætabor in miſericordia tua, quoniam reſpexiſti afflictionem meam: agnouiſti in anguſtiis animam meam.

Digitized by Google

9 Nec concluſiſti me in manum ini-
mici: ſtatuiſti in [c] loco ſpatioſo pe-
des meos.

c ad verb. *latitudine*

10 Miſerere mei Domine, quoniam
[d] tribulor: contabuit in [e] ira oculus
meus, anima mea, & venter meus.
11 Quoniam defecit in dolore vita
mea, & anni mei in [f] gemitibus: [g] in-
firmata eſt in iniquitate mea virtus
mea, & oſſa mea [h] contabuerunt.

d heb. *anguſtia (eſt) mihi:*
e vel *mœrore*
f heb. *gemitu:*
g *concidit*
h *computruerunt.*

12 Super omnes inimicos meos fa-
ctus ſum opprobrium, & vicinis meis
valde, & [i] timor notis meis: qui vi-
debant me foris, fugerunt à me.
13 Obliuioni datus ſum, tanquam
mortuus, à corde: factus ſum tan-
quam vas perditum.
14 Quoniam audiui vituperationẽ
multorum, pauor circunquaque,
dum conſultant ſimul aduerſùm me:
vt capiant animam meam cogi-
tant.
15 Ego autem in te ſperaui Domine:
dixi, Deus meus (es) tu.
16 In [l] manibus tuis tempora mea:
eripe me de manu inimicorum meo-
rum, & à perſequentibus me.
17 Lucere fac faciem tuam ſuper
ſeruum tuum: ſaluum me fac in miſe-
ricordia tua.
18 Domine, ne erubeſcam, quo-
niam inuocaui te: erubeſcant impij,
[m] excindantur [n] ad infernum.
19 Muta fiant labia mendacia, quæ
loquuntur aduerſus iuſtum durum in
ſuperbia, & contemptu.
20 Quàm multum (eſt) bonum
tuum, quod abſcondiſti timentibus
te, feciſti eis, qui ſperant in te, in con-
ſpectu filiorum hominum!

i *pauor*
l heb. *manu tua*
m vel *conticeſcant*
n vel *in inferno*, ſeu *ſepulchro.*

21 Abſcondes eos in abſcondito fa-
ciei tuæ ab elationibus [o] hominum:
occultabis eos in tabernaculo à [p] cõ-
tradictione linguarum.

o heb. *viri:*
p *contentione*

22 Benedictus Dominus, quoniam
mirificauit miſericordiam ſuam mi-
hi in ciuitate munita.

11 *Nec concluſiſti me in manibus ini-
mici: ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes
meos.*
12 *Miſerere mei Domine quoniam tri-
bulor: conturbatus eſt in ira oculus meus,
anima mea, & venter meus:*
13 *Quoniam defecit in dolore vita mea,
& anni mei in gemitibus.*
14 *Infirmata eſt in paupertate virtus
mea: & oſſa mea conturbata ſunt.*
15 *Super omnes inimicos meos factus
ſum opprobrium & vicinis meis valdè,
& timor notis meis.*
16 *Qui videbant me, foras fugerunt à
me: obliuioni datus ſum, tamquam mor-
tuus à corde.*
17 *Factus ſum tamquam vas perdi-
tum: quoniam audiui vituperationem
multorum commorantium in circuitu.*
18 *In eo dum conuenirent ſimul aduer-
ſum me, accipere animam meam conſi-
liati ſunt.*
19 *Ego autem in te ſperaui Domine: di-
xi: Deus meus es tu: in manibus tuis
ſortes meæ.*
20 *Eripe me de manu inimicorum meo-
rum, & à perſequentibus me.*
21 *Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum
tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua:
Domine non confundar, quoniam inuo-
caui te.*
22 *Erubeſcant impij, & deducantur in
infernum: muta fiant labia doloſa.*
23 *Quæ loquuntur aduerſus iuſtum
iniquitatem; in ſuperbia, & in abuſione.*
24 *Quàm magna multitudo dulcedinis
tuæ Domine, quam abſcondiſti timenti-
bus te.*
25 *Perfeciſti eis, qui ſperant in te, in
conſpectu filiorum hominum.*

26 *Abſcondes eos in abſcondito faciei
tuæ à conturbatione hominum.*
27 *Proteges eos in tabernaculo tuo à
contradictione linguarum.*

28 *Benedictus Dominus: quoniam mi-
rificauit miſericordiam ſuam mihi in ci-
uitate munita.*

Digitized by Google

29 *Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ: Proiectus ſum à facie oculorum tuorum.*
30 *Ideo exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.*
31 *Diligite Dominum omnes ſancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.*
32 *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.*

23 Et ego dixi in præcipitatione mea, [q] Proiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: verè exaudiſti vocem [r] orationis meæ, dum clamarem ad te.
24 Diligite Dominum omnes ſancti eius: fideles cuſtodit Dominus, & retribuit [ſ] abundanter [t] facientibus ſuperbiam.
25 [u] Viriliter agite, & roborabit cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.

q vel exciſus ſum
r heb. deprecationũ mearum,
ſ vel ſuper ſuperbiam vel in ſuperbia
t heb. facienti
u Fortes eſtote,

COMMENTARIVS.

Argumētum. *PSalmus hic conſcriptus eſt à Dauide, cùm Saülem fugeret. Sic cenſet Kimhi. Ad quod tempus præcisè referendus videatur, dicetur ad verſum 23. In eo Deum orat Dauid pro ſua ſalute, commemorans quanto in periculo ſit, & benignitatem Dei erga ſuos ſuo ipſius exemplo probans. Poſtea hoſtibus exitium imprecatur: ac denique Deo gratias agit de beneficiis antea acceptis, pios omnes exhortans ad diligendum Deum, qui in aduerſis ſuos nunquam deſerit, ſed à ſuperbis ſemper defendit; necnon ad inuictam animi conſtantiam, ſiquidem Deus illis animos additurus ſit.*

2 *Ne pudore afficiar.* Senſus eſt, quando ſperaui in te, ne, quæſo, fruſtretur me mea ſpes. *In iuſtitia tua*; id eſt, pro ea iuſtitia, quâ præſtando fidem tuis datam, iuſtum te probas. Kimhi ſimpliciùs, *in iuſtitia tua*, non in mea.
3 *Aurem tuam.* Ἀνθρωποπαθῶς hoc dicitur: nam qui plantauit aurem, audit ſine aure. Ezra. *Petram fortitudinis*, id eſt, fortem. Sic *domum munitionum*, hoc eſt, optimè munitam, multiſque vallis circundatam. Hebræi enim ad maiorem emphaſim pro adiectiuis ſubſtantiua in gen. caſu ſic vſurpant.
4 *Et propter nomen tuum*, hoc eſt, ac deinceps propter gloriam tui nominis, non propter me, &c. *Duces me.* Raſi interpretatur *meneras moy.* *Deduces me* lětè: hoc enim propriè ſignificat verbum hebraicum תְּנַהֲלֵנִי *thenahaleni.*
6 *Redemiſti me* iam ſæpe aliàs. Vel eſt præteritum pro futuro, vt putat Kimhi. *Deus veritatis. Deus*: ad verbum *Fortis*, qui potes me redimere. *Veritatis*: qui tuis ſemper ades, quemadmodum es pollicitus.
7 *Odi obſeruantes* &c. Senſus eſt, Nunquam enim hariolos, augures, aut aſtrologos in hac fugâ conſului: nam ipſos prorſus auerſor, quorum quippe diſciplinas ac prædictiones omnes vanas ac falſas eſſe intelligam: ſed *ego in Domino ſperaui*, & ab eo vno pendere volui. Nota enallagen perſonæ, quam iam ſæpe diximus frequentem & elegantem eſſe in lingua hebraica. Per *vanitates mendacij* intelligit ergo auguria, & diuinationes. Sic putant Ezra, & Kimhi. At Raſi per *obſeruantes vanitates mendacij* intelligit eos, qui ſalutem, & opem ab idolis fruſtra expectant.
8 *Exultabo* &c. Senſus eſt: Lætus ſemper tuam erga me benignitatem prædicabo, qui mihi iam in hoc exilio opem tuliſti. Celebrat beneficium iam acceptum. Sed quódnam ſit vide ad verſum ſequent. *Reſpexiſti* (ſeu *vidiſti*) &c. *Videre afflictionem* ſumi debet, quo modo Exod. 3. 7. *Videndo vidi afflictionem populi mei*, hoc eſt, ſuſcepi curam populi mei in afflictione. *Agnouiſti* &c. Senſus eſt, quum anima mea fuit in anguſtiis, cognouiſti, eíque prouidiſti. Sic verbum *cognoſcendi* ſæpe in ſacris litteris ſumitur: exempli gratia loco Exod. citato, *noui dolores eius.* Pſal. 144. 3. *Domine, quid (eſt) homo, vt cognoſcas eum?* Sic Kimhi explicat hanc phraſim. Dicimus Gallicè *prendre cognoiſſance*, pro, *curare.*
9 *Nec concluſiſti* &c. Ex hoc verſu apparet beneficium, quod hîc celebrat, eſſe illius temporis, quum Dauid Dei oraculo admonitus, niſi maturè ſuis rebus conſuleret, fore vt in manus Saulis à Ceilanis traderetur,

aufugit è Ceïla: quumque mox à Saule, eiúſque copiis in deſerto Maon vndique obſeſſus, ipſe tamen ſingulari Dei ope ſeruatus eſt, Saule trepidis nuntiis reuocato, qui Palæſtinos cum infeſto exercitu in ditionem eius irrupiſſe afferebant. Vide 1. Sam. 23 Iuuat noſtram coniecturam verbum הִסְגִּיר *hiſgir*, id eſt, *concludere*, quod toties loco Samuelis citato repetitur. *Nec concluſiſti me in manum inimici.* Senſus, Nec permiſiſti, vt à Ceïlanis ac Ziphęis traderer in manum Saulis, aut quaqua ratione venirem in eius poteſtatem. *Statuiſti in loco ſpatioſo* (ad verb. *in latitudine*) *pedes meos.* Senſus, quin me in tuto & extra omne periculum poſuiſti, Saule ad ſua tuenda ſubitò conuerſo, quum propè abeſſet, quin comprehenderer. Vide Sam. cit. cap. in fine. *Statuiſti* ait, quòd diuinitus factum agnoſceret, non fortè aut caſu, quòd tum, quum ſibi maximè opus eſſet, & vndique ſuis ceruicibus imminente hoſte, irruiſſent Palæſtini in Saulis ditionem.

10 *Miſerere mei, Domine,* nunc, quum maximè premor, quemadmodum tunc miſertus es. *Quoniam tribulor*, heb. *anguſtia* (*eſt*) *mihi:* &c. Conatur Deum flectere ad miſericordiam, prolixè illi exponendo ſuas miſerias. *Contabuit* ſeu *caligauit* (vide ad ver. 8. pſ. 6.) *in irâ* ſeu *indignatione* mea ſcilicet ſeu *mœrore* meo *oculus meus*, hoc eſt, præ mœrore, quem mihi adferunt hæc mala, elanguit oculus meus. Indicia mœroris potiſſimùm in oculis conſpiciuntur. Kimhi iram ad hoſtem refert, quaſi ſenſus ſit, propter iram hoſtis, quâ nimirum in me vehementer accenditur, computruit & contabuit oculus meus aſſiduo fletu, & magna vi lachrymarum. *Anima mea, & venter meus* contabuerunt, fame ſcilicet, ac ſiti, aut certè mœrore. Certum fame ſæpenumerò tentatum Dauidem, quum Saulem fugeret. Cui rei argumento eſt, quòd ei fame de vitâ periclitanti dare coactus eſt Achimelech panes ſacros. Ezra & Kimhi per *animam* intelligunt animam ſeu animæ facultatem cibi appetitiuam, quam Ezra ſedem habere obſeruat in hepate: per *ventrem* verò ſuperiorem ventrem, vt loquitur Ezra, & inteſtina quæ recipiunt cibum, quorum primus eſt ſtomachus. Per *animam* intelligunt nonnulli ſpiritus vitales, qui fame ac ſiti aut mœrore fiunt languidiores. Forſan ſimplicius erit per *animam* hîc, vt alias in Sacris litteris, corpus intelligere, ſynecdochicῶs.

11 *Quoniam defecit* ſeu *conſumpta eſt in* (*præ*) *dolore vita mea*, &c. Senſus, Succurre mihi alioquin ſubitò perituro: ſentio quippe omnes meas vires dolore & fre- A quentibus lachrymis pene eſſe exhauſtas. Ex eo die quo Dauid occidiſſet Goliath, & cecíniſſent mulieres ludentes, *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia*, (1. Sam. 18. 7.) cœpit Saul clàm odiſſe Dauidem, ac infeſtis & toruis oculis eum adſpicere: & ex illo fuit Dauid in perpetuo luctu ac mœrore, quòd intelligeret ſibi in ſingula momenta imminere præſens mortis periculum. Vnde ſcribitur Ionathæ amico dixiſſe, 1. Sam. 20. 3. *quaſi paſſus inter me & mortem*, ſeu, vt habet Vulg. B *vno tantùm, vt ita dicam, gradu ego mórſque diuidimur.* *Infirmata eſt* ſeu *concidit in iniquitate mea*, hoc eſt, propter iniquitatem meam, *virtus mea*. Vir pius ſuis peccatis, vt ſolet, adſcribit ſuas miſerias.

Iniquitate meâ. Græcus & Lat. *paupertate.* Legerunt quippe aliis punctis עֹנִי *oni*, quod *paupertatem* ſeu *afflictionem* ſignificat, pro עֲוֹנִי *auoni*, hoc eſt, *iniquitas mea.* Quod non eſt profectò præter contextum. Quanquam enim ſua mala ſolitus eſt Dauid adſcribere ſuis peccatis, tamen in hoc pſalmo recitat duntaxat ſuas miſerias, eáſ- C que diuerſimodè ſuo more exprimit, ita vt ſignificatio afflictionis meliùs contextui congruere videatur, vbi nulla iniquitatis, ſed tantùm calamitatum mentio. *Et oſſa mea* &c. Oſſa quum ait contabuiſſe, dolorem ſignificat qui altiùs ad oſſa vſque ac medullas penetrarit.

12 *Super omnes inimicos* &c. Sum, inquit, maiori opprobrio, quàm hoſtes mei, homines omnibus infamiæ maculis inquinati; idque etiam apud vicinos & cognatos meos, qui teſtes eſſe deberent meæ inno- D centiæ. Alij vertunt *Propter omnes inimicos* &c. hoc ſenſu, Propter tot mala, quæ patior ab hoſtibus, probro ſum, *&*, hoc eſt, etiam, *vicinis meis, & timor* (ſeu *pauor*) *notis meis*, hoc eſt, cognatis ſeu amicis, qui ſi me vident foris, ſubito ſe in pedes coniiciunt, abhorrentes à meo conſpectu, ſiue quòd horreant aſpectum meorum malorum: ſiue quòd vereantur, ne quod periculum ſibi per meam amicitiam creetur: ſiue quòd alienatum à me animum habeant, E ideóque me horreant, & paueant ad meum conſpectum.

13 *Obliuioni datus ſum*, &c. id eſt, Effluxi ex animis meorum, nec plus illis in me ſpei eſt, quàm ſi eſſem mortuus. *A corde*, hoc eſt, ex animo, & memoria: debétque referri ad *obliuioni datus ſum*. *Tanquam vas perditum*, & confractum, quod nulli vſui ampliùs eſſe poteſt. Ita nullo ego loco ac numero habeor àb amicis, qui deſperant me vnquam ad ſe rediturum.

14 *Quoniam audiui vituperationem mul-*

Digitized by Google

torum. Ratio eſt eius quod ſequitur, *pauor* A *circunquaque.* Quoniam, inquit, audio multis me criminibus apud Saulem deformari, ſeditioſum me dici, & turbatorem publicæ pacis, ideóque iniri quotidie conſilia de me tollendo, propterea *pauor* (ſup. mihi eſt) *circunquaque*, hoc eſt, vndique terrores mortis ac ſuppliciorum oculis obuerſantur. *Pauor circunquaque.* In Vulgatâ *commorantium in circuitu*: quæ interpretatio effici poteſt ex Hebræo, legendo מָגוּר *maghur*, id eſt, *habitatio*, pro מָגוֹר *maghor*, id eſt, *pauor*, & ſupplendo *quibus*, B hoc modo, (*quibus*) *habitatio* (ſeu *commoratio*) *eſt à circuitu*, quod in Vulgatam recidet. Verùm noſtram lectionem ac verſionem iuuat verſus 10. cap. 20. Ieremiæ, vbi eadem prorſus hebraica vocabula, quæ hîc reddidimus, *Quoniam audiui vituperationem multorum, pauor circunquaque*, cum iiſdem prorſus punctis vocalibus occurrunt, (ea namque hinc mutuò ſumpſit Ieremias) & redduntur ab ipſo Latino vulgato, *Audiui enim contumelias multorum, & terrorem vndique.* C Vide: illic *terrorem* reddit eam vocem, quam hîc *commorantium.* Scilicet hîc ſecutus eſt Græcum interpretem, qui vertit παροικούντων illic verò Hebraicam editionem, non Græcam, quæ habet συναθροιζομένων. Quæ res profectò facit, vt cum D. Hieron. præf. in Ezech. non ſatis mirer quid cauſſæ extiterit, vt ſi eoſdem in vniuerſis libris habemus interpretes, in aliis eadem, in aliis diuerſa tranſtulerint. *Vt capiant animam meam*, hoc eſt, auferant mihi vitam. Sciebat Dauid ſe ad necem quæri. Ideo ſic D loquitur.

15 *Ego autem in te ſperaui* &c. Corrigit quod humano metu mox dixerat: vt ſenſus ſit, Intentent mihi licet omnia præſentem mortem, conſpirēt omnes in meam necem, ego nunquam abiiciam ſpem, quam habeo in Deo. Verba præt. temp. ſunt in hoc verſu pro præſ. vt aliàs ſæpe. *Deus meus.* Heb. eſt אֱלֹהָי *elohai*, quod Deum vt iudicem ſignificat: quaſi dicat, tu iudex meus es, qui me ab hoſtium iniuriis defendes. E

16 *In manibus tuis* (heb. *In manu tua*) *tempora mea*, id eſt, Quicquid mihi toto vitæ tempore contingit, te iubente, ac decernente fit. Sic ferè Raſi. Vel, Tempus meæ ſalutis in tui ſolius manu eſt. Sic Chald. & Ezra. Vel, Tempora, quibus illi mihi ac vitæ meæ inſidiantur, in tua ſunt, non in illorum manu. Sic Kimhi. Hos omnes ſenſus expreſſit Lat. Græcus quoque, qui habet οἱ κλῆροί μου. *Eripe me de manu* &c. quaſi diceret, cùm igitur ita ſit, *eripe me* &c.

17 *Lucere fac* &c. Simile eſt Numer. 6. 25. *Lucere faciat Dominus faciem ſuam ad te, & miſereatur tui.* *Lucere fac faciem*, id eſt, ſereno vultu aſpice & faue: ſalutem affer. Dicit *lucere fac*, quia qui in miſerijs verſantur, ſunt veluti in tenebris: quo ſenſu Eſ. 9. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux ſplenduit ſuper eos:* in Vulg. *orta eſt eis.* Chald. habet hîc, *Lucere fac aſpectum faciei tuæ.* *In miſericordia tua*, hoc eſt, etſi ego indignus ſum tua ope & fauore.

18 *Domine, ne erubeſcam, quoniam inuocaui te*: &c. Senſus, Ne patere vt ſpe fruſtrer, adeóque cogar erubeſcere, qui in te recubui, ac tuam opem imploraui: ſed *erubeſcant* & pudore ſuffundantur *impij* illi, quia te non inuocauerunt, neque ad te ſe conuerterunt. Quum ſubijcit iſtam rationem *quoniam inuocaui te*, palàm oſtendit ſtudere ſe Dei gloriæ, quam minui veretur, ſi ipſe, qui in vnum Deum recubuit, ſpe fruſtretur, ac malè ſibi cedat. *Excindantur ad infernum*, ſeu, *ſepulchrum.* Senſus, exciſi deſcendant ac deuoluantur in inferos, aut deferantur in ſepulchrum. Alij vertunt *conticeſcant*, ſeu, *ſileant in ſepulchro*, vel, *inferno*, ad verb. præcisè *ad ſepulchrum*, ſeu, *infernum*, quaſi ſenſus ſit, ſilentes ac mortui deferantur in ſepulchrum, ſeu, deuoluantur in inferos: vel ſanè, compeſcantur in inferis, ſeu, ſepulchro: nam *ſilendi* verbum non vocis tantùm ſilentium dicit, ſed etiam ceſſationem operis & motus, vt antè à nobis obſeruatum, ad verſ. 5. pſ. 4. Chaldæus interpretatus eſt, *ſileant, & deſcendant in infernum*, ſeu, *ſepulchrum.* Per שְׁאוֹל *ſcheol*, hîc intellige ſepulchrum, vel infernum, ſeu, gehennam, vt loquuntur Hebræi: vox enim eſt ambigua: & Kimhi vtrumque intelligi hîc poſſe affirmat. Græcus & Lat. verterunt *deducantur in infernum.*

19 *Muta fiant labia mendacia*, &c. Senſus, Fac pereant atque adeo ſileant tandem iniqui illi obtrectatores, qui non deſinunt me calumniari apud Saulem, quaſi eius vitæ & regno inſidias faciam. Hîc porrò eſt tacita nota aulicorum Saulis. Aularum nimis familiare vitium calumnia; ſuperbia quoque & contemptus, qui cum illa ſemper coniunctus eſt, quorum hîc etiam fit mentio. *Aduersùs iuſtum.* De ſeipſo & aliis qui partes ſuas tenebant, hoc ait: iuſtitiam autem cauſſæ non dubium eſt quin præſertim intelligat. *Durum* ſcilicet verbum. Chald. habet *conuitia.*

20 *Quàm multum eſt* &c. Subita exclamatio, cuius hæc eſt ſententia, iuxta Ezram

Digitized by Google

& Kimhi, Illi in iuſtos ſuperbè, & cum magno contemptu inſultant, quòd videant eos iacere in ſordibus, atque ignorent, quantum illis bonum in altero ſeculo ſepoſueris, quótque bona illis in hoc etiam ſeculo palàm exhibueris. *In conſpectu filiorum* &c. hoc eſt, palàm, iuxta Ezram: vel in hoc ſeculo, iuxta Kimhi. Ego hunc verſum putò hanc habere ſententiam, præter peculiaria beneficia, quæ clàm à Deo in pios conferuntur, alia quoque eſſe, quæ palàm & in oculis omnium.

21 *Abſcondes eos* &c. Hoc putat Kimhi vel per modum precationis, vel per modum prophetiæ eſſe dictum. Ego verò cum aliis exiſtimo eſſe continuationem, & expolitionem præcedentis ſententiæ, atque adeo in hoc verſu fut. eſſe pro præſ. Ergo hic verſus hanc habet ſententiam, Non tantùm pios ornas bonis, ſed etiam prohibes ac tueris à quouis malo. *In abſcondito faciei tuæ*, id eſt, voluntatis tuæ: ad eum enim dicitur Deus faciem conuertere, cui bene vult: contrà, ab eo faciem auertere, quem odit: quo ſenſu dicitur Ierem. 18. 17. *Ceruicem & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.* Sic ferè Kimhi, qui vult ſcilicet, *in abſcondito faciei tuæ*, nihil aliud eſſe, quàm in abdito bonę tuæ voluntatis, ſeu fauoris tui, quod eſt certiſſimum ac ſecurum à quibuſuis malis ac periculis latibulum. Iuxta hanc expoſitionem & ſenſum mihi videor poſſe explicare in abdito tuæ præſentiæ. At Chald. interpretatur, *Abſcondes eos in abſcondito in tempore iræ tuæ.* Sic ferè & alij Hebræorum, qui explicant *in abſcondito faciei tuæ*, hoc eſt, iræ tuæ ab illis, id eſt, auertendo ab iis iram tuam. Ego propter ſequens membrum, vbi dicitur *in tabernaculo*, acciperem *in abſcondito faciei tuæ*, pro in abſcondito tuo, hoc eſt, *in Sanctuario tuo.* Sic Sanctuarium pſal. 27.5. appellatur *abſconditum tabernaculi Dei.* *Ab elationibus hominum*, ſcilicet abſcondes eos, ita vt prorſus tuti ſint, nec ſceleratorum arrogantia quicquam ijs noceat. Ex Kimhi *ab elationibus* vertendum: at iuxta Raſi *à ſocietatibus hominum* ſceleratorum, qui ſimul aduersùs illos coniurant, & conſpirant: iuxta Ezram *à peruerſitatibus* ſeu *tortuoſitatibus.* Chald. interpretatus eſt *à turmis.* De his variis ſignificationibus adeat, qui volet, Theſaurum Sanctis Pagnini in rad. רכס *rachas.* *In tabernaculo*, hoc eſt, Sanctuario: idcirco Latinus præter Hebræum, & Græcum etiam, addidit *tuo.* Vide ad verſ. 5. pſ. 25. *A contradictione*, ſeu, *contentione linguarum*, hoc eſt, à rixis, & iurgiis.

22 *Benedictus Dominus*, &c. Quò Deum

A moueat ad opem ferendam, illi gratias agit de beneficiis acceptis, ac primò nominatim de liberatione ex vrbe Ceila, quam vocat hîc *ciuitatem munitam.* Et certè vrbs illa 1. Sam. 23.7. vocatur *vrbs portarum & vectis:* ac per *vrbem munitam* Raſi intelligit hoc loco vrbem illam Ceilam.

23 *Et ego dixi* &c. Videtur notare illud tempus, quum non longè poſt relictã vrbem Ceilam ſe in deſertum Maon contuliſſet, atque euadere è Saulis manibus, à cuius copiis ipſe cum ſuis obſeſſus conquire-

B batur, properaret. Ad illam enim hiſtoriam, quæ deſcribitur 1. Sam. 23. optimè conuenit ſententia huius verſus. Vide illic ad verſum 26. Nil nocet quòd de hoc beneficio iam egit, verſu 8. & ſequente. Nam quia recens erat iſtius liberationis beneficium, ſæpius illi in mentem redit. Propter hos verſus, necnon 8 & 9 in quibus mihi videntur celebrari liberationes, quas dixi, probabile mihi fit tum à Dauide conſcriptum hoc carmen, quum in deſerto En-gaddi fortè audiſſet contra ſe aduentare Saulem cum tribus armatorum millibus

C ex vniuerſo exercitu ſelectis. Hæc enim hiſtoria illam, quam diximus, ſequitur, & deſcribitur 1. Sam. 24. initio. Forſan referri poſſit hoc carmen ad illud tempus, quo tempore Saul à Ziphæis certior factus Dauidem rurſum in eorum regione morari, contra illum cum tribus militum millibus profectus eſt. Quæ hiſtoria deſcribitur 1. Sam. 26. initio. Ad hanc aut illam hiſtoriam referas hoc carmen oportet. Nam poſt liberationes, quas in his verſibus ce-

D lebrat, non legitur, quòd ſciam, in metu aut certè diſcrimine fuiſſe Dauid à Saule. *In præcipitatione* ſeu *feſtinatione mea* præcipiti, hoc eſt, quum præceps fugerem. Græcus hîc vertit ἐν τῇ ἐκστάσει μου; Lat. *in exceſſu mentis meæ*; Aquila ἐν θαμβήσει μου. Symm. ἐν τῇ ἐκπλήξει μου; B. Hieron. *in ſtupore meo.* Idem verbum hebræum hoc loco, & 1. Sam. cap. 23. cit. verſ. 26. occurrit, quod vtrobique à Pagnino, Vatablo, & aliis verbo *feſtinandi* redditur: à Latino verò, loco Sam. citato, verbo *deſ-*

E *perandi.* *Proiectus* (ſeu *eiectus*) *ſum.* Sic Menachem expoſuit verbum hebraicum נִגְרַזְתִּי *nighrazti.* Alij exponunt *exciſus ſum.* Sanè verbum hebraicum non occurrit aliàs in ſacris litteris. Ad ſenſum nihil refert prorſus quo modo vertas, cùm ſignificationes illæ admodum vicinæ ſint, & tria hæc verba, ſcilicet נִגְרַזְתִּי *nighrazti*, quod nobis hîc occurrit, & נִגְזַרְתִּי *nighzarti*, *exciſus ſum*, Thren. 3. 54. & נִגְרַשְׁתִּי *nighraſchti*, *proiectus ſum*, Ionæ 2.5. cõtundi, ac pro vno ſumi videantur, vtpote quæ

Digitized by Google

ſimilia ſint, ideóque affines obtineant ſignificationes. Similis proſus eſt locus Ionæ mox citatus huic verſui: illic enim habetur; *Et ego dixi, Proiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum*; quod hunc habet ſenſum, Putabam me derelictum à te: qui huius loci ſenſus eſt. Kimhi hîc notat quidem verbum hebraicum ſignificare *exciſus ſum*: ſed tamen hebraiſmum, qui hîc occurrit, ſic explicat, Cogitabam tunc, quòd proiectus eſſem ab oculis tuis, nec me vltrà eſſes reſpecturus. Ergo nil refert quomodò vertas. *Verè exaudiſti* &c. Senſus eſt, profectò tuâ prouidentiâ rem tunc temporis ita gubernaſti, vt ſaluus euaſerim: ſicuti dicitur 1. Sam. 23. in fine: *Et nuntius venit ad Saul, dicens, Feſtina, & veni, quoniam diffuderunt ſe* (ſeu *impetum fecerunt*) *Philiſtiim ſuper terram. Reuerſus eſt ergo Saul deſiſtens perſequi Dauid*, &c.

24 *Diligite Dominum* &c. Concludit iam pſalmum adhortatione ad amorem Dei, & conſtantiam in aduerſis, ſiquidem Deus ſuos nunquam deſerit, ſed perpetuò defendit, iiſque animos addit, ſi modò fortes ſint. *Fideles cuſtodit Dominus*, &c. Ratio eſt adhortationis: idcirco bene additum à Græco & Latino, *quoniam*. Potes cum Latino vertere *veritatem*, vel potiùs *veritates*, nomen enim in Hebræo eſt pluralis numeri, & in Græco eſt ἀληθείας.

Retribuit abundanter. Pro *abundanter*, Heb. עַל־יֶתֶר *al-iether*, quod ab Hebræis variè exponitur. Ab aliis ita, *ſuper chordam*: par pari reſpondet, vel, vt Hebræi loquuntur, menſura menſuræ aptatur, vt ſagitta ſuper chordam arcus: ita vt ſenſus ſit, *retribuit ſuper chordam* &c. id eſt, quaſi ſuper chordam, & vt aliquis ſagittam chordæ aptat, ſic Deus ſuperbiam ſuperbis reponit. Vel, iuxta alios, *ſuper chordam*, hoc eſt, vt chorda chordæ, & linea lineæ reſpondet, ſic Deus ſuperbiam ſuperbis reddit. Alij vertunt, & exponunt *retribuit in ſuperbiâ facięti ſuperbiã*. Has omnes interpretationes ſic ferè recitat Raſi. Ita vero

A rò interpretatur Kimhi, fideles ſeruat ac prohibet Dominus à manu ſuperborum: qui autem ſuperbè agunt, deiicit, atque illis *retribuit ſuper ſuperbiam* eorum. Ezra accipit יֶתֶר *iether*, pro *reſiduo*, *reliquo*, id quod ſignificare poteſt iſta vox, quaſi diceret Deum retributurum reſiduis ſuperborum hominum. Præterea obſeruat deeſſe ב id eſt, *in*, cum גַאֲוָה *ghaaua*, id eſt, *ſuperbia*, necnon *opus*, quaſi integra oratio eſſe debuerit, *retribuit ſuper reſiduo facientis* (*opus in*) *ſuperbia*. Sed cur non verti & exponi poſſit *facientis ſuperbiam*, abſque vlla defectione, nullus video. Chald. in-

B terpretatus eſt, *retribuit ſuper gubernatoribus* (ſeu *principibus*) *qui faciunt ſuperbiam*. Accepit nimirum יֶתֶר *iether*, vt ſignificat *excellentiam*, *dignitatem*, ac ſic *principes* interpretatus eſt, qui vulgò hodie vocantur *excellences*. Ex Latinis multi cum Latino reddunt *abundanter*, quod Grammaticæ nihil repugnat. Sed tamen probarem magis vt verteretur *ſuper ſuperbiam*, hoc eſt, propter ſuperbiam: vel potiùs cum Chald. *ſuper excellentiam facientem ſuperbiam*, hoc eſt, principes ſuperbè atque inſolenter ſeſe gerentes. Mane porrò. Cùm in Lat. ſit *retribuit abundanter facientibus ſuperbiam*, vbi iure merito dubium eſt quò referri debeat aduerbium *abundanter*, ad *retribuit*,

C an ad *facientibus*, in Græco eſt ἀνταποδίδωσι τοῖς περισσῶς ποιοῦσιν ὑπερηφανίαν: vbi ordo vocum oſtendit περισσῶς non eſſe cum ἀνταποδίδωσι, ſed cum ποιοῦσι conſtruendum: quod certè pium magis reddit ſenſum, nimirum vt Deus dicatur retribuere, ac par pari referre, ſi tamen ſceleratiſſimis etiam par pari refert, *his, qui multùm ſuperbiunt*, ſicuti hîc legit D. Auguſt. quàm vt iis dicatur retribuere abundanter, qui vt longè ſupra meritum remuneratur, ſic longè infra meritum punit, & citra condignum, quemadmodum loquuntur Theologi.

25 *Viriliter agite.* Ad verb. *Fortes eſtote. Roborabit cor veſtrum* ſupple Deus, ſi fortes nimirum vos præbueritis.

Digitized by Google

PSALMVS

XXXII. XXXI.

VERSIO

NOVA.

DAuidis Didacticon.
Beatus, cuius remiſſa eſt
præuaricatio, cuius tectum
eſt peccatum.
a heb. *homo,* 2 Beatus [a] vir, (cui) non [b] impu-
b *imputat* tabit Dominus iniquitatem, nec (eſt)
in ſpiritu eius dolus.
3 Quoniam tacui, inueterauerunt
c vel *omni* oſſa mea in rugitu meo [c] tota die.
d vel *aggrauatur* 4 Quoniam die ac nocte [d] gra-
uata eſt ſuper me manus tua, con-
uerſus eſt humor meus in ſiccitates æ-
ſtatis.
5 Peccatum meum cognitum tibi
feci, & iniquitatem meam non ab-
ſcondi; dixi, Confitebor ſuper præ-
uaricationibus meis Domino: & tu
remiſiſti iniquitatem peccati mei.
6 Propter hoc orabit omnis ſan-
ctus ad te, in tempore inueniendi:
profectò in diluuio aquarum multa-
rum, ad eum non approximabunt.
e ad verb. *abſconſio* 7 Tu (es) [e] refugium mihi, à tribu-
latione cuſtodis me: clamoribus libe-
rationis circundas me.
8 Intelligere faciam te, & inſtruam
te in via qua gradieris: conſulam ſu-
per te oculo meo.
f heb. *Ne eſtote* 9 [f] Nolite fieri ſicut equus, ſicut
mulus, (quibus) non eſt intellectus:
g heb. *maxilla eius,* vel iuxta alios, *os eius* in camo & fræno [g] maxillæ eorum
conſtringendæ, (alioqui) non ap-
proximant ad te.
10 Multi dolores impio: ſperan-
tem autem in Domino miſericordia
h vel *acclamare (ſeu cantar.) facite omnes rectos corde.* circundabit.
11 Lætamini in Domino, & exulta-
te iuſti, & [h] acclamate omnes recti
corde.

VETVS.

IPſi Dauid intellectus.
1 Beati, quorum remiſſæ ſunt
iniquitates: & quorum tecta
ſunt peccata.
2 *Beatus vir, cui non imputauit Do-*
minus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius do-
lus.
3 *Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa*
mea, dum clamarem tota die.
4 *Quoniam die ac nocte grauata eſt*
ſuper me manus tua: conuerſus ſum in æ-
rumna mea, dum configitur ſpina.
5 *Delictum meum cognitum tibi feci:*
& iniuſtitiam meam non abſcondi.
6 *Dixi: Confitebor aduerſum me iniu-*
ſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti
impietatem peccati mei.
7 *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, in*
tempore opportuno.
8 *Verumtamen in diluuio aquarum*
multarum, ad eum non approximabunt.
9 *Tu es refugium meum à tribulatione,*
quæ circumdedit me: exultatio mea erue
me à circumdantibus me.
10 *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te*
in via hac, qua gradieris: firmabo ſuper
te oculos meos.
11 *Nolite fieri ſicut equus & mulus,*
quibus non eſt intellectus.
12 *In camo & fræno maxillas eorum*
conſtringe, qui non approximant ad te.
13 *Multa flagella peccatoris, ſperan-*
tem autem in Domino miſericordia cir-
cumdabit.
14 *Lætamini in Domino & exulta-*
te iuſti, & gloriamini omnes recti cor-
de.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *Doceт beatos illos eſſe, qui peccatorum veniam obtinuerunt: quod probat ex conſcientiæ terroribus, quibus, dum in peccato eſſet, vrgeretur, affirmans ſe à peccatis ſyncera confeßione eſſe liberatum, & veniam aſſequutum. Inde alios ad confeßionem, ac pœnitentiam ſuo exemplo hortatur, docens improbis mala, bona bonis Deum diſpenſare.*

1 *Dauidis Didacticon.* In Hebræo מַשְׂכִּיל *maſcil*, quæ vox variè ab interpretibus accipitur. Alij enim volunt eſſe initium vulgatæ cantilenæ, ad cuius numeros hic pſalmus eſſet decantandus. Alij idcirco vocari hunc pſalmum *maſcil*, id eſt, *erudientem*, ſeu, *intelligere facientem*, quòd verſu octauo dicatur אַשְׂכִּילְךָ *aſcilecha*, id eſt, *intelligere faciam* (ſeu *erudiam*) *te*. Sed hæc ratio non placet. Nam vt id dici poſſit de hoc pſalmo, certè de aliis non poteſt, qui eundem habent titulum. Chald. interpretatus eſt *Dauid intellectus bonus*: Græcus Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ συνέσεως: Lat. *Ipſi Dauid intellectus*. Nos, vt videmur, ad Grammaticam propiùs vertimus, *didacticon*: nam vox hebraica ad verbum ſignificat *erudiens* ſeu *intelligere faciens*: quanquam non nego aliàs ſignificare *intelligens*. *Beatus cuius remiſſa eſt præuaricatio*, &c. Kimhi ſic ferè hunc verſum exponit: Beatus, cui Deus condonauit peccatum, ipſúmque texit pœnitentia, quam ille egit, & pœna, quâ illum mulctauit in hoc ſeculo: non enim, inquit, remittitur peccatum abſque pœna leuiore, aut grauiore: ac pro ratione pœnitentiæ leuior fit pœna. Ecce autem beatus ille eſt, qui mundus erit à ſcelere in altero ſeculo. Ezra his verbis, *cuius tectum eſt peccatum*, eum ſignificari putat, qui pœnitẽtiam egit, eáque Dei iram à ſe auertit, vt non ſit factũ palàm eius peccatum, nullâ immiſsâ à Deo pœnâ.

2 (*Cui*) *non imputabit* ſeu *imputat* &c. in quicquam: q. d. cuius Deus condonauit peccatum propter animi rectitudinem ac ſynceritatem, quâ ad illum ſeſe conuertit, quò pertinet quod ſequitur, *nec* (*eſt*) *in ſpiritu eius dolus*, id eſt, nec eſt doloſa eius pœnitentia, ſicuti illorum, qui peccant animo pœnitendi, aut qui pœnitent animo peccandi. Sic ferè Kimhi. Raſi explicat *nec* (*eſt*) *in ſpiritu eius dolus*, nec habet in animo redire ad vomitum. Ioſeph Kimhi exiſtimat Dauidem hoc & ſuperiore verſu tres iuſtorum gradus eſſe complexum, atque initium duxiſſe ab inferiore gradu, eius videlicet, *cuius remiſſa eſt præuaricatio*: per quem intelligit eum, qui peccauit quidem, A ſed ſeriò egit pœnitentiam, per quam veniam aſſequutus eſt. Deinde dixiſſe, *cuius tectum eſt peccatum*: per quem intelligit eum, cui ſunt multa merita, multæque iuſtitiæ, (ſic enim ipſe loquitur) nec illi eſt niſi exiguum peccatum, quod in tam multis iuſtitiis ita tegitur, vt non appareat. Dixiſſe denique, (*cui*) *non imputat Dominus iniquitatem*: per quem intelligit qui non peccauit omnino, ac ne quidem de peccando cogitauit, *nec* (*eſt*) *in ſpiritu eius dolus*. Sic ille. Ego puto hæc verba, vt alia taceam, quæ ſatis iam ſunt explicata, (*cui*) *non imputabit Dominus iniquitatem*, nihil aliud ſignificare, quàm, cuius peccati Deus non eſt memor ampliùs, ſeu, vt phraſi Scripturę vtar, cuius peccatum Deus proiecit poſt Eſ.38.17. B tergum ſuum, hoc eſt, vno verbo, cuius Deus condonauit prorſus peccatum. Gallicè dicimus, *ne penſer plus à vn peché*. Similis eſt locutio 2. Sam. 19. 19. vbi Semei ſic ad Dauidem, rogans veniam commiſſorum, *Ne imputet mihi Dominus meus iniquitatem, neque memineris iniuriarum ſerui tui &c. vt ponat Rex ſuper cor ſuum*. Ex quo loco phraſis huius loci explicanda eſt. In duob. his verſibus tria ſunt Synonyma, quæ tamen modo ſignificandi, etſi ſępius, vt hîc, confundũtur, nõnihil differũt. Primo loco eſt פֶּשַׁע *peſcha*, quo, vt iam obſeruauimus ad verſ. 7. pſal. 25. ſignificatur propriè peccatum, vt eſt defectio à Deo, ſeu rebellio, ac præuaricatio in Deum. Nam C verbum פָּשַׁע *paſcha*, vnde eſt hoc nomen, propriè ſignificat deficere ab eius mãdatis, ſub cuius imperio ſis. Secundo loco eſt חֲטָאָה *chataa*, quod reddi ſolet *peccatum*, & peccatum ſignificat, vt eſt aberratio, & digreſſus à recta via. Nam verbum חָטָא *chata*, vnde hoc nomen, propriè eſt *aberrare à via* vel *ſcopo*. Omnino latiùs patet hoc nomen, quàm præcedens, quod grauiora tantùm delicta notat. Tertio loco eſt עָוֹן *auon*, quæ vox ſignificat peccatum, vt eſt quædam animæ peruerſitas, &, vt ita dicam, curuitas. Nam עָוָה *aua*, vnde hoc nomen, primò & propriè ſignificat *curuum, contortum*, & *peruerſum eſſe*, & per metaphoram, *peruerſè* & *iniquè agere*. Vnde hoc no-

Digitized by Google

men reddi ſolet *iniquitas, peruerſitas*. Hæc eadem tria nomina verſu quinto repetuntur, ſed non eodem ordine. Græc. & Latinus vim iſtorum nominum non curarunt exprimere.

3 *Quoniam tacui*, nec ſtatim confeſſus tibi ſum peccatum. Potes vertere, *Cùm tacui*, eodem ſenſu, ſecundùm Raſi: hoc verò ſenſu, iuxta Kimhi, *Cùm tacui*, hoc eſt, tacitus conſideraui apud me iniquitatem meam. *In rugitu meo* &c. hoc eſt, aſſiduo eiulatu propter timorem diuini iudicij, & perpetuum conſciẽtiæ ſtimulum. Dicit *oſſa*, iuxta illud Prou. 17. 22. *ſpiritus triſtis exſiccat oſſa*.

4 *Aggrauata eſt* &c. id eſt, oppreſſit me, tanquam graue onus, timor manus tuæ, & decretorum (ſeu iudiciorum) tuorum Sic ferè Raſi. Vel *manus tua*, hoc eſt iuxta Ezram & Kimhi, plaga tua: ſiquidem plaga manu infligitur. Vocabulum *manus* in poſteriore ſignificatione accipitur 1. Sam. 5. 11. *fiebat enim pauor* (*tumultuatio*) *mortis in tota ea vrbe; grauis erat valde manus Dei ibi*. Vide ibidem, verſ. 9. Kimhi porrò hoc ſic explicat: Diu ac noctu ſollicitum me habet peccatum, ac plaga à te ob ipſum inflicta: vereor enim vt par non ſit peccato. Et paulò poſt ſubiicit idem Kimhi ad verbum ſic: Et quanquam ſciret Dauid pœnam ſuã eſſe propter iniquitatem magnam, & admitteret illam in ſeculo hoc, nihilominus tamen metuebat, ne fortè non eſſet perfecta abſterſio iniquitatis in ſeculo hoc, & fortè mulctaretur (ſeu puniretur) propter illam in ſeculo venturo. Hæc ad verbum expreſſimus ex Kimhi, qui quid ſentiret de pœnis alterius ſeculi, quibus abſtergantur (ipſe enim ita loquitur) peccata, clarè oſtendit. Præterire non poſſum, quando in huius rei mentionem incidimus, quod habet Ioſeph filius Iechaiæ, Hiſpanus, ad verſum quartum pſal. 51. *Multiplica lauare me* &c. in hoc ſeculo: *& à peccato meo munda me* in futuro ſeculo. Quid clarius dici poteſt de pœnâ purgatorij? *Cõuerſus eſt humor meus* &c. Elegans & poëtica locutio, quâ ſignificare vult humorem ſuum prorſus exaruiſſe. *Humorem* opponit *ſiccitatibus*, & quidem *æſtatis*, hoc eſt, maximis, quales ſunt æſtate. Vox hebraica לְשַׁד *leſchadh*, quam *humorem* reddidimus, iuxta Ezram ſignificat humidum calidum, in quo vita conſiſtit, quod nos humidum radicale vocamus: iuxta Kimhi & alios, id quod optimum eſt, & humidum in pinguedine. Significare igitur vult Dauid ſe morti fuiſſe proximum, abſumpto natiuo ſucco: vel omnem corporis pinguedinem, quaſi quæ æſtu ſolis torrentur, exaruiſſe, ſcilicet ob ſollicitudinem,

A & metum, quem adferret *grauitas*, ſic loquitur Raſi, *manus Domini*, hoc eſt, ſenſus iræ, & iudicij diuini, quod metuebat ob peccatum. Conuenit huic ſententiæ illud Prouerb. 17. 22. *Animus gaudens benefacit* (*vt*) *medicina*, (in Vulg. *ætatem floridam facit*,) *& ſpiritus triſtis exſiccat oſſa*. Mirum tantùm hîc diſceſſiſſe Græcum & Latinum interpretem ab Hebræo. Græcus enim habet ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν, ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν: Latinus verò *conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*: qui, vt vides, non conſentiunt inter ſe. Defendi qui-
B dem poteſt illud Græci interpretis, εἰς ταλαιπωρίαν, necnon illud Latini *in ærumna mea*, deducendo לשרי, à radice שָׁדַד *ſchadhadh*, quæ ſignificat *vaſtauit*, & legendo aliis punctis לְשֹׁד *leſchodh*, *in ærumnam*, vel לְשָׁדִּי *leſchoddi*, *in ærumnam meam*, vel etiam *in ærumna mea*. Atque inde Menachem deduxiſſe prædictam vocem, & interpretatum eſſe pro *vaſtitate*, *miſeria*, teſtis eſt Raſi. B. Hieron. quoque ita accepit id vocabuli, qui interpretatus eſt, *verſatus ſum in miſeria mea, cùm exardeſceret æſtas*. Affinitas harum vocum קוץ *kots*, *ſpina*, & קַיִץ
C *kayits*, *æſtas*, facilè potuit imponere. Illud *dum configitur*, vnde ſit, prorſus neſcio, nec, credo, certò ſcire quiſquam poteſt. Eſt qui ſuſpicetur pro בְּחַרְבֹנֵי *becharbone*, legiſſe Græc. & Lat. בְּדָרְבֹנֵי *bedhorbene*, id eſt, *in ſtimulis*, quod Græcè & Latinè redditum ſit, *dum configitur*, ד nimirum pro ח. Alius cenſet pro voce prædicta legiſſe, vocum ſimilitudine deceptos, בְּחָבְרֵנִי *bechoureni*, id eſt, *dum aſſociatur*, aut *coniungitur mihi*. Coniecturæ ſunt, quæ mihi, ne quid diſſimulem, non admodum probantur, quippe
D violentæ.

5 *Cognitum tibi feci*, vel *faciam*: in Heb. enim verb. eſt fut. temp. ac ſic *non abſcondi*, vel *abſcondam*: etſi hîc verb. eſt præt. Quum, inquit, viderem, vel videam dolores ingraueſcere, ad te confugi, vel confugiam. Dicit *cognitum tibi feci*, ἀνθρωποπαθῶς: Deus enim nihil ignorat. Obſerua in hoc verſu fieri mentionem *peccati*, *iniquitatis*, & *præuaricationum*, de quibus duobus primis verſibus egerat. Omnibus ſci-
E licet peccati nominibus ſuum ipſe peccatum appellat, quò ipſum augeat magis & amplicet. *Super* vel *aduerſum*. Græcus & Latinus habent *aduerſum me*: legerunt enim עָלַי *alai*, pro עָלֵי *ale*, aliis tantùm punctis. Sic quoque vertit, & ſenſus eſt præclarus, Pagninus, Mollerus etiam, & Beza, alioquin textui hebraico addictiſſimi, vt ſunt omnes Nouatores. *Tu remiſiſti* ſtatim atque confeſſus ſum, ac dixi ipſi Nathan *Peccaui*: iuxta illud 2. Sam. 12. 13.

etiam

Digitized by Google

etiam Dominus trāſtulit peccatum tuum: &c. Sic Raſi. Senſus eſſe poteſt, ſtatim ac ſtatui apud me confiteri peccatum, tu illud remiſiſti. Malè ergò qui volunt hoc loco eſſe præt. pro fut. vt Kimhi & Ezra. Hic tamen ſic quoque explicat, remiſiſti ad hanc vſque diem. Dicit, inquit Kimhi, *iniquitatē peccati mei*, ad indicandam grauitatem peccati: quo modo Pſal. 40. 3. dicitur *lutum cœni*, pro luto multo ſeu profundo.

6 *Propter hoc* quòd tu mihi condonaſti peccatum. In Græco, & Lat. *Pro hac*, ſcilicet *impietate*, ſeu *iniquitate*, cuius mox facta eſt mentio. Verùm B. M. Card. Bellarminus non probat hoc, quòd vox hebraica, quæ redditur *iniquitas*, ſeu *impietas*, ſit generis maſc. ideóque non concordet cum ea illud, *Pro hac*, quod etiam in Hebræo eſt generis fœm. Ideo cogimur, inquit laudatus Cardinalis, dicere, *pro hac*, ſignificare, pro hac re, ſiue pro hoc: nam Hebræi vtuntur genere fœminino pro neutro. Et poſſet etiam, inquit, rectè verti, *propter hoc*. Vide quæ notauimus ad verſ. 3. pſ. 27. *Orabit omnis ſanctus ad te*, quoties inciderit in aliquod peccatum. *In tempore inueniendi*, Deum ſcilicet, hoc eſt, in hoc ſeculo, quod ſolum eſt pœnitentiæ commodum & opportunum: ante mortem & latam ſententiam, dumque adhuc Dominus propinquus eſt, ac dicit, *Quærite me*. Ante mortem, inquam, poſt quam non eſt pœnitentiæ ac merito locus, iuxta illud Eccl. 9. 10. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter* (heb. *ſecundùm vires tuas*) *operare: quia nec opus, nec cogitatio, nec ſcientia, nec ſapientia in ſepulchro, quò tu properas.* Refer huc illud Eſa. 55. 6. *Quærite Dominum, dum inueniri poteſt: inuocate eum, dum propè eſt*: quem verſum Chald. ſic explicat, *Quærite timorem Domini, dum vos viuitis: poſtulate ab eo, dum eſtis ſuperſtites.* Ergò *in tempore inueniendi*, id eſt, quandiu erit *in via*, vt loquuntur Theologi. Chald. interpretatus eſt, *in tempore beneplaciti* (ſeu *beneuolentiæ*) *eius*. Fœliciter Græcus & Lat. expreſſerunt ſic, *in tempore opportuno*. Potes interpretari, *in tempore inueniendi*, id eſt, tempore neceſſitatis, tunc enim propè eſt Dominus, ac facilè inueniri poteſt: *cum contrito enim & humili ſpiritu habitat Deus, vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum*, vt eſt Eſa. 57. 15. & *Propinquus* (*eſt*) *Dominus iis qui cōfracti ſunt corde*, &c. pſal. 34. 19. *Profectò in diluuio* &c. Senſus eſt, Si ad Deum confugerit, non modò non punietur propter peccatum, ſed etſi variæ vniuerſum orbem calamitates inundent inſtar diluuij cuiuſdam, ad eum nunquam pertingent, quod ego in me ſæpe ſum expertus. Per *aquas* calamitates & pericula ſignificantur: quod frequens eſt in ſacris literis. Inſignis eſt ille locus Eſaiæ 43. 2. *Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & per flumina, non operient te: cùm ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te:* verſ. 3. *Quia ego Dominus Deus tuus*, &c.

Non approximabunt, aquæ ſcilicet, nec quicquam ei nocebunt.

7 *Tu* (*es*) *refugium* &c. Poſterius membrum ſuperioris verſus ſuo exemplo probat, affirmans ſe Dei præſidio tutum eſſe, quæcunque ingruant mala. *Cantionibus* (ſeu *ouationibus*) *liberationis* &c. Senſus eſt, facis vt multoties à te ſeruatus tibi gratias etiam frequentes agere debeam. Vel, facis quotidie, dum mihi fers opem, vt variis circunſtantis populi acclamationibus ſaluter. Pro *cuſtodis me*, Græcus vertit τῆς περιεχούσης με; Lat. *quæ circumdedit me:* legit enim Græcus, quem ſequitur Latinus, תְּצָרֵנִי *tetſureni*, in fut. Kal. quod iudicauit eſſe pro præterito, vt aliàs ſæpe, à rad. צור *tſur*, pro תִּצְּרֵנִי *titstſereni*, *cuſtodies* (vel *cuſtodis*) *me*, à rad. נָצַר *natſar*. Item ſuppleuit pronomen *quæ*, cuius frequens eclipſis. Scio ſic nomen non conuenire cum verbo in genere. Sed hìc vſus interdum peccat, & admittit diſſidium generis, præſertim vbi ſynonymum aliquod eſt, quod cum verbo conuenire poſſit, vt hoc loco צָרָה *tſara*, quod idem eſt ac צַר *tſar*. Poſſem hoc facilè probare, niſi breuitati ſtuderem. Præterea vbi *cantionibus*, Græc. & Lat. verterunt *exultatio mea*: legerunt enim רָנִּי *ronni*, id eſt ad verb. *cantio mea*. Vbi *liberationis* (ad verb. *liberare*) ipſi habent *erue*: acceperunt enim פַּלֵּט *phallet*, in imper. quod Hebræi in infin. Verbum ſiquidem hebraicum vtriuſque modi eſſe poteſt. Sanè durum illud loquendi genus videri poſſit *cantionibus liberare*: ac mallem, ſi fieri poſſet, *libera* ſeu *erue*. Reliqua eſt vna vox, quæ cùm hodie legatur תְּסוֹבְבֵנִי *teſoueueni*, id eſt, *circundas* (ad verb. *circundabis*) *me*, eam illi videntur legiſſe מְסוֹבְבֵנִי *miſſoueueni*, id eſt, *à circundante me*, מ pro ת. Latinus ergò Græcum ſequutus totum hunc verſum ſic reddidit, *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me:* non incommodo ſenſu, nec omnino repugnante Grammatica.

8 *Intelligere faciam te*, &c. Subitò ſermonem conuertit ad ſuos, quos adhortatur ad pœnitentiam ſuo exemplo. *Oculo meo*, id eſt, ex iis quæ ipſe vidi, & in me ſum expertus. Sic Kimhi. Vel *oculo meo*, id eſt, diligente prouidentia, ac ſollicitudine: quo

Digitized by Google

modo accepit Chald. qui interpretatus eſt, *conſulam tibi, & ponam ſuper te in bonum oculum meum:* quem ſenſum etiam expreſſerunt Græc. & Lat. vertentes *firmabo ſuper te oculos meos.* Beatus Hieronymus vertit, *cogitabo de te oculo meo.*

9 *Nolite fieri* &c. Subitò ſingularem numerum in pluralem mutat per enallagen Hebræis familiarem. Ne eſtote, inquit, quemadmodum equus & mulus, qui verbis reprimi non poſſunt, ſed auſcultate meæ adhortationi, ac meo exemplo reſipiſcite, & conuertimini ad Deum. (*Alioqui*) *non approximant ad te.* Ad verb. *non approximare* (ſeu *appropinquare*) *ad te:* quę verba duplicem ſenſum habere poſſunt, vel vt ſignificent, id quod vertimus, (*alioqui*) *non* &c. Vel *ne approximent ad te*, ac tibi noceant: quo modo acceperunt Raſi, Ezra, Kimhi & alij. Obſeruat Ezra eſſe qui explicent *ne appropinquent ad te*, ſic, abſit à te, vt ſis quemadmodum equus & mulus.

10 *Multi dolores* &c. Hic verſus continet rationem præcedentis adhortationis, & antitheſin, quâ impij & pij hominis conditio atque exitus inter ſe conferuntur. Hunc autem verſum ſic ferè explicat Kimhi: Ei, qui ſuis nititur viribus, neque ad Deum reſpicit, neque de peccatis cogitat, multi dolores aduerſáque accidunt, nemóque eſt qui opem ferat: ſed qui ſperat in Domino, ab eóque ſolo pendet; quem peccatorum pœnitet; qui quicquid ſibi vel boni vel mali contingit, à Deo eſſe intelligit, pro ratione ſuorum operum, eum miſericordia circundat ac cingit, cùm impij econtrà omnibus miſeriis opprimantur. Ezra *ſperantem in Domino* exponit, qui non nititur medicorum conſilio, ſicuti fecit Aſa. Præterire non poſſum, quod ipſe addit: Scito autem non permittere Scripturam medicis vti, niſi ad curandum vulnus ab homine inflictum: ſolus enim Deus Iſraëlitarum medicus eſt, & medicina eius roborat animam, augétque timorem Dei. Sic ferè ille, qui nititur, credo, eo quod 2. Paral. 16. 12. de Aſa narratur, qui reprehenditur quòd in infirmitate ſua non quæſiuerit Dominum, ſed medicos. Sed videre ipſe debuerat non reprehendi Aſam, quòd conſuluerit medicos, ſed quòd, omiſſo Deo, medicos duntaxat conſuluerit. Vnde bene illic in Vulgata, *nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt.* Certum quidem eſt in morbis ad Deum debere nos confugere. *Fili, in tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. Auerte te à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Eccleſiaſtici 38. 9. Sed non tamen negligendi medici. *Da locum medico. Etenim illum Dominus creauit: & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria. Eſt enim tempus, quum etiam in manibus eorum ſit* εὐωδία, id eſt, *bonus odor.* Meliùs in quibuſdam exemplaribus εὐοδία, id eſt, *proſperitas*, quaſi dicat, euenit vt medicorum curationes ſuccedant. Ac ne tamen id medicis ipſis tribuatur, additur ſtatim, *Nam & ipſi Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum, & ſanitatem propter vitam illorum.* Eccleſiaſtici cap. cit. verſu 12. & ſequentibus. Ex his explicari facilè poteſt illud Exo. 15. 26. *ego ſum Dominus ſanator tuus,* quod ſententiam Ezræ videtur iuuare: ſi dixeris Deum eſſe præcipuum quidem medicum, & quem peritiores medici debeant conſulere, ſed non propterea omnino reiiciendos medicos: alioquin ſi ſimpliciter hic locus accipiatur, ne quidem ad ſananda vulnera ab homine inflicta adhiberi poſſent medici: quod tamen cenſet Ezra.

11 *Lætamini in Domino*, &c. Epiphonema eſt, quo pſalmum concludit, iubétque pios homines bene de Deo ſperare, in eóque lætari, quem ſciant ſe habere propitium & fauentem. *Laudate*, propriè *canite, iubilate*, vel, iuxta Kimhi, *canere* ſeu *iubilare facite*, ſcilicet *omnes rectos corde.* Non tantùm, inquit, lætamini vos, ſed & prædicate quid vobis à Deo boni contigerit, omnibus qui rectum amant, eóſque ad celebrandas vnà vobiſcum Dei laudes incitate.

Digitized by Google

PSALMVS

XXXII. XXXIII.

VERSIO

VETVS.

In finem, Pſalmus Dauid.

EXultate iuſti in Domino: rectos decet collaudatio.
2 Confitemini Domino in cithara: in pſalterio decem chordarum pſallite illi.
3 Cantate ei canticum nouum: bene pſallite ei in vociferatione.
4 Quia rectum eſt verbum Domini, & omnia opera eius in fide.
5 Diligit miſericordiam & iudicium: miſericordia Domini plena eſt terra.
6 Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritũ oris eius omnis virtus eorum.
7 Congregans ſicut in vtre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos.
8 Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.
9 Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.
10 Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum.
11 Conſilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationem.
12 Beata gens, cuius eſt Dominus, Deus eius: populus, quem elegit in hereditatem ſibi.
13 De cælo reſpexit Dominus: vidit omnes filios hominum.
14 De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram.

NOVA.

EXultate iuſti in Domino: rectos decet laudatio.
2 Confitemini Domino in cithara: in pſalterio decem chordarum pſallite ei.
3 Cantate ei canticum nouum: bene [a] pſallite [b] in vociferatione. [a] heb. *pulſate* [b] *cum clãgore.*
4 Quia rectum (eſt) verbum Domini, & [c] omnia opera eius in [d] fide. [c] heb. *omne opus* [d] *veritate.*
5 Diligit iuſtitiam & iudicium: miſericordia Domini plena eſt terra.
6 Verbo Domini cœli facti ſunt, & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum.
7 Congregat ſicut aceruum aquas maris: ponit in theſauris abyſſos.
8 Timeat [e] Dominum omnis terra: ab eo [f] commoueantur omnes [g] inhabitantes orbem. [e] heb à *Domino* [f] *paueant* [g] heb. *habitatores orbis.*
9 Quoniam ipſe dixit, & fuit: ipſe mandauit, & ſtetit.
10 Dominus [h] diſſipat conſilia gentium: irritas facit cogitationes populorum. [h] *frangit conſilium*
11 Conſilium (autem) Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generationem & generationem.
12 Beata gens, cuius (eſt) Dominus Deus eius: populus (quem) elegit in hæreditatem ſibi.
13 De cœlo reſpicit Dominus: videt omnes filios hominum.
14 De ſede habitaculi ſui proſpicit ſuper omnes qui habitant terram.

i formant
l heb. cor

15 Qui [i] fingit ſimul [l] corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

15 Qui finxit ſigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

16 Non ſaluatur Rex in multitudine exercitus: potens non ſaluabitur in multitudine virtutis.

16 Non ſaluatur rex per multam virtutem: & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ.

m heb. Mendacium

17 [m] Fallax equus ad ſalutem, & in multitudine virtutis ſuæ non ſaluabit.

17 Fallax equus ad ſalutem: in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur.

n heb. oculus
o vel ad
p ad

18 Ecce [n] oculi Domini [o] ſuper metuentes eum: [p] in eos qui ſperant ſuper miſericordia eius.

18 Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum: & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.

q heb. animam

19 Vt eruat à morte [q] animas eorum, & viuificet eos in fame.

19 Vt eruat à morte animas eorum: & alat eos in fame.

20 Anima noſtra expectat Dominum: auxilium noſtrum, & clypeus noſter [r] eſt.

r heb. ipſe.

20 Anima noſtra ſuſtinet Dominum: quoniam adiutor & protector noſter eſt.

ſ heb ſanctitatis

21 Quia in eo lætabitur cor noſtrũ: quia in nomine [ſ] ſancto eius ſperauimus.

21 Quia in eo lætabitur cor noſtrum: & in nomine ſancto eius ſperauimus.

22 Sit miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.

22 Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *IVſtos ad celebrandum ac timendum Deum hortatur, rationes adducens grauiſſimas ab immenſa Dei bonitate, iuſtitiâ, ſapientiâ, ac prouidentiâ in hoc creando ac gubernando mundo, petitas. Denique nomine totius populi ſpem & fiduciam in Deo profitetur, & bonitatem eius inuocat. Eſt admodum auguſtum hoc carmen.*

1 *Exultate iuſti* &c. Tribus primis verſibus continetur propoſitio Pſalmi.

2 *In pſalterio decem chordarum.* Alij putant עָשׂוֹר *aſor*, quod poſt Græc. & Latinum reddidimus *decem chordarum*, nomen eſſe alius inſtrumenti, atque idcirco ſupplendo, &, quod ſæpe deeſt, vertunt, *in pſalterio (&) decachordo.* Fauet illis inſigniter verſus 4. pſal. 92. vbi pſalterium, & עָשׂוֹר *aſor*, diſtinguuntur, ſic, *Super pſalterio & decachordo.* Fauent Ezra & Kimhi. Chaldæus tamen, Moſes, Raſi, & alij aliter ſentiunt. Et Chaldæus quidem interpretatus eſt, *in pſalterio (nablo) decem chordarum:* quo modo B Græc. & Lat. Raſi explicat *in pſalterio* (ſeu potiùs *choro*) decem ſpecierum melodiæ: Moſes verò, *in pſalterio (choro)* conſtante decem foraminibus. Incertum porrò eſt quid ſignificet נֵבֶל *nebel*, quod Græc. & Latinus reddunt *pſalterium.* Aliis eſt Chorus, vulgò *cornamuſa*: aliis nablum; quæ A vox dubio procul ab hebræo eſt: aliis pſalterium: aliis lyra. Ezra in verſum 12. cap. 5. Eſaiæ obſeruat eſſe muſicum inſtrumentum conſtans octo foraminibus. Ioſephus Antiquit. Iud. lib. 7. cap. 10. affirmat nablam duodecim ſonos continere. Vides hîc incerta eſſe omnia.

3 *Cantate ei* &c. Noua carmina ſubinde canite: quotidie enim noua laudum diuinarum materia ſeſe offert attentiùs conſideranti Dei opera. Sic pſ. 96. 1. *Cantate Domino canticum nouum.*

4 *Quia rectum eſt* &c. Argumenta proponit, cur Deus celebrari debeat. *Verbum Domini*, hoc eſt, iuxta Ezram, & Kimhi, decreta, & iudicia Dei. Decreta autem & iudicia pœnalia intellige. Dicit ergo *rectum eſſe verbum Domini*, quòd quicquid aduerſùs hominem Deus decernit, rectum ſit, ac iuſtum, & pœnæ à Deo inflictæ homini ſemper ipſi ſint vtiles: quò pertinet &

Digitized by Google

quod ſequitur, *& omnia opera eius in fide,* ſeu *veritate,* hoc eſt, ac quicquid Deus facit, ex æquo & bono facit, & pro ea fide, quâ ſe hominibus aſtrinxit: ac ſi quid mali homini immittit, in eius bonum immittit. Quo ſenſu dicitur Eſaiæ 12.1. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es in me:* &c. & pſal. 101. 1. *Miſericordiam, & iudicium cantabo.* Sic dicebat Iob cap. 1. 21. *Dominus dedit, & Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum.* Pij Dei cultores eodem loco habent malum à Deo immiſſum ac bonum, & de vtroque læti Deo gratias agunt. Sic Dauid pſal. 119. 75. *Cognoui* (inquit) *quòd æquitas iudicia tua, & in veritate humiliaſti* (*afflixiſti*)*me.* Sic Mich. 7. 9. *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Quid ſi hîc accipias דָּבָר *deuar*, hoc eſt, *verbum*, pro re, facto, ſeu opere? Vox enim illa hebræa non minùs latè patet in conſuetudine hebræi ſermonis, quàm apud nos *choſe*. Sic idem in vtroque membro dicetur pro more, eritque hæc ſententia, Quicquid Deus agit, rectum eſt, & æquum. *Fides* ſeu *fidelitas* hoc loco nihil aliud ſignificat, quàm æquum & bonum: quo modo homo aliquis bona fide agere dicitur, quum ex æquo agit, ac ſyncerè, & pro ea fide, quam homo homini debet. Sũt qui hunc verſũ explicẽt de promiſſis Dei, quæ recta ſunt, & quæ ille certò præſtat. Sed hæc ſentẽtia nimis anguſta eſt, ac minùs huic loco conuenit.

5 *Diligit iuſtitiam & iudicium.* Senſus eſt, Deus interdum iuſtitiam exequitur, æqualitatem inter omnes ſeruando, ſeu ſuum cuique tribuendo: interdum iudicium, alterum de altero vlciſcendo: (ſic ferè Ezra *iuſtitiam & iudicium* interpretatur) miſericordia verò his ſuperior eſt, omniáq; complectitur: ac propterea dicit, *miſericordia Domini plena eſt terra. Diligit iuſtitiam* &c. hoc eſt, Amat facere iuſtitiam &c.

6 *Verbo Domini* &c. Aliud argumentum Dei celebrandi ab opere creationis petitum. *Spiritu oris,* id eſt, verbo, phraſi hebraica, cui occurrit ſimilis Eſaiæ 11. 4. *& percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* *Omnis exercitus eorum,* hoc eſt, quæcunque in cælis ſunt; quæ ideo *exercitus* appellantur, vt dictum eſt ad verſ. 10. pſal. 24. quòd, ſic tanquam milites vni duci & imperatori, omniũ rectori & moderatori Deo ſubdita ſint, atq; ad eius nutũ prę̃ſtò adſint, eáq;, vbi & quum vult, armet ad vltionẽ inimicorum. *Sap. 5. 18.*

7 *Sicut aceruum,* in ſuos ſcilicet alueos. Grẹcus habet hîc *ſicut vtrem:* Lat. *ſicut in vtre.* Vterque legit נאד *nodh*, quod *vtrem*, pro נד *nedh*, quod *aceruum* ſignificat. Sic & Symm. legit, qui vertit ὡς ἐν ἀσκῷ, quo modo Latinus. Sic quoque ipſe Chald. qui interpretatus eſt, *Qui congregat ſicut vtrem* &c. Sic B. Hieronymus, qui vertit, *Congregans quaſi in vtrem aquas maris.* *Sicut in vtre,* vel *ſicut in vtrem,* hoc eſt, coëgit in alueos, tãquam in vtrem, aquas antea vniuerſæ terræ ſuperfuſas. Vide Gen. 1. 9. D. Baſilius, qui legit *quaſi vtrem,* ſic exponit, ipſe nunc inflat mare tẽpeſtatibus ventorũ: nũc rurſus ſedat, & quaſi in ſe contrahit. Affirmat tamen in quibuſdam exemplaribus legi *in vtrem.* Siue legas *ſicut in vtre*, vel *ſicut in vtrem*, ſiue *ſicut aceruum*, nil refert ad ſenſum, & vtrumque eãdem efficit ſententiam. Cæterùm & in hoc verſu mentio fit operis creationis, vt in mox præcedente: quò mihi minùs placet D. Baſilij expoſitio. Nil obſtat, quòd hîc verba ſunt præſentis temporis, *congregat, ponit,* cùm tamen ab initio hoc factum ſit, quia Deus ita ſemper cõſeruat, quod initio fecit, vt verè dici poſſit ſẽper id facere. *Ponit in theſauris,* hoc eſt, iuxta Raſi, ſub terra. Vel dicit *in theſauris,* quòd Deus ita aquas ſuis alueis coërcuerit, vt quaſi in theſauris concluſæ exire nullo modo poſſint, ac terram obruere. Ac ſic ferè Kimhi.

8 *Timeat Dominum,* ſeu, *à Domino omnis terra:* &c. Excitauit omnes ad celebrãdum Deum ex conſideratione eius iuſtitiæ, miſericordiæ ac potentiæ, nunc ad eundem timendum hortatur; præſertim ab eius immenſâ potentia, qui ſolo verbo poteſt omnia, quò pertinet ſequens verſus.

9 *Quoniam ipſe dixit, & fuit,* hoc eſt, Solo enim verbo & nutu vniuerſa fecit ac condidit: *dixit, Fiat lux, & facta eſt lux: Fiat firmamentum, & fecit firmamentum,* ſolo dicto ſcilicet. Vide Gen. 1. cap. *Ipſe mandauit, & ſtetit* ac fuit quodcunque mandauit, & eſſe voluit. Idem repetitur: niſi quòd plus inferre videtur, quum ait *& ſtetit,* quàm quum *& fuit*, nimirum non modò Dei verbo ac nutu vniuerſa eſſe creata, ſed etiam eiuſdem verbo conſiſtere omnia & conſeruari.

10 *Dominus diſſipat,* ſeu *infringit* &c. Senſus eſt, Si omnes ſimul populi, quotquot ſunt, vno conſenſu potentiæ ac voluntati Dei ſe opponant, nihil efficient, ſed eorum omnes conatus infringet Deus, coram quo *omnes gentes ſic ſunt, quaſi non ſint, & minùs quàm nihilum, & inane reputantur præ ipſo,* vt eſt Eſa. 40. 17.

11 *Conſilium* (*autem*) *Domini* &c. Continet hic verſus antitheſin ſuperioris, quâ docere vult Dauid euentus non reſpondere conſiliis humanis, ſed totos pendere à conſilio, & voluntate Dei, *apud quem,* vt eſt Iob 12. verſ. 12. & ſeq. (*eſt*) *ſapientia, & for-*

titudo: qui habet conſilium, & intelligentiam. Qui ſi deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet: ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat.

12 *Beata gens*, &c. Beata ergo, inquit, illa gens, quæ verum Deum agnoſcit, eiúſque prouidentiæ non repugnat, quemadmodum aliæ gentes ſtultis ac prauis opinionibus infatuatæ, quarum omnium conſilia Deus euertit, vt mox dictum eſt.

13 *De cælo reſpicit Dominus:* &c. Hactenus de Dei potentiâ egit, nunc de prouidẽtiâ ac ſcientia, quâ in ipſos etiam intimos cordis receſſus penetrat. Verba in his verſibus, quanquam in Hebræo præt. temporis, ſunt per præſ. exponenda, poſtulante contextu. Dixit emphaticè, & conſultò *de cælo*, vt inſanis hominibus occurreret, qui dicũt; *Quid nouit Deus? nunquid per caliginem iudicat? Nubes (ſunt) latibulum illi, & non videt, & ambitum cæli perambulat.* Iob 22. 14. & ſeq.

14 *De ſede habitaculi ſui*, hoc eſt, de cœlo. Quo modo legitur 1. Reg. 8. 30. *in loco habitaculi tui, in cælo* Verſu 43 *in cælo, loco habitaculi tui.* Vox hebræa מָכוֹן *mechon*, quæ hîc pro *ſede* ponitur, firmam & certam ſedem propriè ſignificat.

15 *Qui fingit* (ſeu *format*) *ſimul* &c. Optima ratio infinitæ, ac per omnia ſeſe diffundentis Dei ſcientiæ. Deus finxit hominum corda: Ergò nihil in hominum cordibus eſſe poteſt, quod Deum lateat. *Nunquid* enim *qui plantauit aurem, non audiet? an qui finxit oculum, non videbit?* Pſal. 94. 9. Dicit *ſimul*, hoc eſt, omnia ad vnum, ſine exceptione: nec particula *ſimul* ad verbum *fingit*, ſed ad *corda* ſeu *cor eorum* debet referri, ac ſi diceretur, cor omnium illorum, quo modo interpretatur Raſi. Sic accipienda quoque eſt particula *ſimul* in illo Eccleſiaſtici 18. 1. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul*, omnia ſimul, hoc eſt, σύμπαντα, vniuerſa ſine exceptione. Senſus ergò eſt, Qui omnia omnium hominum corda condit, atque ideo cognoſcit & introſpicit. Quòd ſi corda cognoſcit, quantò magis opera? hócque quod ſubiicit, *qui intelligit omnia opera eorum.* Obſeruat Raſi Doctores retuliſſe aduerbium *ſimul* ad verbum *proſpicit* ſuperioris verſus, hoc modo, *proſpicit ſimul cor eorum, qui format.* Hoc modo accepit Chald. qui interpretatus eſt hunc verſum ſic, *Qui creauit eos, reſpicit ſimul cor eorum, & intelligit omnia opera eorum. Simul* in horum ſententiâ, id eſt, vno, & ſimplici intuitu. Kimhi videtur hoc quoque ſenſu accepiſſe. Ezra vocem יַחַד *iachadh*, pro אֶחָד *echadh*, id eſt, *vnus*, interpretatur, hoc ſenſu, Formator vnus eſt, nec plures ſunt: idcirco ipſe ſolus intelligit omnia hominum opera. Ad huius ergò mentem vertendum, *Qui format vnus* (ſeu *ſolus*) *cor eorum: qui intelligit* &c. Quidam ex Hebræis, teſte Kimhi, accipiunt hoc loco יֹצֵר *iotſer*, pro אוֹצָר *otſer*, id eſt, *theſaurario*, ſeu *in theſaurum recondente*: quo modo Zachariæ 11. 13 ſumitur à quibuſdam, ac præſertim à Raſi, Kimhi, necnon etiam Chaldæo, qui interpretatur ibi eam vocem, אַמַּרְכְּלָא *immarcela*, quod eſt propriè *præfectus, præpoſitus*. In horum ſententiâ vertendum erit, *Qui recondit ſimul cor eorum*: quaſi diceret, In cuius theſauris omnes hominum cogitationes ſunt, ideóque perinde illi notæ, & in promptu, vt ea, quæ quis in theſauris habet.

16 *Non ſaluatur* &c. Pergit in declaranda Dei prouidentia. *Non*, inquit, *ſaluatur rex in multitudine exercitus*, ac copiarum, ſed Dei ope omnia gubernantis ſua prouidentia: *Qui ponit principes in nihilum: iudices terræ velut inane facit*, Eſ. 40 13. *Qui contrà dat laſſo virtutem, & cui non (ſunt) vires, robur multiplicat*, ibidem, verſu 29.

17 *Fallax* (ad verb *Mendacium*) *equus ad ſalutem.* Senſus, Nihil ad ſalutem regis aut cuiuſuis alterius iuuat equus, quantumuis generoſus, & procul odorans bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus: nihil iuuat, inquam, abſq; Deo, qui, vt eſt Iob 39. 22. dedit equo fortitudinem, & induit collum eius tonitru, & guttur eius hinnitu. *Non ſaluabit* ſuum ſeſſorem, iuxta Kimhi: vel ſe, iuxta Ezram: atque vltimo modo accepit Latinus, qui vertit *non ſaluabitur*. Iob 39. 22.

18 *Ecce oculi* (ad verb. *oculus*) *Domini* &c. Non, inquit, qui ſuis viribus fidunt, ſeruantur, ſed qui miſericordiæ Dei.

19 *A morte* gladij, aut peſtis. Ezra.

20 *Anima noſtra expectat Dominum*, propterea quòd videmus ſaluos & incolumes ſemper euadere, qui illum reuerentur, & in eius miſericordiâ ſpem collocant, vt dictum eſt mox præcedentibus verſibus. *Auxilium noſtrum*, &c. hoc eſt, non alium defenſorem, ac propugnatorem agnoſcimus, quàm illum.

21 *Quia in eo lætabitur* &c. Senſus eſt, Certò enim ſperamus nobis ipſum adfuturum, ideóque nos de eius ope ex animo lætaturos. *Quia in nomine ſancto eius* &c. Ratio eſt prioris membri. In vtroque membro ſi pro *quia* vertas *certè*, quemadmodum à quibuſdam noſtrorum hîc, & alibi interdum vertitur particula כִּי *ci*, & τὸ *in eo lætabitur* &c. explices, in eo lætus acquieſcet animus noſter, ſenſus meliùs ac commodiùs fluet, ac ſic idem dicetur in hoc verſu, quod in præcedente.

Digitized by Google

PSALMVS

XXXIII. XXXIV.

VERSIO

VETVS.

DAuidi, cùm immutauit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum & abijt.

2 Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.

3 In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur.

4 Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipſum.

5 Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

6 Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.

7 Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.

8 Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.

9 Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus vir, qui ſperat in eo.

10 Timete Dominum omnes ſancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum.

11 Diuites eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

12 Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos.

13 Quis eſt homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?

NOVA.

DAuid, cùm immutauit geſtum ſuum coram Abimelech: & expulit eum, & abiit.

2 Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.

3 In Domino laudabit ſe anima mea: audient manſueti, & lætabuntur.

4 Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius ſimul.

5 Quæſiui Dominum, & exaudiuit me: & ex omnibus timoribus meis eripuit me.

6 Aſpicient ad eum, & [a] illuminabuntur: & facies eorum non ſuffundentur pudore.

[a] vel confluent.

7 Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit (eum:) & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.

8 Caſtrametatur angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripit eos.

9 Guſtate, & videte, quòd bonus (eſt) Dominus: beatus vir, (qui) ſperat in eo.

10 Timete Dominum ſancti eius: quoniam non (eſt) inopia timentibus eum.

11 Leunculi eguerunt, & eſurierunt: quærentes autem Dominum non deficient omni bono.

12 Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos.

13 Quis (eſt) homo, qui vult vitam, diligit dies, vt videat bonum?

b heb. *Cuſtodi*
c ad verb. *à loquendo*

14 [b] Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua, [c] ne loquantur dolum.

15 Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.

16 Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius [d] in preces eorum.

d heb. ad *clamorem*

17 Vultus Domini in facientes [e] mala, vt [f] perdat de terrâ memoriã eorum.

e heb. *malum,*
f *ſuccidat,*

18 Clamant, & Dominus exaudit: & ex omnibus tribulationibus eorum liberat eos.

19 Propinquus (eſt) Dominus [g] iis qui confracti ſunt corde: & contritos ſpiritu ſaluat.

g ad verb. *confractis corde:*

20 Multa mala iuſti: & de omnibus his liberabit eum Dominus.

21 Cuſtodit omnia oſſa eius: vnum ex his non conteritur.

22 Interimet impium malitia, & qui oderunt iuſtum deuaſtabuntur.

23 Redimit Dominus animam ſeruorum ſuorum, & non deuaſtabuntur omnes qui ſperant in eo.

14 Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.

15 Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.

16 Oculi Domini ſuper iuſtos: & aures eius in preces eorum.

17 Vultus autem Domini ſuper facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum.

18 Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

19 Iuxtà eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſaluabit.

20 Multæ tribulationes iuſtorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.

21 Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: vnum ex his non conteretur.

22 Mors peccatorum peſſima: & qui oderunt iuſtum, delinquent.

23 Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum: & non delinquent omnes qui ſperant in eo.

COMMENTARIVS.

Argumentũ.

T*Itulus, qui poſtea excutietur, argumentum indicat, & occaſionem carminis. Hiſtoria porrò, quam præfert, deſcribitur* 1. *Sam.* 21. *Ea ferè ſic habet. Dauid Saulem ſibi infeſtum fugiens, relicto Achimelech Sacerdote, à quo viatico & gladio fuerat inſtructus, ad aulam Achis regis Geth ſe recepit, vbi ſtatim agnitus ab aulicis. Pertractus igitur ad Regem eſt, indicio facto, eum eſſe qui totius prouinciæ regnum affectaret, tótque iam Palæſtinorum millia, ipſúmque Goliath Gethæum cecidiſſet. Quod intelligens Dauid, ac cernens certum ſibi vitæ diſcrimen imminere, confugit ad extremas artes: inſaniam ac rabiem ſimulauit: in foribus portæ pingebat, ſaliuæ fluore barbam ac mentum aſpergebat, futurum ſperans vt tanquam inſanus expelleretur. Id quod factum. Nam Achis, ſuis priùs vehementer increpitis, quòd furioſum hominem ad ſe adduxiſſent, iuſſit eum eijci. Tum igitur Dauid non tam ſuo ingenio, quàm diuino inſtinctui conſilium ſimulandæ inſaniæ, eiúſque conſilij fœlicem ſucceſſum tribuendum nihil dubitans, ſimúlque agnoſcens arcana Numinis commotione in mitiorem ſententiam fuiſſe regem impulſum, carmen hoc edidit, in quo ob inſignem liberationem Deo gratias agit, prouocans alios quoque, vt ſuo exemplo Deum celebrent, ac ſperent ſe, ſi modò pietati ſtudeant, ſemper tutos fore Dei præſidio: affirmans contrà impios perituros. Hortatur igitur denique omnes, vt Deum timeant, ac pietatem amplectantur, docens ſimul quibus in rebus timor Domini conſiſtat. Hic Pſalmus eſt alphabeticus. Qua de re vide pſal.* 25. *in argumento.*

1 *Immutauit geſtum* (vel *ſenſum*) *ſuum*, id eſt, ſimulauit inſaniam. Sic habetur 1. Sam. 21. 13. vnde hoc mutuò ſumptum, *Et* A *immutauit geſtum* (Græc. τὸ πρόσωπον, vt hîc, Lat. *os*) *ſuum coram eis, & inſanum ſe oſtendebat in manibus eorum*, (Græc.

παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, Lat. *collabebatur inter manus eorum*,) *& pingebat* (*ſcribebat*) *ſuper fores portæ*, (Lat. *impingebat in oſtia portæ*, Græc. ἔπιπτεν ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς πύλης,) *& demittebat ſaliuam ſuam in barbam ſuam.* Kimhi obſeruat Dauidem, quòd cerneret ſibi imminere præſens vitæ periculum, ſimulaſſe inſaniam, vel quò latere eo pacto hoſtes poſſet, vel quò hoſtes nullam ipſius rationem haberent, videntes illum inſanire: ſícque ipſe vitæ ſuæ conſuleret. Diuinant Rabbini in Midras, quàm rectè, tu iudica, quid in foribus ſcripſerit Dauid, tum quum inſanum ſimulauit, nempe hoc coniectant ſcripſiſſe, *Achis Rex Geth mihi debet centum myriadas aureorum numorum.* טעם *taam*, propriè ſignificat *guſtum* ſeu *ſaporem*: metaphoricè, *rationem, iudicium, ſenſum, conſilium*: necnon *habitum totius corporis*, in ſermone, & geſtu, vnde quis mores cognoſcit, ſicut cibos ex ſapore: quam ſignificationem videtur habere hoc loco: atque ideo bene ſenſum expreſſerunt Græcus & Latinus, qui verterunt *immutauit vultum ſuum*, Gallicè *ſa contenance*. Chald. habet *cognitionem ſuam* vel *intellectum ſuum*. *Abimelech.* Is eſt Achis Rex Geth, qui duo obtinuit nomina, vt multi alij, quemadmodum volunt Ezra & Kimhi. Vel Abimelech fuit cognomen omnium regum Philiſtæorum, ſicuti Pharao omnium Ægyptiorum: legimus enim temporibus Abrahami, & Iſaaci Philiſtæorum regem vocatum fuiſſe Abimelech. Sic putant Raſi, Kimhi etiam, & alij. *Et expulit eum* ipſe Abimelech, dum ſic dixit ſeruis ſuis, *Ecce vidiſtis hominem inſanum*, ſeu, *furentem: quare adduxiſtis eum ad me? An deſunt nobis furioſi, quòd introduxiſtis iſtum, vt fureret me præſente? hiccine ingredietur domum meam?* 1. Sam. 21. in fine. *Et abijt* Dauid, iuxta illud 1. Sam. 22. 1. *Abijt ergo Dauid inde, & fugit in ſpeluncam Odollam.*

2 *Benedicam Dominum in omni tempore:* &c. Quoniam non ceſſat quotidie me nouis beneficiis ornare, par eſt etiam me quotidie ac perpetuò eum laudare ac celebrare. Quid ſit *benedicere Dominum*, nempe laudare Dominum, oſtendit ſequens membrum, quod pro more eſt declaratio præcedentis. Vide ad verſ. 1. pſ. 105. *In omni tempore.* Dignum namque eſt Deo ſemper gratias agere, qui nunquam ceſſat benefacere, ait alicubi D. Gregorius. *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cælo. Tempus naſcendi, & tempus moriendi: tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum eſt. Tempus occidendi, & tempus ſanandi:* &c. Eccleſ. 3. At lau-

A dandi Deum, & gratiarum actionis nullum eſt certum ac determinatum tempus, ſed huic rei opportunum eſt, imò debetur omne tempus: nulla enim temporis ac vitæ pars beneficiorum Dei expers & vacua eſt. Ezra, & alij *omni tempore* interpretantur in rebus ſecundis & aduerſis.

3 *In Domino laudabit ſe anima mea.* Sēſus, De nullius patrocinio gloriabitur anima mea, præterquam Dei, quem vnicum protectorem ac ſeruatorem agnoſco, atque in eam mentem impuliſſe regem Abimelech, vt me tantummodò ex aula eiecerit, nec
B de me ſtudioſiùs quæſierit. Sic ferme Kimhi. *Audient* me beneficium diuinum celebrantem. Vel *audient* meam liberationem. *Manſueti*, non autem ſuperbi illi, qui me proſequuntur odio. *Lætabuntur*, ex meo exemplo ſpem bonam concipientes.

4 *Magnificate* &c. Subita apoſtrophe ad manſuetos, de quibus dixit, quâ hortatur illos, vt & ipſi vnà ſecum Deum celebrent ob beneficium ſuæ liberationis.

5 *Quæſiui Dominum*, &c. Exponit man-
C ſuetis beneficium, quod ab iis vnà ſecum cupit celebrari. Quum, inquit, inter manus hoſtium in aulâ Achis verſarer, venit in mentem ad Deum confugere. Itaque animo ac mente tum illum oraui, vt me eorum manibus eriperet: ille autem *exaudiuit me, & ex omnibus timoribus meis eripuit me*, qui tum multi ac varij, vt in ſummo diſcrimine poſitis accidit, animo obuerſabantur. Per *timores* in numero multitudinis intelligit Kimhi & recentem illum metum, & eum, in quo paulò antè fuerat, iuſſu Saulis obſeſſa ac cincta militibus domo.

D 6 *Aſpicient ad eum* deinceps, meo exemplo excitati, quotquot fuerint in anguſtiis, illiúſque opem implorabunt. In Hebræo verbum eſt præt. temporis, ſed pro futuro, teſte Kimhi. *Illuminabūtur.* Alij exponunt *confluent*, ſeu *current* ad eum, & bonitatem eius: נָהַר *nahar*, enim in ſacris litteris ſæpe ſignificat *confluere*, ſeu, vt vult Kimhi, *currere ad beneplacitum*, hoc eſt, ad id quod cupias. Sanè hoc verbum notat copiam &
E affluentiam cum celeritate. Patet ex Mich. 4. 1. vbi manifeſtiſſima de Chriſto & ipſius Eccleſia prophetia in hæc verba, *Et erit, in nouiſſimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles*, וְנָהֲרוּ *venaharu*, *& fluent* (ſeu *confluent*) *ad eum populi.* Idem hoc verbum, eadémque prorſus prophetia occurrit Eſa. 2. 2. Quidam ergò, vt Kimhi, in ſignificatione *confluendi*, ac *currendi* accipiunt hoc quoque loco iſtud verbi. Sed Chaldæus, Raſi, Ezra, & alij multi, quos

Digitized by Google

ſequuti ſunt Græcus & Latinus, verbum illud hîc acceperunt in ſignificatione *illuminandi*, quam habeat ex vſu linguæ Chaldaicæ, non hîc tantùm, ſed & Eſaiæ 60. 5. ex mente etiam Kimhi, qui hîc quoque illã admittit. Dicit autem *illuminabuntur*, pro, gaudebunt, & erunt vultu ſereno ac ſplendido, quia non fruſtrabuntur ſua ſpe, quod ſignificat ſequens membrum, *& facies eorum non ſuffundentur pudore.* Pudeſcunt enim, ac rubore ſuffunduntur qui ferunt repulſam, aut ſpe ſua excidunt.

7 *Iſte pauper* &c. Dicebat hoc ſeipſum oſtendens, ac ſui exemplum proponens, qui diuina ope eſſet ſeruatus.

8 *Caſtrametatur Angelus Domini* &c. Senſus, Tum quum pij ab impiis obſidentur, Angelus Domini caſtra caſtris opponit, ſic vt hi attingere illos non poſſint, cóſque liberat. Hoc ſenſu dicit Daniel cap. 6. 22. *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me.* Sic Eſaiæ 63. 9. *Angelus faciei eius ſaluabit eos.* Sic dicebat Iacob Gen. 48. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis.* Vocabulum *Angelus* in hoc verſu collectiuè ſumendum videtur pro angelis, cui rei, vt obſeruat Ezra, argumento eſt quod ait, *in circuitu timentium eum:* hoc enim videtur arguere multos intelligendos *Angelos.* Accedit quòd circum vnũ Eliſæum numeroſo Regis Syriæ exercitu obſeſſum plures viſi ſunt equi, & currus ignei, (2. Reg. 6. 17.) per quos dubio procul Angeli ſunt intelligendi. Deus enim ſalutis ſuorum adeo eſt ſollicitus, vt vel in vnius opem interdum mittat multa Angelorum millia, etſi alioquin vnus Angelus multis hominum myriadibus propulſandis ſatis eſſe poſſit. Huc valde pertinet quòd Iacob redeunti ad fratrem è Meſopotamia leguntur (Gen. 32. initio) occurriſſe Angeli, ac tum exclamaſſe Iacob, *Caſtra Dei (ſunt) hæc*, indéque loco nomen feciſſe *Mahanaim*, id eſt, *Caſtra.* Tantùm quippe abeſt, vt Deus ſuos vnquam deſerat, vt potiùs, quum opus eſt, Angelorum agminibus cingat ac tutos præſtet. *Caſtrametatur.* Græco Παρεμβαλεῖ, quod à Lat. verſum *Immittet*, inconſulto videlicet Hebræo codice, ex quo diſtinguenda erat ambiguitas verbi Græci, quod ſignificat *immittere* & *caſtrametari.*

9 *Guſtate*, hoc eſt, Cognoſcite, & experimini in me. Sic Prou. 31. 18. *Guſtat quòd bona (eſt) negotiatio ſua.* Sic *& videte* oculis mentis, vel etiam corporis, *quòd bonus (eſt) Dominus*, & eos bonis afficit, qui in ipſo ſpem ponunt, ideóque quòd *beatus* eſt *vir (qui) ſperat in eo.*

A 10 *Timete Dominum* ſolum &c. Hortatur pios & ſanctos Dei cultores, quibus parum huius vitæ & ſecularium bonorum ſatis eſt, ſolum Deum timeant, nihil verentes vt ſibi aliquid incommodi accidat, aut quid deſit, quod ad vitam opus ſit. *Sanctos* definiunt Ezra & Kimhi hoc loco, qui mundanas cupiditates, & ſecularia ſtudia procul mittunt, & à multis deſideriis abſtinent. Ita, inquit Kimhi, qui abſtinet ac ſeparat ſe à vini vſu, *ſanctus Domino* vocatur Num. 6. 8. *Quoniam non (eſt) inopia* ſeu potiùs *penuria* &c. Nõ negat Dauid pios interdũ tenuiſſi- B mis, imò nullis eſſe opibus: tãtùm negat eos vnquã omnino deſtitui rebus ad victũ neceſſariis, vt pane & cæteris eiuſmodi rebus. Id autẽ dicit expertus, qui quum fame premeretur, à Sacerdote, Deo ſcilicet rem gubernante, panes ſacros, gladium quoque Deo conſecratum ad defenſionem ſui nuperrime acceperat. Huius loci eſt illud Tobiæ 4. verſu vlt. *Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.*

C 11 *Leunculi*, hoc eſt, iuxta Ezram, homines leunculorum inſtar prædam agentes: quod Græc. & Lat. expreſſerunt *diuites*, improbi ſcilicet. Sic vox *leunculi* videtur quoque accipienda Ezech. 38. 13. *Saba, & Dedan, & negotiatores Tharſis, & omnes leunculi eius* &c. nimirum pro negotiatoribus argutis, ſicuti interpretatur Raſi, qui inſtar leunculorum huc, & illuc lucri cauſſâ per omnes prouincias ſolent diſcurrere. Kimhi accipit hunc verſum, vt ſonat, hoc ſenſu, Videbitis leunculos, qui victum ſibi D vi comparare poſſunt, interdum egere, & fame laborare, nec illis quicquam prodeſſe ſuam vim: (quo modo Iob 4. 11. dicitur, *Leo perit, eò quòd non habet prædam, & catuli leonis diſperguntur*) *quærentes autem Dominum* &c. Sic Kimhi. *Quærentes Dominum*, hoc eſt, qui panem quærunt à ſolo Deo. Sic Ezra, qui obſeruat quoſdam eſſe qui dicant, quando captus eſt Dauid ab Achis ſeruis, nihil illos ad victum ipſi ſuppeditaſſe, vt quũ adductus eſt ad Achis, fame E vehementer laboraret: Deum verò pro ſua miſericordia eum iuuiſſe. Hoc eſt diuinare. Certum eſt Dauidi, dum exulem ageret apud Philiſtæos, nihil ad neceſſarium victum defuiſſe, & hîc ipſum loqui expertum. *Omni bono* ad victum & cultum neceſſario. Verba in hoc verſu commodè redduntur per præſens.

12 *Venite.* Hoc verbo in imperatiuo Hebræi vtuntur pro aduerbio hortantis, quaſi dicant, *Eia.* Sic Latini vtuntur verbo *agi-*

Digitized by Google

te. *Filij*. Blandè ſic pios auditores appellat. Vel *filios* vocat, qui eruditione indigent, vt vult Ezra: Vel, vt vult Kimhi, qui docenti illi aures præberent, eiúſque diſciplinam ac doctrinam obſeruarent: quo modo Prophetarum diſcipuli eorum filij nominantur. *Timorem Domini* &c. ſine quo perire ſæpe oporteret, & periiſſem.

13 *Quis* (*eſt*) *homo*, &c. Perinde eſt ac ſi dicat, Quiſquis eſt, qui cupit bene diu ac fœliciter viuere, ille audiat, & faciat quæ præcepturus ſum de timore Domini. Porrò *vita*, & *dies boni*, cùm de hoc, tum præſertim de futuro ſeculo intelligantur, vt vult Kimhi. Græc. & Lat. vltimum huius verſus membrum clarè expreſſere, ſic, *diligit dies videre bonos*: quod enim eſt in Heb. *diligit dies, vt videat bonum*, nihil aliud eſt: quanquam Ezra vult ſuppleri aliquid, ſic, *diligit dies* (ſup.) *longos*. *Videre bonum* nihil eſt aliud, quàm frui bonis, ac fœlicem vitam ducere.

14 *Prohibe* (ad verb. *Cuſtodi*) *linguam tuam* &c. De Dei timore præcepturus Dauid prohibet maledicentiam, quòd ad nullum fortaſſe vitium hominis natura procliuior ſit, quàm ad hoc, alioquin grauiſſimum peccatum. Haud abs re fuerit fortaſſe, quæ de maledicentia ſcribant Hebræi, obiter annotaſſe, quam לְשׁוֹן הָרַע *laſchon hara*, id eſt, *linguam malam* vocant, Gallicè *mauuaiſe ou meſchante langue*. Dicunt illud imprimis, *Tria eſſe peccatorum genera, propter quæ homo in hoc mundo punitur, & futuro omnino priuatur: idololatriam ſcilicet, concubitum contra naturam, homicidium: at maledicentiam his omnibus æquipollere*. Addunt, *Quiſquis alterius famam lædit, perinde facere, ac ſi Deum negaret: quòd dictum ſit pſal.* 12. 5. *Qui dixerunt, Linguam noſtram roborabimus, labia noſtra nobiſcum ſunt: quis noſter Dominus eſt*? Non tacendum illud eorundem: *Tres occidit maledicentia, maledicentem, auſcultantem, & eum cui maledicitur: at potiùs auſcultantem, quàm maledicentem*. Obſeruant præterea multa eſſe maledicentiæ genera, inter quæ hoc ponunt, quum quis alterius laudes prædicat præſentibus inimicis: quòd ex eo futurum ſit, vt inimici contrà vitia recenſeant: (addo ego, & quum aliquis laudat nimis effuſè, & ſupra merita:) quo ſenſu dixit Salomon Prou. 27. 14. *Qui benedicit proximo ſuo voce grandi, manè ſurgendo, maledictio reputabitur ei*, ſeu, vt eſt in Vulgata, *maledicenti ſimilis erit*. Si quis plura de hac re ſcire vult, ille legat R. Moſen ben Majemon in *Iad chazaka*, Lib. *de ſcientia*, Tract. *de affect.* cap. 2. *Ne loquantur dolum*, id eſt, ne aliud dicas, aliud ſentias: quo ſenſu dicitur Ier. 9. 8. *Sagitta vulnerans* (vel *exacuta* in alia lect.) *lingua eorum, dolum loquuta eſt: in ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè* (ad verbum *in medio ſui*) *ponit inſidias ſuas*.

15 *Declina à malo*. Notat præcepta negatiua. *Et fac bonum*. Notat præcepta affirmatiua. Sic Ezra, & Kimhi. *Inquire pacem*, hoc eſt, ſtudeto publicæ tranquillitati fouendæ, ac communi ſocietati ſeruandæ. Addit *& perſequere eam*, vt ſignificet omni ſtudio curandam eſſe publicam B tranquillitatem.

16 *Oculi Domini* &c. Redit ad beneficia, quæ iuſtis à Deo contingunt. Deum quum ait oculis defixum in iuſtos, admonere vult Dei prouidentiæ, quâ iuſtos ſemper reſpicit: quum verò auribus eundem intentum dicit ad eorum clamorem, iuſtos hortatur in malis ad Deum confugere, eiúſque opem implorare, cuius aures ad illorum preces ſemper patent, licet carni interdum aliter videatur. Similiter dicebat Deus Moyſi Exo. 3. 7. *Vidi afflictionem populi mei, qui* (*eſt*) *in Ægypto, & clamorem* C *eius audiui*. Secus eſt de impiis, à quibus oculos auertit Deus, & quorum preces auerſatur, iuxta illud Eſa. 1. 15. *Et quum extenderitis manus veſtras, auertam* (heb. *occultabo*) *oculos meos à vobis; etiam quum multiplicaueritis orationem, non exaudiam*.

17 *Vultus Domini* &c. Continet hic verſus antitheſin ſuperioris. Semper, inquit, iuſtis Deus fauet, econtrà verò improbis nunquam non iraſcitur, ac licet aliquandiu ad eorum ſcelera videatur conniuere, D tandem tamen eos perdit omnino, vt ne memoria quidem nominis illorum apud mortales remaneat, id quod ſignificat poſterius membrum. *Vultus* ſeu *facies*, id eſt, ira quæ in facie cernitur, atque idcirco ſæpe *vultus* ſeu *facies* appellatur. Sic Leu. 20. 5. *Ponam ego faciem meam*, hoc eſt, iram meã. Sic & multis aliis locis. Chald. habet hîc *Vultus Domini iratus* &c.

18 *Clamant*, iuſti ſcilicet, quorum antea meminit. Chaldæus habet, *Inuocant* (ſeu E *Orant*) *iuſti*. Raſi quoque, Kimhi, & alij ſubaudiunt *iuſti*. Et quidem probat Kimhi ex ſimilibus Scripturæ locis non ſemper cohærere vltima cum mox præcedentibus. Affert verſum 11. cap. 21. Exodi, *Et ſi tria iſta non fecerit* &c. qui cum verſu 10. non cohæret, ſed cum remotioribus. Bene ergo Græcus & Latinus addiderunt *iuſti*. Ezra tamen hoc vult accipi de impiis pœnitentibus, quod probat ex ſequente verſu, vbi per *eos qui confracti ſunt corde*, intelligit qui à peccatis reſipiſcunt.

20 *Multa mala iuſti*. Græc. & Lat. fœ-

Digitized by Google

liciter ſenſum expreſſere, *Multæ tribulationes iuſtorum. Mala* enim hîc poſuit Dauid pro aduerſis: & ſingulare *iuſti*, collectiuè eſt ſumendum pro *iuſtorum.* Senſus eſt ſæpenumero Deum tentare, ac probare hominem iuſtum in eius bonum, & vt palàm faciat illius iuſtitiam: ſiquidem animo nunquam vacillaturus, nec à vera via receſſurus ſit propter aduerſa. *Et de omnibus his* &c. nec permittet vnquam vt illis vincatur, & in ipſorum aliquo offendat: quo ſenſu dicitur Prou. 24. 16. *Septies cadet iuſtus, & reſurget: impij autem corruent in malum.* Sic ferè Kimhi. Addo ex D. Paulo 1. Corinth. 10. fidelem ac veracem Deum eſſe, qui nunquam patitur ſuos tentari ſupra id quod poſſunt, ſed facit etiam cum tentatione prouentum, vt poſſint ſuſtinere, hoc eſt, vnà cum tentatione præſtat etiam eiuſmodi exitum, vt eam ferendo poſſint vincere. Alia huius verſus mox adferetur ſententia, quæ magis videatur cohærere.

21 *Cuſtodit Dominus* &c. Simile eſt illud Chriſti apud Matthæum, cap. 10. *Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt.* Quòd in hoc, & præcedente verſu Deus dicitur iuſtos tueri, eóſque ab omnibus malis eripere, hoc eſt, ab omni malo ſaluos & incolumes tandem præſtare, (qui ſenſus etiam eſſe poteſt ſuperioris verſus) & omnia eorum oſſa tueri, id intelligi debet, quatenus ad eorum ſalutem fuerit vtile: quanquam ſenſus Kimhi circa ſuperiorem verſum, quòd ſcilicet homo iuſtus calamitatibus quidem multis obnoxius ſit, ſed tamen nunquam his vincatur, Deo ſuppeditante robur, ac conſtantiam aduersùs mala, atque ideo ex malis, quæ ampliùs non ſunt mala, imò bona, vbi adeſt victrix conſtantia, liberante, non eſt incommodus: ſed ad hunc verſum non videtur poſſe facilè extēdi, qui ad litteram ſonat Deum piorum oſſa tueri, ne conterantur; id quod ab illo ſenſu videtur remotum. Quid enim aliud per *oſſa* intelligas, quàm oſſa? D. Aug. tamen *oſſa* hîc patientiam intelligit. Illum, ſi placet, audiamus: *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: vnum ex his non conteretur.* Et hoc, fratres, non accipiamus carnaliter. Oſſa ſunt firmamenta fidelium. Quo modo enim in carne noſtra oſſa faciunt firmamentum, ſic in corde Chriſtiano fides facit firmamentum. Patientia ergo, quæ eſt in fide, oſſa ſunt interiùs. Ipſa ſunt quæ frangi non poſſunt. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: vnum ex his non conteretur. Sic ille. Sed hoc eſt allegoricum. Obſeruandū quod ait Dauid, cuſtodire Dominum oſſa, non autem corpus. Hoc enim videtur velle, ſinere quidem Deum malis affligi interdum pij hominis corpus, at non ſic, vt oſſa, quæ ipſius corporis molem ſuſtinent, vel minimùm labefactentur, quin diligenter omnia ac ſingula eius tueri oſſa. Vult ſignificare ſcilicet, mala, quibus pij à Deo exercentur, leuia eſſe, & quæ ad oſſa minimè penetrent, ac nunquam ei patientiam excutiant. Deus quidem in vitæ huius ſtadio miris modis ſuos interdum agitat, verùm non omnino deſtituit, quos tametſi variis ac duris calamitatibus premi patiatur, nunquam tamen illos opprimi ſuſtinet: & afflictiones calamitatéſque, quas immittit Deus, tranſitui Maris rubri prorſus ſimiles ſunt: malis exitio, bonis ſunt ſaluti, & ad promiſſam hæreditatem via.

22 *Malitia,* hoc eſt, peccata quæ committit. Vertere potes *malum,* quod ſcilicet aduerſus iuſtum molitur: iuxta illud pſal. 7. 16. *cecidit in foueam quam fecit.* verſ. 17. *Conuertetur dolus eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.* Hoc vltimo modo Kimhi. Ezra ſic exponit, *Malum* vnum ſtatim interimit impium: ac vult dictum hoc eſſe πολλαὶ τὸ *Multa mala iuſti:* &c. Græc. & Lat. habent hîc, *Mors peccatorum peſſima:* legerunt enim תְּמוּתַת *temuthath,* id eſt, *mors,* pro, תְּמוֹתֵת *temotheth,* id eſt, *interimet:* ac ſic legit Chald. qui habet, *Mors impij mala.*

Deuaſtabuntur. Apud Græc. & Lat *delinquent.* Verbum hebraicum יֶאְשָׁמוּ *ieſchamu,* ambiguum eſt, & vtrumque ſignificare poteſt: ſed prior ſignificatio magis huic loco conuenit. Chald interpretatus eſt *condemnabuntur,* ſeu, *rei pronuntiabuntur.* D. Hieron. *culpabuntur.*

23 *Redimit animam,* hoc eſt, vitam, *ſeruorum ſuorum* à morte, & periculis, quæ illis ab impiis intentantur. Vel *Redimit animam* &c. à morte ſpirituali, quæ à peccato, & diabolo infertur. *Non deuaſtabuntur,* vt impij.

PSAL.

PSALMVS

XXXIV. XXXV.

VERSIO

VETVS.

IPſi Dauid.

Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.

2 *Apprehende arma & ſcutum: & exurge in adiutorium mihi.*

3 *Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me: dic animæ meæ: Salus tua ego ſum.*

4 *Confundantur & reuereantur, quærentes animam meam.*

5 *Auertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala.*

6 *Fiant tamquam puluis ante faciem venti: & angelus Domini coarctans eos.*

7 *Fiat via illorum tenebræ & lubricum: & angelus Domini perſequens eos.*

8 *Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui: ſuperuacuè exprobrauerunt animam meam.*

9 *Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abſcondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipſum.*

10 *Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.*

11 *Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?*

12 *Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.*

13 *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.*

14 *Retribuebant mihi mala pro bonis: ſterilitatem animæ meæ.*

NOVA.

DAuid.

Litiga, Domine, cum litigatoribus meis: præliare cum præliantibus mecum.

2 Apprehende clypeum, & ſcutum, & exurge in adiutorium [a] mihi.

3 Et educ lanceam, & conclude in occurſum eorum qui perſequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego (ſum.)

4 [b] Confundantur & erubeſcant quærentes animam meam: auertantur retrorſum, & pudore afficiantur cogitantes [c] mihi mala.

5 [d] Fiant tanquam gluma ad faciem venti: & angelus Domini impellens.

6 [e] Fiat via illorum tenebræ, & [f] lubricum: & Angelus Domini perſequens eos.

7 Quoniam [g] gratis abſconderunt mihi foueam retis ſui: [h] gratis foderunt animæ meæ.

8 Veniat illi ruina, (quam) ignoret, & rete ipſius quod abſcondit, apprehendat eũ: [i] cũ ruina cadat in ipſum.

9 Anima autem mea exultabit in Domino: delectabitur in ſalute eius.

10 Omnia oſſa mea dicent, Domine quis [l] ſimilis tibi, eripiens [m] inopem à fortiori eo: & egenum & pauperem à diripiente eum.

11 Inſurgunt teſtes iniqui: quæ ignoro, interrogant me.

12 Retribuũt mihi [n] mala pro bonis: orbitatem animæ meæ.

a ad verb. *meum.*
b *Pudefiãt*
c heb *malum meũ.*
d *Sint*
e *Sit*
f heb. *lubricitates:*
g *ſine cauſa*
h *ſine cauſa*
i vel *in ruinam cadat ipſum.*
l ad verb. *ſicut tu,*
m *afflictũ.*
n heb *malũ pro bono.*

13 Ego autem, cùm ægrotarent ipſi,
[o] induebar ſacco, affligebam in ieiu-
nio animam meam: & oratio mea in
ſinum meum [p] reuertatur.

o ad verb. *veſtimentū meū (erat) ſaccus.* p vel *reuertetur.*

14 Quaſi ſocius, quaſi frater mihi
(eſſet,) ambulabam: quaſi lugens ma-
trem, [q] contriſtatus incuruabar.

q vel *pullatus*

15 At in claudicatione mea lætati
ſunt, & conuenerunt; conuenerunt
aduerſum me plebeij, & ignorabam:
proſciderunt (me,) nec ſiluerunt:
16 Cum hypocritis ſannionibus [r] ci-
bi, frendendo aduerſum me denti-
bus ſuis.

r ad verb. *panis ſubci-nericij:*

17 Domine, quandiu reſpicies? re-
duc animam meam à deſolationi-
bus eorum: à leonibus animam
meam.
18 [s] Confitebor tibi in congrega-
tione magna: in populo numeroſo
laudabo te.

s *Celebrabo te*

19 Ne lætentur de me, qui aduer-
ſantur mihi [t] iniquè: qui oderunt me
gratis, (ne) [u] annuant [x] oculis.

t *immerito:* u *nictent* x *oculo.*

20 Quoniam non pacem loquun-
tur, & contra humiles terræ verba do-
loſa cogitant.

21 Et dilatauerunt ſuper me os ſuum:
dixerunt, Euge, euge, [y] viderunt
oculi noſtri.

y heb. *vidit oculus noſter.*

22 Vidiſti Domine, ne ſileas: Do-
mine, ne [z] diſcedas à me.

z ad verb. *elongeris*

23 Expergiſcere, & euigila ad iudi-
cium meum: Deus mi, & Domine
mi ad cauſam meam.
24 Iudica me ſecundùm iuſtitiam
tuam, Domine Deus: & ne lætentur
de me.
25 Ne dicant in [a] cordibus ſuis, Eu-
ge anima noſtra: ne dicant, Deuora-
uimus eum.

a heb. *corde ſuo,*

26 Erubeſcant, & pudore affician-
tur ſimul, qui lætantur [b] malis meis:
induantur pudore, & erubeſcentia,
qui magna loquuntur [c] ſuper me.

b heb. *malo meo* c *aduerſū*

15 *Ego autem cùm mihi moleſti eſſent,*
induebar cilicio.
16 *Humiliabam in ieiunio animam*
meam: & oratio mea in ſinu meo con-
uertetur.
17 *Quaſi proximum, & quaſi fra-*
trem noſtrum, ſic complacebam: quaſi
lugens & contriſtatus, ſic humiliabar.

18 *Et aduerſum me lætati ſunt, & con-*
uenerunt: congregata ſunt ſuper me fla-
gella, & ignoraui.
19 *Diſſipati ſunt, nec compuncti, ten-*
tauerunt me, ſubſannauerunt me ſub-
ſannatione: frenduerunt ſuper me denti-
bus ſuis.
20 *Domine quando reſpicies? reſtitue*
animam meam à malignitate eorum, à
leonibus vnicam meam.

21 *Confitebor tibi in eccleſia magna, in*
populo graui laudabo te.

22 *Non ſupergaudeant mihi qui ad-*
uerſantur mihi iniquè: qui oderunt me
gratis & annuunt oculis.

23 *Quoniam mihi quidem pacificè lo-*
quebantur: & in iracundia terræ loquen-
tes, dolos cogitabant.
24 *Et dilatauerunt ſuper me os ſuum:*
dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi no-
ſtri.
25 *Vidiſti Domine, ne ſileas: Domine*
ne diſcedas à me.
26 *Exurge & intende iudicio meo:*
Deus meus, & Dominus meus, in cauſam
meam.
27 *Iudica me ſecundùm iuſtitiam tuam*
Domine Deus meus, & non ſupergau-
deant mihi.
28 *Non dicant in cordibus ſuis: Euge,*
euge, animæ noſtræ: nec dicant: Deuora-
uimus eum.

29 *Erubeſcant & reuereantur ſimul,*
qui gratulantur malis meis.
30 *Induantur confuſione & reueren-*
tia qui magna loquuntur ſuper me.

Digitized by Google

31 *Exultent & lætentur qui volunt iuſtitiam meam: & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius.*

32 *Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam.*

27 [d] Exultent & lætentur, qui volunt iuſtitiam meam: & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui vult pacem ſerui ſui.

28 Et lingua mea [e] meditabitur iuſtitiam tuam, [f] tota die laudem tuam.

d *Iubilent*
e *eloquetur*
f *vel omni*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum.

VIR ſanctus à Saule, eiúſque copiis vexatus ac pene oppreſſus Dei opem fortiter implorat, rogans, vt, quandoquidem ſentiat ſe imparem tot ac tantis hoſtibus, ipſemet in aciem deſcendat, ſuis manibus prælietur, expediat clypeum & lanceam, ſuáque arma armis hoſtium opponat, eóſque tandem, interclúſo itinere, cogat, infectâ re, cum ignominiâ retrocedere, celerique curſu fugam arripere, hinc inde inſtar leuis glumæ diſiectos abreptóſque per lubrica, denſáſque tenebras, Angelo propellente atque inſectante: rogans, inquam, vt qui immerentem & incautum opprimere voluerunt, velit ſuis ipſorum inſidiis interceptos malè perire. Quod ſi fiat, atque è manibus hoſtium ſeruetur, promittit ſe ex animo, & lætum quidem, Dei beneficium celebraturum. Deinde in reliqua pſalmi parte, quæ incipit verſu 11. in aliud aduerſariorum genus inuehitur, qui ſe falſis criminibus apud Saulem & Magiſtratus onerarent; qui à ſe multis beneficiis affecti præclaram gratiam reponant, vitâ, ſi poßint, priuaturi. Aduersùs hos igitur magno impetu orationis inuehitur, & quidem apud Deum, quem veluti excitat, vehementer, ac multis verbis obteſtans, vt ſe tandem ab ijs defendat, ſuámque cauſſam ipſe cognoſcat, ac diiudicet pro ſuâ iuſtitiâ. Quod ſi obtineat, pollicetur ſe fore memorem, Deúmque palàm & in oculis omnium celebraturum, & quidem totâ vitâ eius iuſtitiam ac laudes prædicaturum, pudore ſuffuſis & ignominiâ coopertis aduerſariis, qui iam ipſum ſpe deuorauerant, lætis verò ac triumphantibus bonis omnibus, paßimque canentibus, Laudibus in cælum extollatur Dominus, cui cordi eſt ſerui ſui ſalus. Hæc ferè ſumma huius carminis.

1 *Litiga, Domine, cum litigatoribus meis:* &c. In hoc verſu eſt propoſitio pſalmi, quę ſubſequentibus verſibus exornatur & amplificatur non minùs ſplendidè quàm copioſè: propoſitio, inquam, eſt in hoc verſu, precatio ſcilicet, vt ab aduerſarijs defendatur. Puto autem cum Meir Arama duo aduerſariorum genera notare in hoc verſu. Nam priore quidem membro, dum Deum in patrocinium appellat, precatúrque vt ſuam cauſſam agat, litigétque aduersùs litigatores ſuos, (aduerſarios enim primò יְרִיבַי *ieriuim*, id eſt, *litigatores* nominat) videtur eos notare velle, à quibus in ius quaſi reus capitis ac maieſtatis fuerat vocatus: poſteriore autem, dum Deum, vt prælietur cum præliantibus ſecum, rogat, apertè eos deſignat, qui ipſum armis laceſſebant; quò & pertinet ſequentes verſus: nam ab his incipit, quòd ab his maius & præſentius cerneret eſſe periculum. Non poſſum præterire id quod Agellius, Epiſcopus Acernenſis, per occaſionem imprecationum ſatis dirarum, quæ extant in his verſibus, ex Græco quodam auctore hìc obſeruat, ne (vt ipſe inquit) paruuli & hebetiores offendantur, cùm ſæpe in ſacris litteris, & in Pſalmis præcipuè, ſanctorum virorũ aduersùs impios homines execrationes legunt. Sex itaque eiuſmodi execrationum cauſſas ex illo auctore Græco enumerat, cuius refert verba, ac ſic transfert: Imprecari aduersùs inimicos eum ſex de cauſis aſſerunt. Prima, quòd emendari eos cupiat. Percute enim improbum argentum, & purgabitur. Secunda, vt hìc flagellati & afflicti, leuiùs æterna illa ſupplicia ſentiant. Tertia, vt horum flagellis alij caſtigentur. Sapiens enim videns flagellari inſipientem, ipſe admodum eruditur. Quarta, vt vitam hanc peſte ac morbis liberet. Quinta, ne alij eius mores diſcant, plagis illi irrogatis territi. Sexta, ne qui dicant, Vbinam eſt Deus Dauid? num illum vindicat ac liberat?

2 *Apprehende clypeum & ſcutum.* Deum quum rogat vt clypeum induat, ſignificare vult ſuo clypeo parum ſentire ſe munitum, niſi Deus adiuuet, & arma armis hoſtium opponat. Stupidus adeo nemo, qui hìc clypeum & arma induere Deum cogitet. Nam quid opus Deo armis, qui ſolo

Digitized by Google

flatu vel nutu quoſuis vel potentiſſimos hoſtes poteſt euertere: qui ſi vellet, & ſpiritum hominis & flatum eius ad ſe traheret, deficeret omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuerteretur? Pingitur igitur Deus armatus, clypeo ac ſcuto inſtructus, quò meliùs Dei præſentia mortalium mentibus obijciatur ac repræſentetur. *Et exurge in adiutorium mihi*, ad verb. *meum*. Simpliciter & abſque figura idem repetitur.

Iob 34. 14. & 15.

3 *Et educ lanceam.* Perinde ac ſi diceret, Non ſolùm mea cauſsâ indue te clypeo & ſcuto, quæ ſunt arma defendentia, ſed etiam deprome lanceam ad feriendos & impetendos hoſtes. Pingit Dauid Deum pro ſe pugnaturum, quaſi ſtrenuum aliquem ducem, vtriſque armis & defendentibus & impetentibus munitum, quò ſe nimirum oppreſſum calamitate, adeóque minùs valentem attollere animum ad res ſpiritales eiuſmodi imagine corporea & ſenſibili ad fiduciam in Deum magis excitet. *Et conclude in occurſum eorum qui perſequuntur me*, hoc eſt, meis hoſtibus prodi obuiam, & in me irruentibus obſiſte ac moram obiice, ne me aſſequantur.

Conclude ſup. viam. Alij, quorum ipſe Kimhi, volunt סגור *ſeghor*, quod nos *conclude* vertimus, nomen eſſe cuiuſdam inſtrumenti bellici conſtruendum cum præcedente verbo *Educ*. Sed Chald. interpretatus eſt, *conclude in occurſum* &c. Sic etiam Raſi, & alij. *Dic animæ meæ, Salus tua ego (ſum.)* Dauid ſentiens ac veluti oculis cernens Deum præſentem, rogat vti ſuam animam confirmet, ac præſens præſenti opem, ſalutem ac libertatem polliceatur. Πάϑος habet hæc locutio, ac multò plus ponderis obtinet, quàm ſi ſimpliciter dixiſſet, *ſalua animam meam*. *Animæ meæ* ait, quòd, vt obſeruat Kimhi, animæ, vitæ ſcilicet, hoſtes ſciret inſidiari: vnde & mox dicit *quærentes animam meam*. Simplicius eſt *animæ meæ* interpretari mihi, *à moy meſme* vernaculè cum Raſi, Gallo.

4 *Confundantur (Pudore afficiantur) & erubeſcant* &c. Senſus, Fruſtrentur ſpe, quâ me iam deuorant, nec proſit illis robur ſuum, & tantus belli apparatus: ſed interclufis veluti atque obſtructis per te gladio & lanceâ armatum itineribus, re infectâ, cum ignominiâ reuertantur.

5 *Fiant (Sint) tanquam gluma* &c. Hoc videtur velle, Non ſecus in varias partes fugientes mei hoſtes diſtrahantur, quàm leuis gluma vento agitata: neque hoc ſolùm: gluma ſiquidem interdum reperit cui fixa adhæreat: at meis hoſtibus inſtet Angelus Domini, qui perpetuò inſectetur ac A propellat, vbicumque pedem fixerint, nec ſinat vllibi quieſcere, aut hærere, dum tandem miſerè pereant atque ad nihilum redigantur, non aliter ac glumam tandem euaneſcere oportet, quæ nihil reperit cui applicetur. Sic ferè ex Ezra & Kimhi.

6 *Fiat (Sit) via illorum tenebræ, & lubricum:* &c. Videbatur præcedentis verſus imprecationi nihil vltrà adiici poſſe. Nam quid miſerabilius cogitari poteſt eo, quem Angelus Domini perpetuò inſectetur? Nihilominus aliquid adhuc Vati noſtro occurrit, quo iſtam imprecationem amplificet. B Præterea, inquit, ſic agitatis, impulſis ac fugatis denſæ oboriantur tenebræ: ad hoc, incidant in lubricas vias: ac denique, quâ quidem re nulla horribilior dici aut cogitari poteſt, accedat Angelus ille Domini, qui illos ſummâ vi perſequatur & cogat celeri curſu fugam arripere, cùm interim viam nõ cernant, ac nullo modo in pedes ſtare queant. Vides vt ſemper creſcit ac verbis altiùs aſſurgit imprecatio. Nam etſi qui in tenebris verſatur, non ſatis tutò quidem incedit: víxq; eſt vt in lubrica via quis ſine C caſu aliquo, aut prolapſione poſſit inſiſtere, in tenebris præſertim, vbi minùs ſibi cauere poteſt: nihilominus ſi pedetẽtim & lentè detur incedere, fortaſſe haud prolabetur: at ſi accedat præterea qui inſectetur, & in fugam coniiciat, tunc quin ruat ac prolabatur nunquam effugiet. Hac igitur tandem imprecatione nihil aliud vult ſignificare, quàm certam ruinam atque exitium, quod hoſtes vitare, & ex quo emergere nullo modo poſſint. Simile eſt huic imprecationi Ierem. 23. 12. *Idcirco via eorum erit eis* D *quaſi lubricum in tenebris; impellentur, & corruent in ea.* Sic ferme ex Raſi, Ezra, ac Kimhi præſertim, enarramus hunc verſum.

7 *Quoniam gratis*, ſeu, *ſine cauſa*, vel, *fruſtra abſconderunt* &c. Subiicit rationem imprecationum, ne temere videatur imprecatus, ſimul vt Deum moueat ad miſericordiam, ac faciliùs obtineat quod petit. Hic autem verſus pertinet tam ad præcedentes verſus, quàm ad ſequentem. *Fo-* E *ueam retis ſui.* Hæc duo ſynonyma ſimul coniungi obſeruat Kimhi, vt meliùs exprimat Dauid inſidias, quas ſibi hoſtes compararent, non leues ſcilicet, ſed accuratas. Duo enim ſynonyma ſimul coniuncta augent ſignificationem: ex. gr. quum dicitur *lutum cœni* pro luto profundo, pſ. 40. 3. necnon *terra pulueris* pro terra puluerulenta, Dan. 12. 2. Poſſes vertere *foueam rete ſuum*, per appoſitionem: hoc eſt, *foueam*, quam artificioſè parant ac tegunt, vt in eam imprudens incidam: quemadmodum fa-

Digitized by Google

cere ſolent interdum venatores. Pagninus non conſiderato, aut neglecto potiùs, Athnach accentu diſtinctiuo, vertit, *Quoniam gratis abſconderunt mihi foueam, (&) rete ſuum gratis foderunt animæ meæ.* *Animæ meæ*, hoc eſt, mihi, vel vitæ meæ.

8 *Veniat illi ruina*, ſeu, *vaſtatio*. *Illi*, hoc eſt ex Ezra & Kimhi, vnicuique ex hoſtibus, vel etiam ex Kimhi, Sauli. (*Quam*) *ignoret*, hoc eſt, quam non præuideat, atque ideo cauere non poſſit, ſicuti me incautum opprimere ille conatur, quiſquis eſt, quò pertinet id quod mox ſequitur, *& rete ipſius quod abſcondit, apprehendat eum:* &c. q. d. inſidiis ipſe ſuis capiatur, ſuis ſe laqueis miſer induat. *Cum ruina cadat in ipſum* rete, quod mihi abſcondit ac per inſidias tetendit: vel, *in ruinam cadat ipſam*, quam mihi parat: ac ſic intelligat à Deo ſe puniri, qui lentus quidem ſit, ſed certus vindex ſcelerum: magnâque exempla in caput inuenientium regerat: hancque legem poſuerit, ac ſcripſerit, vt qui fodit foueam, incidat in eam: & qui voluit lapidem, reuertatur ad eum. Prou. 26. 27.

9 *Anima autem mea exultabit in Domino:* &c. Senſus, Quum audiero aut accepero de hoſtium ruina & clade, aut quod eódem reuoluitur, quum me de hoſtibus vltus fuerit Dominus, ab iiſque ſeruarit, enimuerò tunc *anima mea*, cui tantopere miſeri illi nunc inſidiantur, *exultabit in Domino:* &c. vel, tunc feriò & ex animo lætabor &c. hoc enim ſignificare videtur, *anima mea exultabit* &c. etſi priore modo accepit Kimhi. Quum ait *in Domino*, necnon *in ſalute eius*, apertè declarat non tam ſuâ, quàm Dei cauſsâ euerti hoſtes ſuos cupere, qui niſi euerterentur, futurum eſſet, vt ſuos Deus negligere palàm diceretur ac crederetur, fruſtráque imploratum Dei auxilium piis exprobraretur. Vel quum ait *in Domino*, &c. oſtendere vult, ſi ſeruetur, non fortunæ, non viribus, non conſilio, quod profani homines & ſecundùm carnem cogitantes faciunt, ſed vnius Dei prouidentiæ & bonitati laturum acceptum.

10 *Omnia oſſa mea dicent*, &c. *Omnia oſſa*, hoc eſt, totum corpus, ſynecdochicῶs. Eſt autẽ hîc hyperbolica locutio, quâ voluit exprimere ſuum feruorem in celebrando Dei beneficio: quaſi diceret, Etiam ipſa oſſa, & corpus erumpent in tuas laudes. Quo modo pſ. 84. 3. dicitur, *cor meum, & caro mea exultant in Deum viuum.* Hoc ſenſu accipit Kimhi, qui affirmat hanc quoque poſſe eſſe ſententiam, Omnia corporis membra commouebunt ſe in ipſo affectu ſeu ardore precationis & gratiarum actio-

A nis: quod perinde erit ac ſi ipſamet laudarent, & gratias agerent. Kimhi obſeruat Bechai, & Moſen Maiemonidem interpretari, *Omnia oſſa mea dicent*, &c. quòd ex natura formationis membrorum corporis laudet homo Creatorem in ijs, (hoc eſt, ea contemplando,) quod idem eſt ac ſi ipſamet laudarent. Probat quidem hanc expoſitionem Kimhi: ſed optimè negat eam conuenire loco. *Quis ſimilis tui*, ad verb. *ſicut tu, eripiens inopem*, ſeu, *afflictum à fortiori eo:* &c. qui me liberaſti ab inimicis longè me potentioribus & fortioribus.

B Obſeruat Kimhi hoc ad iſtum modum explicari in Deras: *eripiens inopem à fortiori*, concupiſcentiam bonam à mala concupiſcentia, *& egenum & pauperem à diripiente eum*: nam quis illâ maior eſt prædo? Hoc eſt allegoricum. Nam ſic interdum Myſtici illi, ſeu Darſchanim, quos vocant, literam ad ſuos ſenſus ſubtiliùs deflectunt.

11 *Inſurgunt teſtes iniqui*, ſeu, *mendaces:* &c. Nunc redit ad alterum illud, de quo diximus ad primum verſum, aduerſariorum genus, qui ipſum ſcilicet læſæ maieſtatis

C accuſabant, aliiſque falſis criminibus onerabant apud Saulem & Iudices, litéſque ei capitales intendebant; quos idcirco *litigatores ſuos* appellat in priore membro primi verſus, hîc verò *teſtes iniquos*, ad verb. *teſtes violentiæ.* *Quæ ignoro, interrogant me.* Senſus, ea mihi obiiciunt de quibus nihil prorſus cognoui: obiiciunt mihi crimina, quorum mihi nihil ſum conſcius. Iſtorum, de quibus hîc queritur Dauid, mentio fit 1. Sam. 24. 10. *Dixitque Dauid ad Saul, Quare audis verba hominum*

D *dicentium, Ecce Dauid quærit malum tuum?* In hoc & ſequente verſu hebraicè verba ſunt fut. temporis, ſed per præſens aut præteritum exponenda. Imò fut. tempore non dubium eſt quin ſignificare velit continuũ actum, quaſi velit dicere, non ceſſant aut ceſſabunt inſurgere: & ſic de duobus aliis.

12 *Retribuunt mihi mala*, heb. *malum pro bonis*, heb. *bono:* &c. Exaggerat aduerſa-

E riorum malitiam, quòd non ſolùm innocentem falſis criminibus onerant, ſed quòd variis beneficiis affecti iniuriam pro beneficentia reponunt: quam iniuriam, mox exponit, dum ait, *orbitatem*, hoc eſt, mortem, per quam corpus vita orbatur, *retribuunt* ſcilicet, *animæ meæ*, hoc eſt, mihi, quaſi diceret, conantur, quòd in illis eſt, me vita orbare: niſi ſi fortè vis *animæ meæ* accipere, vt ſonat, quaſi diceret, animam meã, quod poſſunt, conantur orbare compare ſuo corpore, eodem ſenſu.

Digitized by Google

13 *Ego autem, cùm ægrotarent* &c. Sua erga inimicos officia commemorat, vt probet verè à ſe dictum *Retribuunt mihi mala pro bonis*. Quoties, inquit, audiui eorum aliquem ægrotate, dolui, ſaccum indui, ac ieiunio memetipſum maceraui, quò Deus placatus priſtinā illi valetudinem reſtitueret. *In ieiunio*. Hebr. בַּצּוֹם *vatstsom*, hoc eſt, *in ieiunio*, ſed certo, & cognito, propter pathach ה emphatici, quod vocant, ſub ב, hoc eſt, eo die, quo amici, & cognati ipſius ægroti ſibi indixerant ieiunium, non ſecus ac ſi meus frater, aut propinquus fuiſſet, ipſe ieiunaui. *In ſinum meum reuertatur*. Sunt ex Hebræis etiam, inter quos R. Leui, qui putent Dauidem ſignificare hac phraſi, incuruum ſe, & capite prono in pectus, vt mœſti ſolent, oraſſe. Ad horum mentem vertendum *reuertebatur*. Nec impediet verbum, quod in Hebræo eſt fut. temporis: futurum enim in ſacris litteris haud rarò pro præt. imperfecto vſurpatur, vt obſeruat Sanctes Pagninus Hebraicarum inſtitutionum lib. 3. cap. 12. Meliùs Raſi, Kimhi, Kabuenaki, & alij, qui ſic ferè explicant: ac ne exiſtimet aliquis ita me foris geſſiſſe, quò dolorem ſimularem, cùm intus nihil minùs quàm eorum ſalutem cuperem, oratio mea in memetipſum reuertatur: & vtinam mihi contingant bona, quæ illis precatus ſum. *In ſinum* hìc dicitur, quo modo aliàs *in caput*. Sic pſal. 79. 12. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinum eorum*. Eſaiæ 65. 6. & ſequente, *ſed reddam, & reddam in ſinum eorum. Remetiar opus eorum primum in ſinum eorum*. Potes enuntiatiuè accipere, eodem tamen ſenſu, in hunc modum: &, ſpero, oratio, quam pro hoſtium ſalute, atque incolumitate, ſacco indutus, & inter ieiunia, ad Deum fudi, ad meam vtilitatem redundabit: ſi enim humanitas mea mihi nulli vſui fuit apud inimicos, at certè proderit apud Deum. Sic vertendum erit *reuertetur*.

14 *Quaſi ſocius, quaſi frater mihi (eſſet,) ambulabam*. Senſus, Quoties eorum aliquis ægrotaret, triſtis ac mœſtus incedebam, non aliter, quàm ſi ſummus amicus, familiaris, aut etiam meus frater fuiſſet.

Quaſi lugens matrem &c. hoc eſt, non ſecus ac filius matrem mortuam lugens, defixis in terram oculis, ac deiecto capite, incedebam. Annotat Kimhi matrem dicere, non patrem, quòd maior matris, vtpote charioris, ſit luctus, quàm patris. Meir Arama putat matrem dicere Dauidem, non autem patrem, quod, mortuo patre, adſit qui filium conſoletur, nimirum mater, at, mortuâ matre, & dolore patris, & ſuo ac proprio afficiatur filius. Hoc primâ fronte, fateor, mihi viſum eſt difficile ad intelligendum. Nam ſic cogitabam: quemadmodum, mortuo patre, ſuperſtes mater mœſtum filium conſolatur, ita, mortuâ matre, quidni eodem pater officio erga filium fungatur? Cùm ergo hìc hærerem dubius, Philippus Aquinas, è Iudæo Chriſtianus, vir raræ & exquiſitiſſimæ in Hebraicis litteris doctrinæ, & quem nunquam fruſtra conſulas, fortè venit ad me viſendi gratiâ, & venit quidem optatus. Ille ſtatim atque de re communicaui, vt ſingulos Bibliorum verſus, imò & voces ſingulas in numerato habet, ac tanquam digitos tenet, indicauit locum ex Eſa. 66. 13. à me quidem aliàs obſeruatum, ſed tum, vt fit, non ſuccurrebat, qui ſic habet, *Quomodò aliquem mater ſua conſolatur, ita ego conſolabor vos:* quo ex loco intelligere eſt præcipuas in conſolando partes matrem obtinere. Illico igitur adeo & conſulo Hebræorum in iſtum locum commentarios, vt quid cauſſæ eſſet diſcerem, quamobrem præcipuas in conſolando partes matri Sacræ litteræ tribuant. Primus occurrit Kimhi, qui docuit idcirco ibi apud Eſaiam matrem nominari, non patrem, quòd mulier faciliùs perſuadeat quā vir: deinde Ezra, qui docuit idcirco matrem nominari, quòd illa maiore erga filium afficiatur miſericordiâ. Iam quæ ſit mens & ratio Meir Aramæ palàm fit, quam tamen non accipio. Ratio enim, quam adfert Kimhi, ſimplicior eſt & facilior. Sed, vt redeamus ad verſum, in quo explicando verſamur, Kimhi obſeruat dominum eundem & patrem ſuum (ſic enim eum ſolet laudare) ad iſtum modum explicare: *quaſi lugens matrem*, id eſt, ſicuti lactens puer, mortuâ matre, quum deſunt quæ mammā præbeant, luget. Raſi duobus modis explicat, ſicut filius luget matrem: aut, ſicut mater defunctum filium luget: quo poſtremo modo accipiendo vertendum, *ſicut luget mater*, vel potiùs, *ſecundùm luctum matris*. Intelligunt qui hebraicè ſciunt. Neque enim libet mihi hìc immorari, qui feſtino ad alia. Chaldæus interpretatus eſt, *quaſi lugens qui luget ſuper matrem ſuam*. Quoniam porrò loquitur Dauid in hoc verſu in num. ſing. *Quaſi ſocius, quaſi frater mihi (eſſet,)* &c. ſuſpicarer hìc notare Achithophelem, de quo ſimile quid ait pſ. 55. verſ. 14. *Tu verò homo par mihi, dux meus, & notus meus*. *Contriſtatus*. Ad verb. *obſcurus*, ſeu, *ater*, quod metaphoricè mœſtum & triſtem ſignificat, ſiquidem, inquit Kimhi, in luctu & mœrore fugiat ſplendor faciei, eáque obſcuretur. Verti & exponi poteſt *pullatus*: vt reſpiciat ad pullas, & nigras veſtes, quibus in luctu vtuntur. Sic cenſet Ezra, nec-

Digitized by Google

non etiam Kimhi.

15 *At in claudicatione mea lætati ſunt, conuenerunt*; &c. Senſus, At vide quàm præclaram gratiam, quam vicem pro iſta humanitate mihi repoſuerint. Ego ſemper dolui de illorum morbis: ipſi autem ſtatim atque intellexerunt me claudicare, hoc eſt, nutare ac labaſcere me, & fortunam meam, tum verò læti triumphos egerunt, conuenientes ac ſimul ineuntes aduerſùm me conſilia. Igitur per *claudicationem* hoc loco interpretor quoduis infortunium; quo modo accipit Raſi, & Chald. qui habet *in calamitate mea*, ad ver. *in contritione mea.* Hîc ergo *in claudicatione mea*, id eſt, in lapſu meo, vel quum lapſus ſum. Sic Ier. 20. 10. *Omnes viri pacis meæ obſeruant claudicationem meam*, id eſt, quando labar, aut offendam in re aliqua. Sic pſ. 38. 18. *Quoniam ego ad claudicationem paratus ſum.* Græc. & Lat. hîc habent *aduerſum me*: acceperunt enim צֶלַע *tſela*, in ſignificatione *lateris*, & vocem hebraicam putarunt ſignificare *in latere meo*: vnde interpretati ſunt *aduerſum me.* *Conuenerunt* vt ſimul lætarentur. *Plebeij*, ſeu *viles*, aut *abiecti*, quorum ordini humanitate ductus imprimis ſemper faui. Sic interpretatur Kimhi vocem hebraicam נֵכִים *nechim*, ex ver. 8. cap. 30. Iob, vbi dicitur, *Filij ſtultorum & ignobilium*, (*qui*) נִכְּאוּ *nicceu*, id eſt, *abiecti ſunt plus quàm terra ipſa.* Dicit igitur conueniſſe aduerſùm ſe etiam plebeios, quos proceres concitarant. Alij exponunt *claudi*: quaſi diceret, etiam claudi ipſi ac debiles ex recente morbo, de quo me afflixerã. Alij *percuſſi*, ſeu *flagellati* morbo. Chaldæus interpretatus eſt, *impij qui humiles* (*ſunt*) *mihi* (in Bibliis regiis *conterunt* ſeu *deprimũt me*) *in verbis ſuis.* *Et ignorabam* qui eſſent: vel cur aduerſum me conuenirent, quos nulla vnquam in re læſeram. *Proſciderunt* ſup. *me*: vel, vt vult Kimhi, *ſciderunt* (ſup.) os ſuum, ſcilicet nimio riſu. Ezra interpretatur *ſciderunt* carnem meã, quod ait metaphoricè ſignificare, locuti ſunt mala aduerſum me. Alij exponunt *aperuerunt* (ſupple) os ſuum. Sed videtur vox *ſcindendi* hîc poſita, eo ſenſu, quo dici ſolet vernaculè *deſchirer quelqu'vn*, Latinè *proſcindere aliquem.* Chaldæus hanc partem, quæ habet ad verbum, *ſciderunt, nec ſiluerunt*, interpretatur ſic, *ſi diſcinderent* (ſeu *transfigerent*) *pellem meam, non educerent ſanguinem.* Hunc ſequutus eſt Raſi, qui exponit, ſi diſcidiſſent carnem meam, non fluxiſſet ſanguis in terram, ita alba ſeu pallida erat facies. Vterque ſignificationem vocabuli דָמּוּ *dammu*, deſumpſit à דָם *dam*, quod eſt *ſanguis.* Vides
A quàm varij ſint ipſi etiam Hebræi in vno loco explicando, & quantùm ſibi permittãt in vocabulorũ ſignificationibus: hoc enim verbum propriè, præſertim cùm habeat daghes, ſignificat *ſiluerunt.*

16 *Hypocritis* (ſeu *impijs*) *ſannionibus:* ad verb. *hypocritis ſannionum*: quo modo Eſaiæ verſ. 19. 11. legitur ad verb. *ſapientes conſiliariorum*, pro, *ſapientes conſiliarij.* Alij malunt exponere *ſannarum* ſeu *ſubſannationum*, quòd vocabulum hebræum לַעֲגֵי *laaghe*, Eſa. 28. 11. *ſubſanna-
B tiones*, non *ſubſannatores* ſignificet. Non tamen prius repugnat Grammaticæ: & eódem ſenſus redit. *Sannionibus cibi.* Paraſitos & ſcurras ſignificat, qui diuitum menſas ſequuntur, nihílque facere recuſant ventris gratia, ſed vltro ijs, quorum menſis aſſident, arridentes, quicquid dicunt, laudant: id rurſum ſi negant, lau- *Terent. in Eun.*
dant id quoque: poſtremò imperant ipſi ſibi omnia aſſentati: quales multi ſemper fuerunt in aulis principum, & erant in aulâ Saulis. Principes delectat aſſentatio, eám-
C que ipſi allectant, & inuitant, dicúntque videntibus, Nolite videre: & aſpicientibus, *Eſa. 30. 10.*
Nolite aſpicere nobis, ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte (nobis) errores. Amant plerumque principes verba byſſina; eorumque aures ita formatæ ſunt, vt aſpera, quæ vtilia, & nihil niſi iucundum, & læſurum accipiant. Quoties eos audis ſic cum impio Iſraëlitarum rege
Achab dicere? *Ego odi eum, quia non pro-* *1. Reg. 22. 8.*
phetat mihi bonum, ſed malum. Ac nullus
D ibi Ioſaphat, qui corrigat ac dicat, *Ne loquaris ita Rex.* Hinc ergò fit vt regum opes ſæpius aſſentatio, quàm hoſtis euertat. *Cibi*: ad verbum *ſubcinericij panis*: iuxta Kimhi, *otioſi ſermonis*: obſeruat enim מָעוֹג *maogh*, ſignificare hîc *ſermonem otioſum*, ſicut apud Doctores עוּגָה *vgha.* Poteris hoc modo accipiendo vertere *ſannionibus ſannæ.* Sic acceperunt Græcus & Latinus. Sed cùm hoc vocabulum in ſacris litteris non obtineat hanc ſignificationem, non eſt cur illa hîc locum habeat, ſed retinenda potiùs ſignificatio *pa-
E nis ſubcinericij*, quam habet 1. Reg. 17. 12. & habet à ſuo themate. Dixit autem *panis ſubcinericij* per contemptum, vt ſignificet illos, de quibus queritur, vel pro fruſto leuiſſimi panis linguas ſuas venales proſtituere. Vel menſas lautas, & opiparas, quas tam auidè gnathones aulici ſequuntur, ſic nominat per contemptum. Hebraicè eſt elegans paronomaſia in his verbis לַעֲגֵי מָעוֹג *laaghe maogh*, id eſt, *ſannionibus placentæ* ſeu *ſannæ.* *Frendendo aduerſum me dentibus ſuis.* His verbis ſæuitiam

Digitized by Google

& rabiem hoſtium notat. Græc. & Latinus A
pro *Cum hypocritis*, verterunt *tentauerunt*
me: quia legerunt בחנוני *bechanuni*, pro
בחנפי *bechanphe*.

17 *Quandiu reſpicies* iſta, & feres? Da-
uid quum ait *Quandiu reſpicies?* oſtendere
voluit nihil ſe dubitare quin Deus è cœlis
facta mortalium cerneret. Sic verſu 22.
Vidiſti Domine, inquit. *Reduc* &c. Signifi-
cat hoc verbo prorſus de ſe ac ſua vita actũ
eſſe. *A leonibus*. Quos in primo verſu *liti-*
gatores, verſ. 11. *teſtes mendaces* appellauit,
nunc *leones vocat*, quippe quorum dentes B
inſtar dentium leonis lacerarent, quíque
inſtar famelicorum leonum ſuæ vitæ in-
hiarent. *Vnicam meam*, hoc eſt, animam
meam, quæ vnica ac ſolitaria habitat in
corpore. Non enim cenſeo *vnicam* ſignifi-
care vnicè charam, quemadmodum aliqui
volunt. Vide quæ notauimus ad verſ. 21. pſ.
22. Faciunt pro me, & Hebræis, quos ad
locum citatum ſecutus ſum, Aquila, qui hîc
vertit *μοναχήν μου*; Symmachus, qui *μο-*
νότητά μου; Græcus vulgatus, ſeu Septua-
ginta, qui *τὴν μονογενῆ μου*. Græcus vulg.
pari modo habet verſu cit. pſal. cit. Aquila C
quoque *μοναχήν*; & Symmachus *μονότητα*.

18 *Confitebor tibi* ſeu *Celebrabo te* &c.
Vouet ſe Deum palàm celebraturum, vbi
fuerit liberatus. *In congregatione*. Eccle-
ſiam Latinus more ſuo poſuit pro cœtu, vt
pſ. 25.6. (iuxta Heb. 26.5.) *Odiui eccleſiam*
malignantium.

19 *Ne lætentur de me* vltrà, &c. ſæpe e-
nim hactenus de me triumpharunt, mihí-
que miſero ſuperbè inſultarunt. *De me*.
Heb. לִי *li*, quod aliàs verti ſolet *mihi*. Sed
hîc ל ſignificat *de*, *ſuper*, nec eſt nota Dat. D
caſus. Qua de re vide ad verſ. 3. pſal. 3. *An-*
nuant &c. me deridentes: verbum enim
hebraicum קָרַץ *karats*, ſignificat oculos
aut labia mouere per ludibrium, & in ma-
lam partem: quo ſenſu Prou. 6. 13. dicitur:
Annuit (impius ſcilicet) *oculis*, *loquitur*
pedibus, *digitis docet*. Prou. 10. 10. *Qui*
annuit oculo, *dabit dolorem*. Raſi Gallicè
interpretatur *ſignent*, quod meliùs vertiſ-
ſet *clignent*.

20 *Quoniam non pacem* &c. Simile eſt Ge- E
neſ. 37. 4. *oderant eum, nec poterant ei quic-*
quam pacificè loqui. Vbi *non*, Græcus &
Lat. vertunt *mihi*, dubio procul ex לִי *li*,
pro לא *lo*. *Contra humiles* &c. ad verb.
quietos terræ: per quos quidem intelligit
manſuetos & humiles, quòd ſemper tran-
quilla, & placida ſint mente: vel fortè o-
pulentos, & diuites, qui vitam traducunt
quietam, & otioſam: ac ſic עַל *al*, erit ver-
tendum *cum*, hoc modo, *& cum quietis*
terræ. Sic עַל *al*, Exod. 35. 22. accipitur. V-
A tramque hanc expoſitionem probat Kim-
hi. Priori expoſitioni fauet Chald. qui ha-
bet, *& contra iuſtos terræ*, *qui quieſcunt in*
mundo hoc. Raſi & Dones exponunt *contra*
contritos terræ, ex ſignificatione verbi רָגַע
ragha, quod eſt *ſcidit*. R. Moſes, & Ezra
exponunt *in ſciſſuris terræ*. Sed Kimhi hos
refellit, propterea quòd hîc de cogitatione
agitur, quæ non habet neceſſe quærere la-
tebras.

21 *Dilatauerunt* &c. ridendo, & loquen-
do, quum viderent me exulem huc illuc diſ-
B currere. *Viderunt* &c. Ad verb. *vidit ocu-*
lus noſter, quod iamdudum optabamus.
Sic ſæpe vſurpatur verbum *videndi*: exem-
pli gratia Pſal. 54. 9. *Quoniam ex omni tribu-*
latione cripuit me, *& in hoſtibus meis vidit*
oculus meus: vbi Lat. habet, *& ſuper inimicos*
meos deſpexit oculus meus.

22 *Vidiſti Domine*, *ne ſileas* ſeu *ſurdum*
te præbeas (verbum enim תֶּחֱרַשׁ *techeraſch*,
vtrumque ſignificat) ad meas preces: vidi-
ſti enim ſannas & conuitia, quibus me la-
cerant, & quas mihi ſtruunt inſidias. *Do-*
mine, *ne diſcedas* (*elonges te*) *à me*,
C hoc eſt, ne me deſeras, ne ſubtrahas à me
tuum auxilium. Deus quum aliquem deſe-
rit in malis, dicitur ab eo longiùs recedere,
etſi is à nullo loco abeſſe poteſt, qui om-
nium rerum locus eſt. Sed illud dicitur ho-
minum more ſeu ἀνθρωποπαθῶς, vt loquun-
tu. Nam homines, paulò qui manſuetiores
ſunt, quem non poſſunt aut volunt iuuare,
ab eo ſolent libenter abire, ac diuer-
tere.

23 *Expergiſcere & euigila ad iudicium*
meum: &c. Tu viſus es hactenus mihi dor-
D mire: expergiſcere nunc tandem, & vlciſ-
cere me de hoſtibus: expergiſcere, ac pro-
di ad cognoſcendum cauſſam meam, tu
qui es Deus meus iudex, (hîc enim eſt אֱלֹהַי
elohai, quæ vox Deum, vt iudicem, ſignifi-
cat) præter quem nullum habeo iudicem;
tu qui & Dominus meus es: Dominus au-
tem tenetur cauſſam ſerui defendere, &,
quantùm fieri poteſt, adiuuare.

24 *Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam*
&c. Senſus, Vindica me de iſtis pro tuâ iu-
ſtitia, qui ſcis ius ſtare à me, illos verò eſſe
E in culpâ: *& ne lætentur* ac triumphent *de*
me vltrà.

25 *Ne dicant in cordibus ſuis*, heb. *in cor-*
de ſuo, &c. Senſus, Ne habeant quòd vel
tacitis cogitationibus ſibi gratulentur, qui
fortaſſe palàm non auderent præ pudore,
aut aliquâ aliâ de cauſſâ. *Fuge anima*
noſtra, hoc eſt, Lætare, ô anime noſter.
Ne dicant, repete *in corde ſuo*, quos fortaſ-
ſe puderet palàm id affirmare, *Deuorraui-*
mus eum.

Digitized by Google

26 *Erubeſcant & pudore afficiantur ſimul.* Sicut ſimul conuenerunt ad me deridendum, ſic erubeſcant ſimul fruſtrati ſua ſpe. *Qui magna loquuntur.* Ad verb. *qui magnificant* (ſup.) os ſuum: vel iuxta Ezram, linguam aut ſermonem. *Super me*, ſeu *aduerſum me.*

27 *Exultent & lætentur* &c. Senſus, Fac vt pudore ſuffundantur aduerſarij mei, qui verò iuſtæ meæ cauſſæ fauent, vbi me tuo beneficio ſeruatum viderint, exultent ac palàm dicant, *Magnificetur Dominus*, hoc eſt, Laudibus extollatur Dominus, magíſque ac magis apud homines celebretur eius potentia, qui ſeruum ſuum Dauidem in libertatem aſſeruit, eíque otium ab hoſtibus conceſſit.

28 *Et lingua mea meditabitur* ſeu *eloquetur* &c. Senſus, Vbi mihi pro tuâ æquitate ius meum reddideris, aliis tuam iuſtitiam palàm prædicantibus, non erit æquum me tacere. Tunc igitur ego quoque ore tuam iuſtitiam, tuaſque laudes palàm ac lubens celebrabo. *Meditabitur* ſeu *eloquetur.* הָגָה *hagha*, ſignificat loqui ore, & corde. A Græco & Lat. in Pſalmis *meditari* exponitur, etiam quum tribuitur ori, quod alioquin durius videri poſſit Græcorum & Latinorum auribus. Pſ. 40. & 70. multa occurrent iis ſimilia, quæ in extremo hoc pſalmo leguntur, & fortaſſe ibi copioſiùs enarrabuntur.

PSALMVS

XXXV. (Vetus) — XXXVI. (Nova)

VERSIO

VETVS.

IN finem, *ſeruo Domini ipſi Dauid.*

2 *Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo: non eſt timor Dei ante oculos eius.*

3 *Quoniam doloſè egit in conſpectu eius: vt inueniatur iniquitas eius ad odium.*

4 *Verba oris eius iniquitas, & dolus: noluit intelligere vt bene ageret.*

5 *Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo: aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.*

6 *Domine in cælo miſericordia tua: & veritas tua vſque ad nubes.*

7 *Iuſtitia tua ſicut montes Dei: iudicia tua abyſſus multa.*

8 *Homines, & iumenta ſaluabis Domine: quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.*

9 *Filij autem hominum, in tegmine alarum tuarum ſperabunt.*

NOVA.

PRAECENTORI, ſerui Domini, Dauid.

2 Dicit [a] præuaricatio [b] impio, in medio cordis mei, [c] Nō (eſſe debere) timorem Dei ante oculos eius.

3 Quoniam blanditur ei in oculis eius, vt inueniat iniquitatem [d] ſuam ad odium.

4 Verba oris eius iniquitas & dolus: deſiit intelligere vt bene ageret.

5 Iniquitatem meditatur [e] in cubili ſuo, ſtat [f] in via non bona: malitiam non auerſatur.

6 Domine, in cœlo miſericordia tua: veritas tua vſque ad nubes.

7 Iuſtitia tua ſicut montes Dei; iudicia tua abyſſus multa: [g] homines & iumenta ſaluas Domine.

8 Quàm pretioſa (eſt) miſericordia tua, Deus! & filij hominum in vmbram alarum tuarum ſeſe recipient.

a *defectio*
b vel *de impio,*
c vel, *Non (eſt) timor &c.*
d vel *eius*
e heb. *ſuper*
f heb. *ſuper*
g ad verb. *hominem & iumentum*, ſeu *brutum*

9 Inebriabuntur pinguedine domus tuæ: & torrente voluptatum tuarum potabis eos.
10 Quoniam apud te (eſt) fons vitæ: in lumine tuo videbimus lumen.
11 Protende miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam ijs qui recto ſunt corde.
12 Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatorum non moueat me.
13 Ibi ceciderunt operarij iniquitatis: impulſi ſunt, nec potuerunt [h] ſtare.

h vel, ſurgere.

10 *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*
11 *Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.*
12 *Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde.*
13 *Non veniat mihi pes ſuperbiæ: & manus peccatoris non moueat me.*
14 *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.*

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *PSalmus hic tres habet partes. In primâ, poſtquàm improborum hominum ingenium, ac mores accuratè deſcripſit, aſſurgit ad conſiderandam Dei bonitatem, veritatem, iuſtitiam, ac iudicium, per quæ, vniuerſa quæ ſunt, ita gubernat, vt etiam homines impios, ac brutas animantes conſeruet. In ſecunda parte, quæ incipit à verſu 8. altiùs mentis oculos intendit, & bonitatem, ac miſericordiam Dei contemplatur, quâ ſe tam prolixè, ac liberaliter electis ac ſanctis in altera vita communicat. Denique in tertia ac poſtrema parte Deum rogat, vt hac miſericordia ſuos cultores dignetur; priuatimque ſe illi commendat, rogans ne ſe patiatur bellis, quæ metuebat ab hoſtibus, à cultu religionis abduci; ſimúlque prædicens ſuorum hoſtium maturum caſum, aut certè, vt dicetur ad vltimum verſum, paulò antè hoſtes ſuos triumphans cecidiſſe. Hic pſalmus difficillimus eſt in ſenſu. Idcirco in eo explicando ero prolixior.*

1 *Serui Domini.* Quia de impijs, qui Deũ ſcelerum vltorem ignorãt, atque ideo omnem pietatem contemnunt, nec Deum curant, dicturus eſt, idcirco præter morem addit *ſerui Domini.* Sic ferè Kimhi, & Ezra. Quid ſit *ſeruus Domini* repete ex pſ. 18. ad Tit.

2 *Dicit præuaricatio* &c. Sequentibus quatuor verſibus eorum hominum mores deſcribit, quos nullus diuini numinis metus tangit; quíque ideo in omne genus ſcelerum præcipites ruunt. Id autem facit, vt altiùs poſtea Dei bonitatem extollat, qui erga eiuſmodi homines beneficus ac benignus eſſe non deſinat. Porrò hic verſus non parum habet difficultatis, nec vno modo ab interpretibus intelligitur. Raſi vult in hoc verſu eſſe hyſterologiam ſic ordinandam, Eſt *in medio cordis mei*, quòd *præuaricatio* ſeu *defectio*, id eſt, concupiſcentia, ſeu fomes peccati (quem ipſe vocat *affectum*, ſeu *deſiderium malum*) *dicit impio*, ne ſit *timor Dei ante oculos eius.* *In medio cordis mei*, id eſt, vt mihi videtur. Sic

A Raſi. Explicabo noſtro more, ſed tamen ad eundem ſenſum, *Dicit præuaricatio* &c. Senſus eſt, Audire mihi videor vocem concupiſcentiæ dicentis impio, Non eſſe cur ipſe Deum timeat: hoc enim ſignificant hæc verba, quæ ſic habent hebraicè ad verbum, *Non timor Dei* &c. quod nihil aliud, vt ipſe quidem ſentio, ſignificat, quàm non debere eſſe timorem Dei &c. Alio modo accipit hunc verſum Kimhi: Ego dico *in medio cordis mei*, quòd *præuaricatio*, id eſt, concupiſcentia, *dicit impio*,
B Quicquid libebit, facito: quia *non eſt timor* &c. Audi iam Ezram: Cogito *in medio cordis mei*, quòd præuaricatio veluti loquitur ac dicit, O homo impie, ne timeas: propterea *non (eſt) timor Dei* &c. Sunt ex Latinis, qui ſic vertant, *Dicit præuaricatio de impio in medio cordis mei: Non (eſt) timor Dei ante oculos eius.* Hoc ſcilicet ſenſu, Improborum hominum ſcelera introrſum mihi de illis teſtantur, quòd omnem Dei timorem abiecerint. Symmachus hunc ſenſum ſequutus eſt, qui vertit, Φησὶν περὶ

Digitized by Google

ἀσυνθεσίας τοῦ ἀσεβοῦς ἔνδοθεν ἡ καρδία μου, ȣ̓ προσκεῖται φόβος θεȣ̃ ἄντικρυς τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ, hoc eſt, *Dicit de defectione impij intus cor meum, Non eſt propoſitus timor Dei ante oculos ipſius.* Ab hac certè ſententia nõ abſum. Eſt enim per ſe clara: & vox, quam in textu ex Hebræorum mente vertimus per datiuum, ſic, *impio*, verti poteſt *de impio*: ל enim nominibus præfixum non ſolùm articulus eſt datiui, ſed etiam ſignificat *de*, vt obſeruatum eſt ad verſ. 3. Pſal. 3. D. Hieronymus lamed hîc accepit pro nota gen. ac vertit *Dicit ſcelus impij.* Græca & Latina verſio multùm diſtãt ab Hebræo, præſertim vt hodie ſunt puncta: quibus mutatis effici illæ poterunt: ſi nimirum pro פֶּשַׁע *peſcha*, legas פֹּשֵׁעַ *poſchea*, id eſt, *præuaricator*, quod reddiderunt Græcus & Latinus *iniuſtus*: & pro לָרָשָׁע *laraſcha*, legas לִרְשֹׁעַ *lirſchoa*, id eſt, *ad impiè agendum*, quod illi verterunt, *vt delinquat*: necnon לִבּוֹ *libbo*, pro לִבִּי *libbi*, ac ſic vertas *in medio cordis ſui*, quod interpretati ſunt *in ſemetipſo*; quo modo legit D. Hieronymus, qui vertit *in medio cordis eius.* De ſenſu Vulgatæ legantur, qui in illam commentarios ſcripſerunt. Optimè ac breuiter illam explicat Genebrardus hunc in modum: *In ſemetipſo.* Hyſterologia. Ordo enim eſt, *Dixit iniuſtus in ſemetipſo, vt delinquat*: Cogitat apud ſe delinquere. In eo tota eius cogitatio verſatur. Idem Genebrardus affirmat Chaldæum habere *in medio cordis eius.* Ita eſt profectò in Bibliis Regiis: at non in Rabbinicis.

3 *Quoniam blanditur ei* &c. Senſus eſt, Quoniam impio coràm ita blanditur concupiſcentia, *vt inueniat* Deus *iniquitatem eius* odio dignam. Sic accipiunt Raſi, & Ezra, necnon Card. Bellarminus. Ego cum Kimhi, qui etiam adfert aliam expoſitionem, ſed quam non probo, ſic potiùs accipio, vt dicat, ita blandiri impio concupiſcentiam, vt tandem tamen ea, in quibus ſibi admodum impius placuit, ſummo odio proſequatur, Deo ita volente, vel quòd nimia conſuetudo, vt fit, tædium afferat. Iuxta hunc ſenſum nos vertimus, quem Græcus dubio procul ſequutus eſt, qui vertit, τȣ̃ εὑρεῖν τὴν ἀνομίαν αὐτοῦ καὶ μισῆσαι. Non erit alienum profectò cum Latino, qui hîc à Græco diſceſſit, vertere, *vt inueniatur iniquitas eius ad odium.* Nam ad verbum legitur *ad inueniendum*, quod reſoluere potes, *vt inueniat* ſub. *quiſque.* Senſus erit præclarus, Dum impius allectus concupiſcentiâ noua ſubinde ſcelera comminiſcitur, tandem in odium, offenſionémque omnium incurrit. Mane, & perpende. Dixit *vt inueniatur iniquitas eius ad odium*, A non autem *vt inueniatur ipſe ad odium*, quò doceret, non hominem, ſed iniquum, ſed iniquitatem eſſe odio habendam. Impius eſt aliquis: odio proſequamur impium, aut impietatem, non hominem. Odio ſit impius, quem ipſe ſe fecit, ſed ametur homo, quem fecit Deus. Homini ſimus amici, vitiis inimici.

4 *Verba oris eius iniquitas & dolus.* Senſus: Quicquid loquitur, illud agit, vt aut aperta vi, (hoc ſignificat τὸ *verba oris eius iniquitas*) aut fraudibus (hoc ſignificat B *verba oris eius dolus*) alios circumueniat, ſiquidem id ſuadet cupiditas & concupiſcentia. *Deſiit intelligere vt bene ageret.* Senſus: eas tenebras hominis illius menti offundit concupiſcentia, rectam vt agendi rationem, multarum licet rerum cognitione inſtructus, videatur ignorare, ac neſcire prorſus quid ſit æquum ac iuſtum. Nihil amplectitur, niſi quod animo adlubeſcit ſuo. Vt enim ei, qui per cæruleum aut alius coloris intuetur vitrum cærulea ſe offerunt omnia: ita qui prauam illam con- C cupiſcentiam in conſilium adhibet, nihil probat prorſus, niſi quod ad explendas cupiditates facit. Præterea autem vbi animus ſemel ſe cupiditate deuinxit mala, neceſſe eſt conſilia conſequi conſimilia, ſicuti dicebat neſcio quis: & quomodò morbus guſtum, ſic libido & concupiſcentia homini mentem adimit, vt dicat malum bonum, & bonum malum: ponat tenebras lucem, & *Eſa. 5. 20.* lucem tenebras; ponat amarum dulce, & dulce amarum.

D 5 *Iniquitatem meditatur in cubili ſuo.* Noctu vigil aut è ſomno excitatus ſcelera excogitat, quæ de die perficiat. *Stat in via non bona* interdiu, atque exequitur quæ noctu excogitauit. Plus inferre videtur quum ait *non bona*, quàm ſi dixiſſet *mala*, quaſi hoc velit, in via quæ nihil omnino habet boni, ſed prorſus praua eſt ac peruerſa, ita vt nullum ſcelus ſit, aut flagitium tam atrox, quod auerſetur, ſicuti mox ſubiicit, *malitiam*, ſeu, *malum non auerſatur.* Fortaſſe tamen *non bona* dixit pro *mala* ſimpliciter, ne bis רָע *ra*, dicere cogeretur, E quemadmodum obſeruat Kimhi, qui nihilominus & priore modo accipit. *Stare* porrò *in via* aliud nihil eſt quàm viam inſiſtere, ac viuendi rationem inire. Et quidem *ſtandi* verbum pertinaciam dicit, vt obſeruatum eſt ad verſ. 1. pſ. 1. Vide porrò quò euadant, ſi verum eſt quod dicitur in hoc verſu, qui concupiſcentiæ ſeu prauis & immoderatis affectibus obediunt, neque illos in gyrum rationis compellunt. Illud igitur ſtudeat quiſquis ſapienter vitam volet inſtituere, vt laſciuientem concupiſcentiam, at-

Digitized by Google

que exultantes animi motus domet : & vt equus, quum fræno diſcit parere, non in liberum ducitur campum, ſed in ſpatium aliquod anguſtius, ita concupiſcentiam intra certos limites primò coërceat, nec ſinat euagari liberiùs.

6 *Domine, in cælo* &c. Dauid impiorum cogitationes & opera conſiderans, atque è regione Dei erga illos miſericordiam, qui nihil illis ad victum deeſſe patitur, ſubitò exclamat, *Domine, in cælo miſericordia tua:* &c. *In cælo*, hoc eſt, vſque ad cœlum, iuxta Kimhi, & hoc videtur poſtulare ſequens membrum : quo modo pſal. 57. 11. *Magna (eſt) vſq; ad cælos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua:* hoc eſt, immenſa eſt & infinita. Per *veritatem Dei* intelligit hoc loco veritatem promiſſionum, ſecundùm quam nihil patitur hominibus, etiam impiis, imò ipſis etiam animantibus vnquam deeſſe. Raſi ſic hunc verſum explicat, *Domine, in cælo miſericordia tua*, hoc eſt, propter impios illos tu transfers miſericordiam ab his inferioribus, & exaltas veritatem tuam vſque ad nubes, vt transferas illam ab hominibus. Hoc eſt coactum. Sunt ex Hebræis, qui cenſeant dici hîc, *in cælo miſericordia tua*, &c. quòd cœlum fons ſit miſericordiæ, & ſcaturigo veritatis.

7 *Iuſtitia tua* &c. Senſus eſt, Iuſtitiæ tuæ cognitio altior eſt, quàm vt quis illam poſſit attingere, eſtque ſicut *montes Dei*, hoc eſt, præalti, (in ſacris enim litteris diuinum appellatur, quicquid in ſuo genere excellit, vt dicetur mox,) & abrupti, quos nemo poteſt tranſcendere: ac ſic tuorum iudiciorum cognitio veluti *abyſſus multa*, atque ita profunda, nemo vt eam oculis luſtrare poſſit. Hoc ſenſu hunc verſum interpretatur Ezra. Per *iuſtitiam*, & *iudicia Dei* ſignificat conſilium, & prouidentiam ipſius, ſumma iuſtitia, ſummáque ſapientia omnia gubernantis. *Homines & iumenta* &c. hoc eſt, non tantùm hominum genus, ſed etiam bruta animantia conſeruas. Verbum *ſaluandi* hoc loco intelligendum eſt de conſeruatione rerum in eo ſtatu, in quo ſunt: quaſi dicat, ſeruas ab incommodis, tueris aduerſus famem, & cætera eiuſmodi. Quod ergo hîc dicitur, de ſalute temporali, non ſpirituali, eſt intelligendum. Raſi hunc verſum ita exponit, *Iuſtitia tua* pretioſior eſt ipſis hominibus *ſicut montes Dei*, (ita vt illam ampliùs non experiantur) propter improborum opera; & *iudicia tua*, (hoc eſt, pœnæ tuæ) ingruunt quaſi abyſſus multa. Adfert & aliam expoſitionem : *Iuſtitia tua ſicut montes Dei*, hoc eſt, Eum, cum quo vis iuſtitiam exercere, extollis, ac roboras *ſicut montes Dei*. אל *el*, Deum, vt fortem,

A ſignificat. *Iudicia tua abyſſus multa.* Eum, de quo vis ſupplicium ſumere, deprimis vſque ad abyſſum multam. *Iudicia tua*, *iuſtice* vernaculè. *Homines*, (heb. אדם *adam*,) *& iumenta ſaluas Domine*, hoc eſt, filios hominis, qui valent prudentiâ ſicuti primus homo, & tanquam iumenta ſeſe gerunt præ humilitate, (hoc eſt, ita ſe abiiciunt, vt pro beſtiis ſe ducant apud te) *ſaluas Domine*. Sic ferè ille. Audire nunc iuuat ipſum Kimhi. Sic ferè habet : *Iuſtitia tua ſicut montes Dei*, hoc eſt, montes al-
B ti, pro conſuetudine hebraicæ linguæ, quæ cùm aliquid excellens & eximium vult ſignificare, illud Dei eſſe dicit: ex. gr. Ionæ 3. 3. *Et Niniue erat ciuitas magna Deo*, (vel *Dei*,) *itinere trium dierum*. 1. Sam. 14. 15. *& fuit in pauore Dei*. Ierem. 2. 31. *num terra caliginis Dei?* Cant. canticor. 8. 6. *prunæ eius, prunæ ignitæ, flamma Dei*. Pſal. 80. 11. *cedri Dei*. (Ita in Hebræo eſt omnibus iſtis in locis.) Dicit autem *Iuſtitia tua ſicut montes Dei*, propterea quòd dixit *Domine, in cælo miſericordia tua*. Etſi, inquit, miſericordia tua magna eſt erga
C omnes, tam bonos, quàm malos, nihilominus diſcrimen illorum facis, quum tibi viſum eſt, ac magnificas tuam iuſtitiam erga bonos. Inſtar præcelſorum & magnorum montium magna eſt tua erga bonos iuſtitia. Magnificas verò iudicia tua erga improbos, cùm vides tempus eſſe, vt illos condemnes : demergis illos vſque ad abyſſum multam, vnde nunquam emergere poſſint. Comparat Dei opem & fauorem montibus, qui locus ſunt aſyli, & refugii : quo ſenſu dicitur Prouerb. 18. 10. *Tur-*
D *ris fortiſsima nomen Domini: ad ipſum curret iuſtus, & exaltabitur.* Quod autem mali hominibus à Deo immittitur, abyſſo multæ comparat, vnde aliquis exire non poteſt. Dicit autem *homines, & iumenta ſaluas Domine*, perinde ac ſi diceret, etiamſi tu diſcrimen facis inter bonos, & malos in hoc mundo, dum tua prouidentia bonis bona, malis verò mala, vnicuique pro ratione operum, reddis; interdum tamen fit, vt tu bona in malos conferas, eóſque ex malis eripias: atque ego ſic dico, miſeri-
E cordiam illam, quâ tu erga improbos vteris, ſimilem eſſe miſericordiæ, quâ vteris erga iumenta ſeu beſtias, quæ tuam ignorant miſericordiam, cùm tu omnia illis neceſſaria ſuppedites: illúdque eſt, quod ſignificare vult his verbis, *homines, & iumenta ſaluas Domine*. Improbus enim aut ſtultus eſt ſicuti beſtia ſub figura aut ſpecie hominis, ipſéque habet ſpeciem beſtiæ ad ſpeciem hominis probi. Sic ferè Kimhi.

8 *Quàm*

Digitized by Google

8 *Quàm pretioſa (eſt)* &c. Poſtquàm egit de bonis, quæ diuina bonitas impiis cum piis, imò cum brutis communia eſſe vult, nunc contemplatur ea bona, quæ piorum propria ſunt. Particula *quàm* habet emphaſim. De miſericordia ad hoc ſeculum pertinente, inquit Kimhi, dixerat *vſque ad cœlum miſericordia tua:* ſed miſericordiæ alterius ſeculi nulla eſt menſura. *Filij hominum*, hoc eſt, homines, vſitata phraſi. Kimhi verò *filios hominum* eos interpretatur, qui verè ſe filios hominum præbent, non qui, vt bruta animantia, quorum mentio mox facta eſt, ſeſe gerunt. *In vmbram alarum tuarum ſeſe recipient* in altera vita. Iuxta Raſi ſic hic verſus explicandus eſſet: Pretioſior eſt miſericordia tua, quàm vt ſuper impios illos debeat extendi: ſed *filij hominum, (qui) in vmbram alarum tuarum ſe recipient*, ipſi *inebriabuntur pinguedine domus tuæ*. Ezra ad hunc verſum habet ad iſtum modum: Poſtquam de hominibus, & brutis egit, nunc de iis, qui in vniuerſo hominum genere excellunt. Pios intelligit. Vult autem ſic exponi, *Quàm pretioſa (eſt) miſericordia tua, & filij hominum* ſubaudi ex priore membro *pretioſi ſunt, (qui) in vmbram alarum tuarum ſe recipiunt!* Obſerua obiter eſſe in hoc verſu athnach, qui abſque dubio non diſtinguat.

9 *Inebriabuntur pinguedine* &c. in mundo ſcilicet venturo, mundo Animarum, & Angelorum, qui quidem eſt *domus Domini*. Alias vocatur *templum Domini, mons ſanctitatis eius, mons Domini, voluptas* ſeu *amœnitas Domini*. Sic Kimhi. *Pinguedo & voluptas*, quarum hîc Dauid meminit, fruitio ſunt, & viſio Dei clara, quæ, inquit Kimhi, bonum eſt, quod nullum ſequetur malum, & ſatietas, quam nulla ſequetur fames, ac ſitis. Singula vocabula in hoc verſu ſingularem habent emphaſim. *Inebriabuntur*, emphaticum. *Pinguedine*, emphaticum: nam ſignificat haud vulgaria bona, ſeu, omnis generis bona. Vnde benè ad ſenſum in Vulgatâ pro *pinguedine* legitur *vbertate*. *Domus tuæ*, emphaticum. *Torrente*, emphaticum: iſtud quippe vocabulum copiam notat, iuxta Kimhi: perpetuitatem, iuxta Ezram, qui נחל *nachal*, non pro torrente, ſed flumine, cuius aquæ perennes ſunt, non autem torrentis, videtur accepiſſe. *Voluptatum tuarum*. Emphaſim habet numerus pluralis: emphaſim habet pronomen, *tuarum*, hoc eſt, quibus ipſe tu frueris, & quas ſolus dare potes. *Potabis* (ſeu *irrigabis*) *eos*, emphaticum, præſertim ſi *irrigandi* ſignificatio, quam aliàs obtinet verbum hebraicum, retineatur: tunc enim ſignificabit beatos totos gaudiis eſſe perfuſos. A Præterea cùm dicit *potabis eos*, vult ſignificare, niſi Deus ipſe ad ſui viſionem beatorum mentem lumine gloriæ eleuaret, nunquam humanam mentem ad id poſſe aſſurgere. Ergo ſingula verba huius verſus ſunt emphatica, & vehementer operantur. Quam ad rem, quæſo, grauiora & efficaciora verba conquiri oportuit, quàm ad eam, quam angeli, non dico deſcribere, ſed ne cogitatione quidem aſſequi poſsũt: quã nec oculus videre, nec auris audire poteſt? Poteſt hic & ſequens verſus explicari de innumeris illis beneficiis, & B muneribus, quibus Deus illos, qui ad ſe confugiunt, ornat atque afficit in hac vita. In hoc ſenſu per *domum Dei* erit intelligendum templum.

10 *Apud te (eſt) fons vitæ:* ſicuti enim aquæ fontium perennes ſunt, ſic alterius ſeculi vita, quæ apud te degitur, perpetua eſt & æterna: vita abſque morte, & lux abſque tenebris. Idcirco mox ſubiungit, *in lumine tuo videbimus lumen*. Sic ferè Kimhi. Obſeruat Ezra *lumen* appellari præmium alterius vitæ, quòd nihil ſit in terris lumine præſtantius, quippe quod, inquit, ſubſtan- C tia eſt, & non corpus. *In lumine tuo*. Chald. interpretatus eſt *in ſplendore gloriæ tuæ*. Theologi ex poſteriore membro huius verſus colligunt lumen gloriæ, quod neceſſarium eſſe volunt ad Deum videndum. Sic ergo explicant illud, *videbimus lumen*, hoc eſt, te, ô Deus, qui lux es, & in quo tenebrę non ſunt vllæ, ſed *in lumine tuo*, hoc eſt, adiuti lumine gloriæ, quod ipſe iis donas, quos ad tui viſionem dignaris admittere. Card. Bellarminus adfert aliam huius loci expoſitionem, quam putat eſſe magis litte- D ralem, & eſt, meo quidem iudicio. Hæc autem eſt: *In lumine tuo videbimus lumen*, nihil aliud ſignificat, niſi in teipſo, qui lux, & fons luminis es, videbimus te lumen inacceſſibile, & indeficiens. Nunc enim videmus Deum, ſed in ſpeculo creaturarum; in mente noſtra, quæ eſt imago Dei, ratiocinando, & diſcurrendo ab operibus ad opificis notitiam. Denique in fide, non in ſpecie: tunc autem videbimus Deum in ſeipſo, &, vt dicit Apoſtolus Paulus, *facie ad fa- E ciem*, &, vt loquitur B. Ioannes, *videbimus eum ſicuti eſt*, non ſicut in imagine repræſentatur. Et quoniam, vt idem Ioannes dicit, 1. Ioan. 1. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ*; ideo rectè dicitur *in lumine tuo*, id eſt, in ipſa tua diuinitate, quæ lux eſt, non in figuris, & ænigmatibus, *videbimus lumen*, id eſt, teipſum, *qui es lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Hactenus Card. Bellarm. Si de ſtatu huius vitæ vis hunc verſum accipere,

Digitized by Google

PSALMVS

XXXVI. — XXXVII.

VERSIO

VETVS.

PSalmus ipſi Dauid.

Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem.

2 *Quoniam tamquam fœnum velociter areſcent: & quemadmodum olera herbarum citò decident.*

3 *Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & paſcêris in diuitiis eius.*

4 *Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.*

5 *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo: & ipſe faciet.*

6 *Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuã, & iudicium tuum tamquam meridiem: ſubditus eſto Domino, & ora eum.*

7 *Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua; in homine faciente iniuſtitias.*

8 *Deſine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari vt maligneris.*

9 *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum, ipſi hereditabunt terram.*

10 *Et adhuc puſillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & non inuenies.*

11 *Manſueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

12 *Obſeruabit peccator iuſtum: & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.*

NOVA.

DAuid.

Noli æmulari in malignãtibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.

2 Quoniam tanquam [a] fœnum velociter ſuccidentur, & quemadmodum [b] olera herbarum decident.

3 Spera in Domino, & fac bonum: inhabita terram, & paſcere veritate.

4 Et delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.

5 Volue ſuper Dominum viam tuam: & ſpera in eo, & ipſe faciet.

6 Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.

7 Sile Domino, & expecta eum: noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua, in homine faciente [c] iniuſtitias.

8 Deſine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari; veruntamen ad malè agendum.

9 Quoniam maligni excidentur: expectantes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram.

10 Et adhuc [d] puſillum, & non (erit) peccator: & conſiderabis locum eius, & non ipſe.

11 Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

12 Cogitat peccator contra iuſtum, & ſtridet ſuper eum dentibus ſuis.

a *gramen*

b heb. *olus vel viror herba*

c heb. *ſcelera.*

d *paululũ,*

13 Dominus (autem) irridet eum: quoniam proſpicit, quòd venit dies eius.

14 Gladium euaginauerunt peccatores, & intenderunt arcum ſuum, vt deiiciāt afflictum & inopem: vt [e] trucident rectos viâ.

e heb. *iugulent, ſeu mactent*

f heb. *cor*

15 Gladius eorum intrabit in [f] corda ipſorum, & arcus eorum confringentur.

g heb. *Bonum*
h ad verb. *prędiuitiis &c.*

16 [g] Melius (eſt) modicum iuſto, [h] ſuper diuitias peccatorum multas.

17 Quoniam brachia peccatorum conterentur: ſuſtentat autem iuſtos Dominus.

i vel *perfectorum, innocētium:*

18 Nouit Dominus dies [i] immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit.

l *pudefient*

19 Non [l] confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntúr.

m Vel *Quum* aut *Sed*

20 [m] Quia peccatores peribunt, & inimici Domini ſicut pretioſum agnorum deficient, in fumum deficient.

21 Mutuatur peccator, & non ſoluit: iuſtus autem miſeretur, & tribuit.

22 Quia benedicti eius hæreditabunt terram: maledicti autem eius excidentur.

23 A Domino greſſus viri diriguntur: & viam eius vult.

24 Cùm ceciderit, non ſuccumbet: quia Dominus ſuſtentat manum eius.

n heb. *Puer*

25 [n] Iunior fui, etiam ſenui, & non vidi iuſtum derelictum: nec ſemen eius quærens panem.

26 Omni die miſeretur, & commodat: & ſemen illius in benedictione (erit.)

o *Recede*

27 [o] Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in ſeculum.

28 Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos, in æternum conſeruabuntur: ſemen autem impiorum ſuccidetur.

13 Dominus autem irridebit eum: quoniam proſpicit quòd veniet dies eius.

14 Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum ſuum,

15 Vt deiiciant pauperem & inopem: vt trucident rectos corde.

16 Gladius eorum intret in corda ipſorum: & arcus eorum confringatur.

17 Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas.

18 Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iuſtos Dominus.

19 Nouit Dominus dies immaculatorum: & hereditas eorum in æternum erit.

20 Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur: quia peccatores peribunt.

21 Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati: deficientes, quemadmodum fumus deficient.

22 Mutuabitur peccator, & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur & tribuet.

23 Quia benedicentes ei hereditabunt terram: maledicentes autem ei diſperibunt.

24 Apud Dominum greſſus hominis dirigentur: & viam eius volet.

25 Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam.

26 Iunior fui, etenim ſenui: & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.

27 Tota die miſeretur & commodat: & ſemen illius in benedictione erit.

28 Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in ſæculum ſæculi.

29 Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos: in æternum conſeruabuntur.

30 Iniuſti punientur: & ſemen impiorum peribit.

Digitized by Google

31 *Iuſti autem hereditabunt terram: & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam.*

32 *Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.*

33 *Lex Dei eius in corde ipſius: & non ſupplantabuntur greſſus eius.*

34 *Conſiderat peccator iuſtum: & quærit mortificare eum.*

35 *Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum cùm iudicabitur illi.*

36 *Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius: & exaltabit te vt hereditate capias terram: cùm perierint peccatores videbis.*

37 *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani.*

38 *Et tranſiui, & ecce non erat: & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.*

39 *Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem: quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.*

40 *Iniuſti autem diſperibunt ſimul: reliquiæ impiorum interibunt.*

41 *Salus autem iuſtorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis.*

42 *Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos: quia ſperauerunt in eo.*

29 Iuſti hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſuper eam.

30 Os iuſti [p] meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

31 Lex Dei eius in corde ipſius: non nutabunt greſſus eius.

32 Speculatur peccator iuſtum, & quærit morti tradere eum.

33 Dominus (autem) non derelinquet eũ in [q] manibus eius: nec damnari ſinet eum, cùm iudicabitur ille.

34 Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hęreditate capias terram: quum ſuccisi fuerint peccatores, videbis.

35 Vidi impium [r] fortem, & [ſ] vireſcentem inſtar [t] lauri viridis:

36 Et tranſiuit, & ecce non [u] erat: & quæſiui eum, & non eſt inuentus.

37 Obſerua innocentem, & vide æquum: [x] quòd (eſt) nouiſſimum homini (tali) pax.

38 Pręuaricantes autem diſperduntur ſimul: nouiſſimum impiorum ſucciditur.

39 Salus autem iuſtorum à Domino: fortitudo eorum in tempore tribulationis.

40 Et adiuuit eos Dominus, & liberauit eos; eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos: quia ſperauerunt in eo.

p *proferet*
q heb. *manu*
r vel *terribilem*,
ſ vel *diffundentẽ ſe*
t vel *cedri*, vel *arboris indigena:*
u ad verb. *ipſe:*
x vel *certè*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *EST prorſus moralis hic pſalmus, in quo diſces quæ prophani homines bona putant, in bonis non eſſe numeranda, ſed quod rectè fit, & ſecundùm Deum, id ſolum eſſe bonum: non eſſe ergo improbis ſua, quæ putant, bona inuidenda, ſed ea quærenda, quæ hominem meliorem efficiunt, ac nunquam pereunt. Sæpe audies in hoc pſalmo, quis impiorum, quis verò piorum hominum ſit exitus: illorum ſcilicet infœliciſſimum, horum verò fœliciſſimum; &, vtcunque proſperè habeant ad tempus impij, caducam tamen eſſe illorum fœlicitatem; contrà, etſi interdum ad tempus affligantur iuſti, nunquam tamen vinci malis, ac ſuccumbere: illos in ſumma fœlicitate ſæpe eſſe miſerrimos, hos in extremis miſeriis fœliciſſimos: illos in multis opibus inopes, hos in ſumma inopia diuites: illos, cùm ad ſummum potentiæ peruenerint, vno momento euerti, hos mox mox, vt videtur, perituros, illorum opibus*

Digitized by Google

ac dignitatibus ſuccedere. Hæc, inquam, & alia eiuſmodi ſæpe inculcat Dauid in hoc pſalmo, ne mortales falſa boni ſpecie decepti à Deo deficiant, impiorum veſtigijs inſiſtentes. Pſalmus hic eſt Alphabeticus, habètque alternos ferè verſus à litteris ordine Alphabeti incipientes. Difficile eſt certum aliquem huius carminis ordinem deſcribere, quippe in quo Dauid non parum affectibus indulget, qui plerumque non ſinunt in ſermone certum tenere ordinem, ſed huc & illuc mentem in varias cogitationes, eòdem tamen omnes ſpectantes, abripiunt. Non alia porrò conſcribendi huius carminis occaſio fuit, quàm quòd videret quotidie Dauid plerosque, pios etiam, impiorum proſperitate vehementer offendi, præſertim ad exiguum aliquod tempus, & iuxta carnis ſenſum.

1 *Noli æmulari* &c. Propoſitio pſalmi, A
qua pij monentur ne lætis & proſperis ſceleratorum rebus grauiùs afficiantur, ac propterea abducantur à recta via, vt eorum exemplo viuant. *Noli æmulari* &c. Alij vertunt *Ne ira exardeſcas ob malignos*, videns illis omnia ſuccedere. Alij, *Ne miſceas te cum malignis*. D. Hieron. *Noli contendere cum malignis*. Græcus & Latinus, etſi aliorum interpretationes eòdem tamen redeunt, commodè interpretati ſunt, & aptè ad ſequens membrum, *Noli æmulari in malignantibus*. Chald. ſenſum huius verſus optimè expreſſit: *Ne contendas in malè* B
facientes, vt ſis ſimilis illis: neque inuide facientibus iniquitatem, vt coniungaris cum illis. Eodem ſenſu dicebat Salomō Prou. 23. 17. *Non æmuletur cor tuum peccatores, ſed in timore Domini eſto tota die*: verſ. 18. *Quia re vera eſt merces, & ſpes tua non ſuccidetur*. Cap. ſeq. verſ. 1. *Ne æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum eis*. Et verſ. 19. *Ne contendas cum malignis: ne æmuleris impios*: verſ. 20. *Quia non erit finis malo: lucerna impiorum extinguetur*. Vbi *Ne contendas*, ſcilicet imitādi ſtudio, quemadmodum ibi interpretatur Raſi ex Ier. 12. 5. quo in loco
C idem verbum hoc ſenſu vſurpatur, alij vertunt, *Ne commercium habeas*, alij aliter: idem enim verbum eſt Prou. loco mox citato, quod hîc, atque idcirco ambiguum. Sed Chald. illic in Prouerbiis interpretatus eſt, *Ne æmuleris*: quo modo hîc Græc. & Lat.

2 *Quoniam tanquam fœnum* &c. Propoſitioni ratio ſubiicitur à ſubito ſceleratorum interitu petita. *Tanquam fœnum velociter ſuccidentur* ac demetentur, antequam ſponte cadant. Sed hoc intereſt, quòd demeſſum fœnum iterum germinet; at ſcelerati ſemel è viuis ſublati nunquam poſtea reuiuiſcant. D
Cæterùm apta eſt fœni ſimilitudo ad improborum hominum exitium. Nam vt fœni meſſis, quòd illud parum firmis radicibus aduersùs ſolis æſtum nitatur, adeóque citiùs exareſcat, tritici & hordei meſſem anteuertit, ſic & impios homines videmus plerumque ante conſtitutum cæteris mortalibus vitæ tempus immatura morte & violenta extingui, &, vt dicitur Iob. 15. 32. *antequam dies eorum impleantur, perire*, ad verb. *in non die ſuo ſuccidi*. *Et quemadmodum olera herbarum*, ad verb. *olus herbæ* vel *herbulæ decident*. Senſus, ſed vt ſcelerati illi non demetantur, certè tamen non diu vigebunt, ſed haud ſecus atque tenues herbulæ radiis ſolis exuſtæ, ſponte cadent ac ſubitò marceſcent. Sunt qui vertant *& quemadmodum viror herbulæ* &c. quaſi vellet dicere, non ſolùm ſpontè cadent, aut tabeſcent inſtar herbulæ, cuius aliquid in terra remanet quod iterum effloreſcit, ſed non ſecus atque viror ipſe herbarum, ipſi, ipſorúmque omnis fœlicitas omnino euaneſcent. Senſus ergo huius verſus, Quid cauſſæ eſt cur ſceleratis hominibus, qui plerumque in his terris vigent ac florent, inuideas? Nam quum illos vides, nihil aliud quàm viride fœnum, quod proximum eſt vt demetatur, vides, aut potiùs virentes herbas, quæ quamcitò marceſcent.

3 *Spera in Domino*. Neque eſt cur dicas, Si non prædatus ac furatus fuero, aut ſi dedero eleemoſynam, vnde viuam? *Et fac bonum*: túncque *inhabitabis terram* multos dies, *& paſcèris veritate*, ſeu *fide*, hoc eſt, tu veſcêris præmio fidei, quam in Deum habueris, ſpem in illo collocando, & bene agendo. Sic Raſi, in cuius ſententia *inhabita* eſt pro *inhabitabis*, necnon *paſce* pro *paſcèris*. Vide poſtea ad verſum 27. Ego verò hunc verſum ſic explico: Non eſt quòd inuideas ſceleratis ſuas opes, eórúmque exemplo in iis ſpem habeas. Quin *ſpera in Domino*, non in diuitiis, quemadmodum impii, & bene age. *Inhabita terram, & paſcere veritate* ſeu *fide*. Senſus eſt, terram hanc incole iiſque fruere quę tibi ſuppeditat, interea ſemper ex fide viuens, ac certò tenens nihil tibi defuturum vnquam, ſi modò ſpem in Deo retineas. Huc referendum illud Habacuc 2. 4. *iuſtus in ſua fide viuet*. Fauet Chaldæus, qui habet, *habita terram; & eſto fortis in fide*, ſeu *veritate*. Accipere potes hîc *veritatem* pro certitudine, & fiducia, ac vertere, *paſcere in fiducia*: eodem ſenſu, In Deo ſpera & bene age, atque interim ſecurè terræ bonis fruere, ac veſcere, certus nihil tibi vnquam defuturum Ad mentem Kimhi verten-

dum eſſet *paſce veritatem*, ſeu *veritate*. Sic ſenſus eſſe poterit, interea dum tu degis in his terris, doce quæ ad Dei cultum pertinent: vel, quod eódem recidit, fruere bonis, quæ terra tibi ſuppeditat, interea ſemper docens, quæ ad cultum Dei pertinent: perinde ac ſi diceret, non ſatis eſt ſi ipſe bene agas, & virtutem colas, niſi etiam alios doceas & ad pietatem inſtruas. *Paſce* erit pro *doce*: qui enim alium docet, cum paſcere cenſetur: iuxta illud Ierem. 3. 15. *Et dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Græc. & Lat. qui habent *in diuitijs eius*, legerunt המונה *hamonah*, non incommodo ſenſu, pro אמונה *emuna*.

4 *Et delectare* ſeu *delecta te in Domino*, &c. Senſus, Alios alia delectant: at te ſolus Dominus delectet, qui petenti nihil vnquam denegabit, omnia enim dare poteſt, qui fons eſt omnis boni. *Et dabit tibi petitiones cordis tui*, aut aliquid melius, modò ex fide proficiſcantur, nec voluntati Dei repugnent, aut tuæ, & Eccleſiæ vtilitati. Huc refer illud D. Ioan. 1ª. Epiſt. 5. *Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos.*

5 *Volue ſuper Dominum viam tuam.* Senſus, Omnes tuas curas & neceſſitates in Deum exonera & reiice, nec interim tamen otioſus, aut abſcondẽs manum in ſinu, ſed, quod in te eſt, faciens. Nam quum *viam tuã* ait, ſimul declarat vnumquemque debere ſe ad iter accingere, & manum ad os admouere, niſi velit piger audire, iuxta illud Prou. 19. 24. *Abſcondit piger manum ſuam in ſinu*, (Lat. *ſub aſcella*,) *nec ad os ſuum applicat eam.* *Et ſpera in eo*, &c. Senſus, ac noli dubitare, quin ille quodcumque facto opus erit, facturus ſit. Simile quid eſt huic verſui pſal. 55. 23. *Iacta* (ſeu *Proijce*) *ſuper Dominum onus tuum, & ipſe ſuſtentabit te: non dabit in æternum nutationem iuſto.* Cæterùm pro *Volue*, Græc. & Lat. habent *Reuela*: legerunt enim גל *gal*, pro גול *gol*: ac ſic quoque Chald. qui hîc habet, *Reuela ſuper Dominum.*

6 *Et educet quaſi lumen* &c. Senſus eſt, Atque vt ſinat te Deus aliquandiu ærumnis exerceri, ac premi rerum penuria, tandem tamen ſuccurret, ac tibi omnia neceſſaria ſuppeditabit, idque palàm & in oculis omniũ, propter tuam iuſtitiam, quæ tunc meridiana luce clarior conſpicietur. *Iuſtitiam* & *iudicium* hîc confundit, & pro eodem accipit, nimirum pro probitate, & vita rectè inſtituta.

7 *Sile Domino*, vel *Expecta Dominum*, &c. Ego explico *Sile Domino, & expecta eum*,

A pro, Cum ſilentio, & patientia expecta opẽ à Domino, ex Thren. 3. 26. *Bonum eſt, quòd expectet, & ſit ſilens ad ſalutem Domini*: vbi Vulgata habet, *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini*: qui verſus planè huic reſpondet, & quoad ſenſum, & quoad voces: hîc enim דום *dom*, id eſt, *ſile*, illic דומם *dumam*, id eſt, *ſilens*, vtrumque à rad. דמם *damam*: hîc התחולל *hithcholel*, id eſt, *expecta*, illic יחיל *iachil*, id eſt, *expectet*, vtrumque à rad. חול *chul*. *Noli æmulari* &c. dicendo, Peccabo ſicut ille, vt & ſicut ille proſperè agam. Poteſt verti hîc, vt ad

B primum verſum, *ne miſceas te cum eo* &c. id eſt, ne te adiungas ad illius familiaritatem, & conſuetudinem. Verti poteſt prius mẽbrum huius verſus ſic, *Sile Domino, & dole illi*, id eſt, Sile propter Dominum, ac ſi quid tibi dolet, aut aduerſi accidit, *dole illi*, hoc eſt, fer patienter & æquo animo quicquid dolebit, eius cauſsâ, cognoſcens & cogitans te habere meliorem & manentem Heb. 10. ſubſtantiam in cælo. Hoc ſenſu accipiunt Ezra, & alij: priore Raſi, Kimhi, & alij. Atque poſteriore modo accipiendo, com-

C modè poſterius membrum vertetur, *ne ira exardeſce* (verbum enim idem hîc, quod in principio pſalmi,) *in eo* &c. hoc eſt, propter eum qui proſperatur &c. Ad hunc verſum pertinet illud Eſaiæ 30. 15. *In quiete, & requie ſalui eritis: in tranquillitate*, (Vulgata habet *in ſilentio*) *& ſpe erit fortitudo veſtra.*

8 *Deſine ab ira*, &c. Noli iraſci in Deum, ſi tibi res ad voluntatem non ſemper fluant: ſtulti ſiquidem eſt in Deum iraſci, ſicuti eſt Prouerb. 19. 3. *Stultitia ho-*

D *minis peruertit viam eius, & contra Dominum indignatur cor eius.* Sic Kimhi. Raſi longiùs abit, qui exponit, Deſine malefacere, ne veniat ſuper te ira. *Et derelinque furorem*, hoc eſt, rem, quæ adducat ſuper te iram Dei. Sic ille. *Noli æmulari*; *veruntamen ad malè agendum.* Senſus eſt, potes tu quidem improbos æmulari, ſi interdum aliquid boni edant, non item in iis, quæ contra Deum faciunt, vt tibi bene ſit, quemadmodum illis. Vertere potes *ne miſ-*

E *ceas te* cum malignis; *veruntamen* &c. quaſi diceret, non omne quidem commercium cum improbis prohibeo, ſed illud tantùm, in quo commercium eſt etiam vitiorum.

9 *Quoniam maligni* &c. Ne moueat te improborum fœlicitas, ipſi enim eorũmque poſteri ſubitò excidentur, exterminabuntúrque, nec diu vigebunt: *expectantes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram*, hoc eſt, diu terram quaſi hæreditario iure obtinebunt, exterminatiſque improbis, il-

Digitized by Google

lorum bonis ſuccedent: (hoc enim videtur etiam importare verbum *hæreditandi*) quo modo dicitur Iob 27. verſ. 13. & ſequentibus, *Hæc (eſt) pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum, (quã) ab Omnipotente accipient. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladium erunt, & nepotes eius non ſaturabuntur pane. Si coacervauerit quaſi puluerem argentum, & ſicut lutum præparauerit veſtimenta: Præparabit quidem, ſed iuſtus veſtietur, & argentum innocens diuidet.*

10 *Et adhuc puſillum*, &c. Senſus eſt, Expecta paulisper, & videbis oculis tuis ruinam impij, cúmque aduerteris ad locum, in quo erat antea, ipſum haud reperies. *Si aſcenderit vſque ad cælum ſublimitas eius, & caput eius nubes tetigerit: Quaſi ſtercus ſuum in ſempiternum peribit: qui eum viderant, dicent, Vbi eſt? Velut ſomnium auolabit, & non inuenient eum: tranſibit* (heb. *amouebitur*) *ſicut viſio nocturna. Oculus qui eum viderat, non videbit: neque vltrà intuebitur eum locus eius*, hoc eſt, vt explicat Ralbagh, oculus virorum loci eius, qui conſueuerant eum videre. Iob 20. verſ. 6. & ſequentibus.

11 *Manſueti* (hoc eſt, Iuſti) *autem tunc hereditabunt terram.* Hinc videtur Chriſtus ſumpſiſſe quod ait Matth. 5. *Beati mites, quoniam poſſidebũt terram. Et delectabuntur* &c. Nam in ruinâ impiorum eſt pax & lætitia, iuxta illud Prou. 11. 10. *In bonis iuſtorum exultabit ciuitas, & in perditione impiorum erit exultatio.* Sic ad hoc Ezra & Kimhi.

12 *Cogitat peccator* &c. Videtur occurrere his aliquot verſibus tacitæ obiectioni. Poterat quis dicere, Quî iuſti longo pacis otio in terris perfrui dici poſſunt, cùm nunquam deſint, qui illorum etiam vitæ perpetuò inſidientur? Docet nunc igitur, etſi piorum vita continuò ab impiis, quà occultis artibus & inſidiis, quà apertè ferro appetatur, nihil tamen detrimenti vnquam illos accipere: quin ſceleratorum conatus ſemper fieri irritos, ſuiſque autoribus exitioſos.

Cogitat peccator contra iuſtum, hoc eſt, Non deſinunt ſcelerati quiduis aduersùs iuſtos machinari. *Et ſtridet ſuper (contra) eum*, hoc eſt, magna odiorum acerbitate in ipſum fertur. Kimhi hoc ſic explicat, quaſi diceret, *ſtridet*, quum illum adeptus eſt, & poteſt dicere, Teneo te.

13 *Dominus autem irridet eum*, &c. Senſus, Deus ex alto ſceleratorum conatus irridet, ſciens irritos futuros, ac cognoſcens tempus exitij illorum venturum, iamque imminere, nec longè abeſſe. Quò magis improbi bonos laceſſunt, eò propiùs illis exitium imminet: Deus quippe ſuorum ſalutem negligere non poteſt; ac tum maximè ipſis fert opem, eorúmque hoſtes euertit, quum videt de fortunis, ac vita præſertim periclitari, & eſſe in ſummo diſcrimine. *Veniet*, móxque aderit. Sunt qui vertant in præterito, *venit*, quaſi diceretur, iam adeſt. Non dubium eſt quin ſignificare velit Dauid exitium propinquum. Chaldæus interpretatus eſt, *venit* (in præt. vel præſ.) *dies confractionis eius.*

14 *Rectos viâ*, hoc eſt, viuendi ratione: qui rectam viuendi viam ſeu rationem tenent.

15 *Gladius eorum* &c. Latinè diceremus, Suo ipſi gladio iugulabuntur, aut confodientur. Significat hoc verſu Deum tandem impiis iuxta illorum opera redditurum, & mala, quæ ipſi aliis moliuntur, in eorum capita conuerſurum. Similis eſt ſententia pſal. 7. verſ. 15. & ſeq. *Ecce parturijt iniuſtitiam, & concepit dolorem, & peperit mendacium. Ciſternam fodit, & effodit eam, & incidit in foueam, (quam) fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.*

16 *Melius (eſt) modicum* &c. Alteri obiectioni occurrit. Aliquis diceret, Quî iuſti dici poſſunt beati, ac frui hîc ſumma pace, cùm plerumque tenuis ſit eorum fortuna? *Melius eſt*, inquit, *modicum iuſto*, &c. Iuſto enim parum ſatis eſt: habenſque ille alimẽta, & quibus tegatur, his contentus eſt: impiis verò & auaris nihil vnquam ſatis: quia quò plura habent, acriùs quæ non habent, cupiunt: imò tam iis deeſt quod habent, quàm quod non habent, quia iis, quæ habent, vti nolunt. Opes ſimiles ſunt igni, qui, quò plus ligni ingeris, plures emittit flammas: ſic quò magis opes creſcunt, eò maiorem cupiditatem & habendi ardorem excitant. Ad rem eſt quod dixit Salomon Prou. 13. 25. *Iuſtus comedit ad ſaturitatem animæ ſuæ: venter autem impiorum indiget.* Et quod D. Paulus 1. Timoth. 6. *quæſtus eſt magnus pietas cum ſufficientia.* Hoc ſenſu accipiunt Ezra & Kimhi. Addit hic ferme ad iſtam ſententiam, Præterea multæ opes impiis ſunt in perniciem, quòd iis ſuperbiant, & abutantur, ac tantùm abſit, vt illarum beneficio cæteros mortales demereantur, vt potiùs aduerſus ſe concitent, cùm in exigua re iuſti multos ſibi parent amicos. Priore modo Ezra: vtroque ſimul Kimhi. *Super diuitias* &c. Ad verb. *præ diuitiis* &c. Iuxta Raſi, & alios vertendum, nec repugnat etiam Kimhi, *præ multitudine peccatorum* ſeu *impiorum multorum*, vel, *optimatum* ſeu *magnatum*: vt ſenſus ſit, Paucos, qui auxilium ferunt

1. Timot. 6.

Bechai.

iuſto, præſtare multis, etiam optimatibus, qui impium adiuuant: quod hiſtoria Abrami declarat, qui cum ſeruis ſuis numero dūtaxat ſupra trecentos decē & octo, reges quatuor victoria feroces, exutos præda, armíſque, in fugam compulit, vt legere eſt Geneſ. 14. Sanè hæc interpretatio cum præcedentibus verſibus, & ſequente optimè cohæret, vbi de impiorum vi agitur, non autem de diuitiis. Alij ergo הָמוֹן *hamon*, pro *multitudine*, alij pro *diuitijs* interpretantur. Qui pro *diuitijs* accipiunt, cum nomine רַבִּים *rabbim*, pluralis num. conſtruunt, etſi illud ſit ſingularis, ad hunc modum, *præ diuitijs peccatorum multis*. Affert exempla Kimhi, in quibus ſingulare cum plurali conſtruitur, ex Eſter 9. 23. Prou. 28. 1. Qui pro *multitudine* prædictam vocem exponunt, רַבִּים *rabbim*, referunt ad *peccatorum*, & accipiunt, vt Ierem. 41. 1. pro *magnatibus, optimatibus*. Atque ita eſſe faciendum docet Kimhi, qui vtroque modo prædictam vocem accipit. Potes tamen & vertere *multorum*, etſi vertas *multitudine* ſeu *turbâ*. Quidni?

17 *Quoniam brachia peccatorum* &c. Si poſteriore modo præcedentem verſum cum Raſi accipias, facilè hic verſus cum illo cohærebit, ac ſi diceret, Exigua manus, quæ ſtat à partibus iuſtorum, fortior eſt ingētibus ſceleratorum copiis: quandoquidem Deus horum vires euertat, illorum autem robur augeat. Si verò priore modo, qui tamen communis eſt, præcedentem verſum interpreteris, non videtur hic verſus cum illo cohærere, niſi præcedentis verſus hæc ſententia ſit, Pauxillo rei plus iuſtos poſſe ac valere, quàm ſceleratos immenſis opibus, atque adeo pauxillum illud iuſtorum omni ſceleratorum opulentiæ præſtare: ſiquidem Deus horum robur conuellat, illorum verò adaugeat, id quod ſignificat hic verſus.

18 *Nouit* &c. Id eſt, Cognoſcit opus dierum illorum: *& hæreditas eorum* &c. id eſt, acceptio mercedis ab eo in æternum erit. Sic Raſi. Ego ſic explico, *Nouit* &c. id eſt, Curam gerit dierum illorum, (*Cognoſcere* enim pro curam gerere ſumitur in ſacris litteris) eos fortunando, & prolongando. Non ita Deus dies impiorum curat: nam impij ſæpe immatura morte rapiuntur: quo ſenſu dicitur Prou. 10. 27. *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur*. Eccleſ. 7. 18. *Ne impiè agas multùm, & noli eſſe ſtultus: ne moriaris in tempore non tuo*. Heb. *vt quid morieris in non tempore tuo?* *Et hæreditas* &c. id eſt, poſt mortem hæreditates & bona illorum ad poſteros per multa ſecula tranſmittentur. Senſus eſſe poteſt, illorum bona atque hæreditates diu ipſis manebunt: diu acceptis à parentibus hæreditatibus fruentur. Sed acciperem hoc potiùs cum Raſi, Kimhi & multis aliis, de hæreditate futuri ſeculi, quaſi diceret, poſtquam multos dies in hoc ſeculo vixerint, æternam hæreditatem adibunt in altero ſeculo. *In æternum* ſeu *in ſeculum*.

19 *Non confundentur*, ſeu, *pudeſient*, hoc eſt, Non fruſtrabuntur ſpe, quam in Deo repoſuerint: quo ſenſu ſæpe vſurpatur verbum *pudeſieri* in Pſalmis. *In tempore malo*, peſtis ſcilicet, aut belli. Lucem adferet huic verſui locus iſte Iob 5. verſ. 19. & ſeq. *In ſex* (numerus certus pro incerto, hoc eſt, in multis) *tribulationibus liberabit te*, Deus ſcilicet, *) & in ſeptima non tanget te malum. In fame redimet te de morte, & in bello, de manu gladij. A flagello linguæ abſconderis, & non timebis calamitatem*, (heb. *à vaſtitate,) quum venerit. Vaſtitatem & famem ridebis, & beſtias terræ non formidabis. Sed cum lapidibus agri pactum tuum, & beſtiæ agri pacificæ erunt ibi*. Hæc & ſimilia ſemper intelligantur cum exceptione caſtigationis & crucis.

20 *Quia peccatores peribunt*, &c. Ratio eſt ex Kimhi præcedentis verſus. Idcirco iuſti *non confundentur* &c. *Quia peccatores peribunt* &c. videlicet in die malo & famis. Alij vertunt, *Quum peccatores peribunt* &c. illi ſcilicet non confundentur. Alij vertunt, *Sed peccatores* &c. Parum ad ſententiam refert quoquo modo vertas, & ſemper ſumma eōdem redit. Hic verſus nimirum antitheſin continet præcedentis verſus, (ſunt enim in hoc pſalmo perpetuæ ferè antitheſes) quâ vult ſignificare Dauid quemadmodum boni malis in hac vita permixti ſunt, ſic iis cū malis famem cæteráſque res aduerſas eſſe communes; neque enim aliter fieri poſſe: verùm hoc bonos inter & malos intereſſe, quòd illi, Deo ferente opem, ex aduerſis & periculis ſalui ſoleant emergere, hi autem, Deo deſerente, minimè. *Et inimici Domini ſicut pretioſum agnorum* &c. id eſt, ſicut adeps agnorum igni altaris abſumitur, atque in fumum euaneſcit, ſic Dei hoſtes penitus conſumentur. Sic Kimhi & multi ex Rabbinis. Potes cum Hebræo un aliis *pretioſum agnorum* interpretari pretioſos & pinguiores agnos, quales tantùm mactationi & ſacrificiis deſtinabantur. Sic Chald. qui habet, *ſicut gloria veruecum, qui ab initio ſaginantur, & tandem mactantur*. Ita Sanctes Pagninus, qui vertit *pretioſi agni*. Alij ex Hebræis exponunt *pretioſum pratorum*, (vox enim hebraica כָּרִים *carim*, *agnos*, & *prata* poteſt ſignificare) hoc eſt, herba.

Digitized by Google

Verùm *pretioſum agnorum* melius quadrat ad id, quod ſequitur, *in fumum deficient*. Præterea ſimilitudo agnorum pinguium ad præſens negotium valde eſt accommodata. Vt enim pinguiores agni duntaxat mactabantur, non macilenti, nec morbidi, ſic peccatores opibus ac voluptatibus bene ſaginati miſerè pereunt. Sciant ergo impij homines quò lautiùs à Deo tractantur, eò maturiùs infortunio mulctandos, ac malè perituros. Iuſti econtrà diſcant ex D. Greg. in lib. Moralium, *à delectationis tranſitoriæ iucunditate reſtringi ſe, quia & vitulus ad laboris vſum victurus ſub iugum retinetur, mactandus autem in liberis paſtibus saginatur.* *In fumum deficient.* Alij vertunt *quemadmodum fumus* &c. legunt enim כ pro ב: ac ſic legerunt Græc. Lat. D. Hier. Pagn. Beza, & alij. Chald. interpretatus eſt *in fumo Gehennæ deficient* ſeu *abſumentur.* Potes propter accentum athnach, qui eſt cum voce hebraica ſignificante *agnos*, vel *prata*, hunc verſum ſic diſtinguere, *Quia peccatores peribunt, & inimici Domini (erunt) ſicut pretioſum agnorum* vel *pratorum: deficient, in fumum deficient.* Sic diſtinxerunt D. Hieron. & Pagninus. Porrò Græca & Vulgata verſio huius verſus omnino differũt ab Hebręo, vt hodie eſt: habẽt enim, *inimici Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati:* &c. Quæ ſententia tamen clara eſt, & illuſtris admodum, poteſtque effici fortaſſe ex hebræis vocibus, accipiendo, quod Grammatica patitur, כִּיקַר *cikar*, pro gerundio Kal, quod ſignificabit *cùm pretioſi fuerint*, quod Græcus & Lat. expoſuerunt, *mox vt honorificati fuerint*, & legendo כְּרוּם *cerum*, id eſt, *cùm exaltati fuerint*, pro כָּרִים *carim*, ו pro iod, quẽadmodum dubio procul legerunt Græc. & Latinus. D. Hieron. vertit, *& inimici Domini gloriantes vt monocerotes: conſumentur, ſicut fumus conſumentur.* Legit enim כְּרֵים *cerem*, id eſt, *ſicut monoceros*: & כִּיקַר *cikar*, accepit in gerundio.

21 *Mutuatur peccator*, &c. Senſus, Improbi ac ſcelerati, quod mutuò acceperunt, ſæpe non exoluunt, Deo ipſos, ipſorumque fortunam euertente; quò ſpectat poſterius membrum ſequentis verſus: at pij & iuſti, Deo benedicente ac fauente eorum laboribus, (quò pertinet prius membrum ſequentis verſus) non modò reddunt quod mutuò acceperunt, ſed etiam gratis ac liberaliter egenis de ſuo, etſi tenui, largiuntur, altiſſima paupertate eorum abundante in diuitias ſimplicitatis & benignitatis eorum, id quod D. Paulus de Macedonibus teſtatur, 2. Corinth. 8. qui cùm eſſent tenuiſſimis opibus, tamen ex benefica, candi-

A da ac liberali voluntate, quam *ſimplicitatem* ibi appellat Apoſtolus, copioſè largiebantur, &, vt ait idem Apoſtolus, *ſecundùm virtutem, & ſupra virtutem voluntarij fuerunt.*

22 *Quia benedicti eius* &c. Ratio eſt præcedentis verſus, cui conſonat illud Pro. 3. 33. *Maledictio Domini* (in Vulg. *Egeſtas à Domino*) *in domo impij: habitaculo autem iuſtorum benedicit:* necnon illud Prou. 10. 22. *Benedictio Domini diuites facit.* Dicit, inquit Kimhi, *hereditabunt*, vt ſignificet illo-

B rum fœlicitatem fore firmam ac diuturnam, ſicuti eſſe ſolet hæreditas à patre filio relicta. *Et maledicti eius excidentur* è terrâ, hoc eſt, bonis omnibus euertentur, ſimúlque cum poſteris funditus tollẽtur, nullum vt illorum reliquum ſit veſtigium. Verbo enim *excidendi* notare videtur hîc omnimodam euerſionem, tam bonorum propter præcedentem verſiculum, quàm vitæ & corporum. Imò Kimhi explicat *excidentur* è mundo hoc, & mundo venturo, à Domino. In Vulgatâ eſt *benedicentes ei, ma-*

C *ledicentes ei*, pro, *benedicti eius, maledicti eius*, ex aliis punctis. Symmachus iiſdem vocalibus legit, quibus hodie Hebræi: vertit enim paſſiuè, οἱ εὐλογημένοι ὑπ' αὐτοῦ, καταρώμενοι ὑπ' αὐτοῦ. Iiſdem D. Hieron. qui etiam vertit paſſiuè.

23 *A Domino.* Græco Παρὰ κυρίου. Lat. qui vertit *apud Dominum*, videtur legiſſe Παρὰ κυρίῳ, non ſatis aptè, vt videtur, loco. Quocirca Ianſenius, Epiſcopus Gandauẽſis, rectiùs verſurum fuiſſe *A Domino* putat, quomodo legit D. Auguſt. *Greſſus viri*, iuſti ſcilicet: vox enim hebr. גֶּבֶר *geuer*, non quemuis hominem, ſed *virum fortem* propriè ſignificat. Raſi eum hoc loco

D interpretatur qui fortis eſt in timore Domini, vernaculè, *les pas du fort.* Ezra ſic habet hoc loco, גֶּבֶר *geuer*, in lingua noſtra ſonat plenum iudicij ſeu cognitionis, ex. gr. Exo. 10. 11. *ite nunc* הַגְּבָרִים *haggeuarim*, id eſt, *viri* (qui valetis iudicio:) qui autem plenus eſt cognitione, iuſtus erit. *Diriguntur* ne vacillet aut cadat. Senſus eſt, Deum proſperare quicquid agit vir iuſtus: quò pertinet & ſequens membrum, *& viam eius*

E *vult*; quibus verbis ſignificatur, Deum fauere iuſto in omnibus quæ agit. Inſtituere quidem aliquid vir iuſtus poteſt, ac proponere agendum, ſed nihil abſque Deo poteſt exequi ac perficere, iuxta illud Prou. 16. 9. *Cor hominis diſponit (excogitat) viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius.* Optimè igitur in hoc verſu dicit Dauid greſſus viri iuſti à Deo dirigi, hoc eſt, ad fœlicem exitum à Deo perduci eius conſilia.

Digitized by Google

24 *Cùm ceciderit*, &c. Senſus eſt, Si quid iuſto aduerſi & infortunij euenerit, non propterea prorſus euertitur: *quia Dominus* &c. quódque aduerſi illi immittit, eſt per modum caſtigationis, & amoris, iuxta illud Prou. 3. 12. *Quem diligit Dominus, corripit, & quaſi pater filium, (quem) amat:* hócque intereſt inter iuſtum & impium, quòd impius, vbi ſemel ceciderit, prorſus euertatur, nec vnquam poſſit reſurgere, iuxta illud Prou. 24. 16. *ſepties cadet iuſtus, & reſurget: impij autem corruent in malum.* Sententiæ porrò, quam in hoc verſu exprimit Dauid, elegans eſt imago apud D. Matth. cap. 14. quum Petro periclitanti in mari, iámque ſubmergendo Chriſtus manum porrexit. Hoc igitur certò pij teneant ſe nunquam à Deo in periculis deſerendos, modò eius opem implorent Petri exemplo, qui tum ad Chriſtum conuerſus dixit, *Domine, ſaluum me fac*, vbi ſuprà.

25 *Non vidi iuſtum derelictum* omnino à Deo, ſic vt ijs quæ ad victum ac veſtitum eſſent neceſſaria, careret: ita enim *derelictum* interpretor poſt Ezram & Kimhi, qui ad probationem adferunt illud Dei ad Iacob, Gen. 28. 15. *non deſeram (derelinquam) te*, cùm mox verſ. 20. ſic dicat Iacob, *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via iſta per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum.* Ex quibus apparet, inquit Kimhi, *derelictum* vocari eum, qui pane & veſtimentis deſtituitur. *Nec ſemen eius quærens panem*, hoc eſt, nec vidi ex quo natus ſum hominis iuſti liberos mendicantes. Secus impio & eius liberis accidit. Nam *attenuabitur fame robur eius*, vel iuxta alios *ſemen eius*. Iob 18. 12. Cæterùm ne quis miretur quod ait Dauid in hoc verſu, nondum vidiſſe ſe, alioquin ætate prouectum, iuſtum hominem à Deo derelictum, eiúſque liberos ad mendicitatem redactos, quod tamen interdum viſum eſt accidere, illud tenendum de eo loqui Dauidem in hoc verſu, quod plerumque accidit, non rarò, prout interdum Deo viſum eſt expedire: neque negare ſimpliciter Dauidem carere interdum rebus ad vitam neceſſariis iuſtum hominem, aut liberos eius ad mendicitatem redigi: ſed tantùm negare ſe, licet ætate prouectum, id vidiſſe, quippe rarum & inſolens. Poſſet aliquis exiſtimare ad poſterius membrũ, *nec ſemen eius quærens panem*, repetendum eſſe ex priore membro *derelictum*, quaſi ſenſus eſſet, nec ſemen eius, etiam quærens panem & ad mendicitatem redactum, vidi vnquã à Deo derelictum. Ita plana eſſet ſententia,

A quæ alioquin non parum videtur obſcura, & difficilis ad intelligendum, quia aduerſùs experientiam pugnat. Verùm à ſcopo Dauidis alienum eſt, vt concedat ad mendicitatem redigi iuſtum hominem aut illius liberos. Tantùm enim abeſt vt hoc admittat, vt in mox ſequente verſu affirmet iuſtum hominem habere potiùs vnde aliorum inopiam ſubleuet. Certè in toto pſalmo homini iuſto bona temporalia pollicetur Dauid. Ac profectò verum eſt, teſte Apoſtolo 1. ad Timoth. 4. pietatem ad omnia B eſſe vtilem, ac promiſſionem habere vitæ quæ nunc eſt, & futuræ, niſi fortaſſe interdum publica aut priuata cauſa aliter poſtulet. Accedit, quòd mendicitas inter diras recenſetur, quæ impios diuinorum mandatorum deſertores maneant, Deut. 28. Vnde iure merito Dauid eam hoc loco à viro pio amouet.

26 *Omni die miſeretur*, &c. Senſus huius verſus eſt, Tantum abeſt, vt iuſtus, eiúſque filij ad mendicitatem redigantur, vt ipſi etiam habeant, quod egentibus liberaliter & gratis largiantur, aut ſaltem mutuò dent, C quibus non eſt neceſſe largiri. Porrò hæc & ſimilia intelligantur, quatenus Deus expedire nouerit, & cum exceptione caſtigationis, qua ſuos ille interdum exercet, & virtutum non lenis exactor, tanquam ſeuerus pater, duriùs excipit. *In benedictione*, ad verb. *ad benedictionem* (ſup. *erit*) apud Deũ ob patris merita. Intellige benedictionem ſpiritualem, & temporalem. Vel *in benedictione (erit)* apud homines, qui dicent, Hi ſunt poſteri iuſti: Deus illis benedicat pro- D pter patrem. Refer huc illam Hebræorum ſententiam, *Qui ſeminat eleemoſynam, metet benedictionem*, ad verb. *finis eius ad benedictionem.*

27 *Declina* ſeu *Recede à malo.* Repetit adhortationem ad ſtudiũ pietatis, & innocentiæ. His verbis, *declina à malo* præcepta negatiua intelligit, illis verò, *fac bonum*, præcepta affirmatiua, vt iam obſeruatum eſt ad verſ. 15. Pſal. 34. *Et inhabita*, pro, inhabitabis, imperat. pro futuro, quemadmodum Deuter. 32. 50. *Et morere*, pro, & E morieris, vt notant ad iſtum locum Ezra & Kimhi. Senſus ergo huius membri eſt, tunc ſecurus & tranquillus viues in his terris multos dies. Vide ad verſ. 3. Chald. habet, *& inhabita* (pro *& inhabitabis*) *vitam æternam.*

28 *Iudicium*, hoc eſt, rectum & iuſtum. Obſerua apud Græc. & Lat. Interpretem verſum eſſe eiuſmodi, *Iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit:* cuius quidem poſterior pars in Hebræo reperitur, prior verò non: vnde ſuſpicantur quidam, nec abs

Digitized by Google

re, ab Hebræis detracta eſſe vocabula, quæ ſignificarent *Iniuſti punientur*: vel potiùs caſu aliquo excidiſſe. Dico non abs re id ſuſpicari quoſdam, quòd ordo verſuum, qui alphebetico ordine in hoc pſalmo à litteris incipiunt, videatur poſtulare, vt ſit verſus, qui incipiat à littera ע, quod fiet, ſi legas עֲוִלִים יִשָּׁמְדוּ *auilim ieaneſchu*, id eſt, *Iniuſti punientur*, & cum ſequentibus verbis ſic coniungas, vt vnum verſum abſoluant, qui eſſet 29.us quod ſi facies, verſus 28. deſinet in vocem *conſeruabuntur*. Sanè probabile mihi fit ita eſſe, vt dico. Nam vnde, quæſo, in Græcam & Latinam verſionem influxiſſent verba illa quæ diximus? Scio tamen in Syriaca verſione deſiderari. Non diſplicet profectò Agellii, Epiſcopi Acernenſis, coniectura, qui putat verba illa לְעוֹלָם נִשְׁמָרוּ *leolam niſchmaru*, id eſt, *in æternum conſeruabuntur*, Septuaginta aut alios aliquos interpretes legiſſe in aliquibus libris paulò aliter, עַוָּלִים נִשְׁמְדוּ *aualim niſchmadu*, (hîc ד pro ר,) ideóque vertiſſe *Iniuſti punientur*: atque ex his duabus interpretationibus iunctis factum eſſe, vt eadem Hebraica verba paulò aliter lecta, bis in Græco & Latino ponerentur, *in æternum conſeruabuntur*, &, *Iniuſti punientur.*

29 *Hæreditabunt terram.* Vide ad verſ. 9. *Inhabitabunt* &c. Vide ad verſ. 3. & 27.

30 *Os iuſti proferet* (pro *profert*) &c. Præterquã quòd vir iuſtus de ſuo aliis donat, aliis mutuò dat, eſt enim ad beneficentiam propenſus, ipſe quoque ſuam ſapientiam alios docet, nec quemquam celat eorum quæ ſcit, præſertim ſi res ſit, quam aliorum ſcire interſit. *Et lingua eius loquetur iudicium*, hoc eſt, docet ille iuſtum ac rectum, quo modo nimirum quiſque ſe erga alium gerere debeat. Sic ferè ex Kimhi.

31 *Lex Dei eius in corde ipſius.* Senſus, Quemadmodum ipſe docet, ſic & ſentit, ac Dei legem non in ore tantùm, ſed & in corde habet inſculptã. Non aliud illi eſt in fronte, aliud in pectore. *Non nutabunt greſſus eius*, hoc eſt, nunquam vel tantillum à recta via aberrat, quippe qui ex Legis diuinæ præſcripto vitam inſtituit. *Non nutabunt greſſus eius.* In Fõte *non nutabit greſſus eius* in num. plur. hoc eſt ex Kimhi, vel vnus greſſuum eius, diſtributiuè, quod fit quoties nomini plurali adiunctum eſt verbum ſingulare, aut contrà.

32 *Speculatur* &c. Nunc attingit quid extrinſecus homini iuſto ab impiis contingat, quemadmodum verſu 12. & ſequentibus aliquot fecit, & quomodò Deus eum perpetuò ſaluum præſtet.

33 *Nec damnari ſinet*, &c. niſi Dei gloria, eius, & Eccleſiæ vtilitas aliter poſtulauerit.

A *Quum iudicabitur ipſe*, hoc eſt, ſi quando in iudicium vocetur.

34 *Expecta Dominum*, &c. Iterum redit ad exhortationem, quam initio pſalmi inſtituit. Si, inquit, malè fortunatus es, & aduerſis afficeris, ſpem habe in Deo, neque hoc ſolùm, ſed etiam mandata eius obſerua: quæ duo ſi feceris, noli dubitare, quin Deus tandem, qui de ſtercore erigit pauperem, erigat te ad poſſidendam & obtinendam terram, hoc eſt, faciat vt fruaris diu terræ bonis: certò etiam tene oculis tuis viſurum te denique ſceleratorum exi- *Pſ. 113. 7.*
B tium, ſi paululum ſuſtinueris. Qui rebus aduerſis premitur, patientiam patriarchæ Iob imitetur, ſi eundem ſuorum malorum exitum cupit videre; & inſtar agricolæ mercedem laborum expectet, ſemper cogitans humiliari oportere ſub potenti manu Dei, vt nos exaltet in die viſitationis: omnem ſollicitudinem noſtram proiicietes in eum, quoniam ipſi cura eſt de nobis: ſi aliquem vrget hoſtis, cogitet iudicem ante fores adſtare. *Iac. 5.* *1. Pet. 5.*

35 *Vidi* &c. Sua experientia confirmat
C vltimum membrum ſuperioris verſus. Quum autem hæc diceret, habebat, credo, ſub oculis exemplum Saulis, à cuius tamen nomine, vt aliàs ſolet, piè abſtinet. *Inſtar lauri viridis.* In Vulgata ta *ſicut cedros Libani.* Non dubium eſt quin aliter legerit Latinus, aut Græcus quem ſequitur, quàm hodie legant Iudæi, nimirum אַרְזֵי *arze*, id eſt, *cedri*, (vel potiùs אַרְזָה *arza*, quod reperitur Soph. 2. 14.) vbi hodie אֶזְרָח *ezrach*, id eſt, *laurus*, vel etiam iuxta alios *cedrus*, vel quæuis arbor indigena, & eo
D in loco orta, vbi creſcit: nec non לְבָנוֹן *leuanon*, id eſt, *Libanus*, vbi רַעֲנָן *raanan*; fieri enim facilè potuit, vt ſuperiore parte litteræ ל aliquo caſu corrupta, ל pro ר acciperetur. Quomodò pro ב legerit ע neſcio. Hoc ſcio certè, ſenſum, quoquo modo legas, eſſe perſpicuum. Et fortaſſe meliùs dices Græcum & Latinum duntaxat ſenſum ſequutos Chald. hunc verſum interpretatur, *Vidi impium fortem, & robuſtum, quaſi arborem indigenam, & viri-*
E *dem.*

36 *Et tranſiuit*, (addit Chald. *de mundo*) *& ecce non erat*: &c. Significat in hoc verſu, etſi interdum, & quidem ad aliquod tempus, floreant ſcelerati, momento tamen euaneſcere totam illorum magnitudinem, non ſecus atque proceræ arbores diu creſcunt, vna hora extirpantur.

37 *Obſerua innocentem* ſeu *perfectum* &c. Sic connecte cum præcedente verſu: Non ita eſt de viro perfecto & iuſto: nam ſi bene obſerues ac conſideres eiuſmodi hominem,

Digitized by Google

nem, experieris *quòd (eſt) nouiſſimum homini (tali) pax*. Ac ſic ferè Ezra, & Kimhi. Raſi autem ſic: Conſiderate vias eorum, qui integrè viuunt, vt diſcatis ex eorum operibus, *quia finis viro (tali) pax*. Si illi non eſt principium, eſt illi finis: *Præuaricantes autem diſperduntur ſimul*: &c. In Græco & Lat. *Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem*: quaſi ſit iterum exhortatio ad innocentiam. Certè voces hebrææ facilè ferre poſſunt hanc interpretationem: ſæpe enim concreta pro abſtractis vſurpantur, & יָשָׁר *iaſchar*, in ſacris litteris *rectus*, ſiue *æquus*, necnon *rectum*, ſiue *æquum* ſignificat. Fauet Græcæ & Lat. verſioni Chaldæus, qui habet, *Cuſtodi integritatem, & vide æquitatem*: ſiue is concreta pro abſtractis acceperit, ſiue aliis punctis legerit; quēadmodum Græcus & Latinus: nimirum תֹּם *tom*, pro תָּם *tam*, & יֹשֶׁר *ioſcher*, pro יָשָׁר *iaſchar*. Fauet quoque B. Hieron. qui vertit, *Cuſtodi ſimplicitatem & vide rectum*. Accedit Symm. qui habet, φύλασσε ἁπλότητα ϗ ὅρα εὐθύ. Quod attinet ad poſterius membrum, Græca & Lat. verſio habent, *quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico*: & hoc ſenſu vertit Felix Pratenſis, *quoniam nouiſſimū viro pacis*: *nouiſſimum* enim mercedē ſonat, quod Græc. & Lat. expreſſerūt *reliquiæ*, quaſi diceretur, aliquid eſt reliqui viro pacem colenti, qualis eſt is, qui innocentiæ, & æquitati ſtudet, nihil autem impio, vt dicitur verſu ſequente. Vertendum eſſe *viro pacis*, vel quod idem eſt, *homini pacifico*, potiùs quàm *viro (tali) pax*, argumento eſſe poteſt littera ל, quæ in לְאִישׁ *leiſch*, habet ſcheua, non ָ, quod poſtularet, nimirum punctum ה emphatici, ſi לְאִישׁ *leiſch*, *viro (tali)* ſignificaret. Verùm ſenſus Hebræorum optimè quadrat, eſtque etiam D. Hieron. qui vertit, *quia erit ad extremum viro pax*.

38 *Simul*, hoc eſt, omnes ſine exceptione. Vide ad verſ. 15. pſ. 33. *Nouiſſimum impiorum* &c. Senſus eſt, nulla eſt merces, aut præmium impiorum, ſed perit omnis illorum ſpes, *& tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & quaſi memoria hoſpitis vnius diei præterit*: vt eſt Sap. 5.

39 *Salus autem* &c. ideóque nunquam corruent.

40 *Et adiuuit* &c. Senſus eſt, Experti ſumus multoties Deum iuſtis opem tuliſſe: ſic & deinceps ſemper faciet. Sic ferè Ezra.

Digitized by Google

PRÆCEDENTIS PSALMI
BREVIOR PARAPHRASIS.

O QVISQVIS lætis ſceleratorum hominum rebus grauiùs afficeris, hortor atque admoneo, des operam, vt ne propterea illorum exemplo viuas, aut illis inuideas. Ipſi enim fœno & quauis herbula citiùs marceſcent. Quin tu in vno Deo ſpem habe, virtutem cole, dúmque es in his terris, ſecurus in Domino quieſce. Nihil te cæteræ res omnes moueant: Dominus ſit vna tua voluptas, qui nunquam tua fruſtrabitur vota. Committe ei te ac tua omnia, nec dubita, quin quod factò opus ſit, facturus ſit. Vt fortè aliquantulum temporis interdum premaris rebus aduerſis, certò tene, futurum vt Deus tandem ſuccurrat, nec patiatur latere perpetuò tuam probitatem ope deſtitutam. Fer itaque patienter Dei cauſsâ quicquid aduerſi tibi acciderit: neque impiorum proſperitate commotus eorum facta æmulator. Caue iraſcaris in Deum, ſi tibi minùs res ex animi ſententiâ ſuccedant: caue improborum ſcelera imiteris, quòd illos beatos videas. Iſtos ſiquidem tandem excindi penitus, nullis relictis poſteris, neceſſe eſt; quotquot in Deo ſpem collocarint, alijs poſt alios terram hanc, quaſi hæreditario iure, obtinentibus. Vt nunc fortaſſe floreat impius aliquis, tamen, ſi modò paululum expectes, euaneſcet ex oculis: ac fruſtra requires eum, vbi mox erat. Interim verò iuſti in ſumma pace agitabunt præſentis vitæ bonis placidè fruentes. Verum quidem eſt nunquam deeſſe qui illorum vitæ inſidientur. At Deus ex alto ſceleratorum iſtorum conatus irridet, ſciens irritos futuros, ipſíſque mox allaturos exitium. Quàm ſæpe vidimus, ac videmus quotidie, qui diſtrictos gladios in piorum iugula iamiam crudeliter intentarent, tenſóſque arcus iamiam contorquerent, retortis ſubitò gladijs, per media viſcera fuiſſe transfoſſos, & arcus ipſos, fruſtrato ictu, in dirigentium ora repentè diſſilijſſe? Neque verò ex eo quòd plerumque haud magna in re ſunt qui probitati ſtudent, minùs propterea beati cenſendi ſunt: ijs enim ſorte ſua contentis parum abundè ſatis eſt; cùm econtrà impijs atque auaris nihil vnquam ſufficiat. Atque vt hi opibus ſuperiores illis ſint, non tamen viribus: quandoquidem Deus ſceleratorum potentiam ſoleat infringere; piorum robur econtrà mirum in modum adaugere atque amplificare. Namque ei curæ ſunt omnes iuſtorum dies: diu iuſti acceptis hæreditatibus perfruuntur, ac tandem corporis ergaſtulis ſoluti æternam hæreditatem adeunt. Quæcunque ingruat vis calamitatis, pij homines ſpe, quam in Deo repoſuerint, excidunt nunquam, & vel vrgente fame ſemper habent quod eis abundè ſufficiat. Contrà impij ac Dei hoſtes miſerè pereunt, totíque inſtar adipis hoſtiarum aut agni holocauſti tandem in leuem fumum abeunt. Quàm diſpar, eheu, vtrorumque conditio! Hi, quantumuis multis opibus abundent, ſæpe tamen ob luxum & intemperantiam coguntur ſumere mutuum, quod poſtea exoluere non poſſunt: illis è tenui ſorte ſuperat, quod egenis benignè & liberaliter largiantur. Nempe quos Deus diligit, ij terræ bonis, tanquam hæreditate, ſecuri ac fœlices potiuntur: quos verò odit, ij bonis omnibus euertantur, vnáque cum poſteris funditus deleantur neceſſe eſt. Deus Opt. Max. piorum hominum regit greſſus, itérque & incæpta omnia ſecundat. Si vacillant illi

Digitized by Google

interdum, nunquam tamen cadunt, Deo ſupponente manum. Equidem ex quo natus ſum, nec puer, nec ſenex memini me videre iuſtum hominem derelictum, neque eius ſobolem oſtiatim ſtipem quæritantem. Quin perpetuò ſum expertus homini pietatem colenti non defuiſſe vnquam, vnde alijs donaret, alijs mutuò daret: quin & illius liberos ſemper vidi Numinis benignitate eſſe vſos. Quæ cùm ita ſint, ô mortalis, vitium fuge, virtutem amplectere, nec dubita quin ſecurus huius vitæ curſum conficias. Deus enim æquitate delectatur; nec ſuos vnquam pios cultores deſertos eſſe patitur, quin perpetuò pro illorum ſalute excubat: in ſceleratos contrà ſeuerius animaduertit, ac ipſos, ipſorúmque progeniem prorſus exterminat: pijs interim, eorúmque poſteris terram hanc quaſi hæreditariâ ſucceſſione obtinentibus. Sed vt pleniùs intelligas quæ ſit viri iuſti conditio, ſic habeto, illum alios res omnes ſcitu dignas, iúſque atque æquum docere: illum Dei legem cordi inſculptam gerere, ex cuius præſcripto ita viuat, vt ne vel tantillum vnquam à recta via aberret: illius vitæ quidem nefarios quoſque omnibus modis inſidiari, ſed fruſtra, ſiquidem ſuos Deus nullo tempore deſerit, nec ſinit iniquis iudicijs damnatos opprimi. Igitur cùm ita res habeat, tuum eſt in aduerſis & calamitatibus ſpem habere in Deo, eiúſque mandata obſeruare: quod ſi facies, ille procul dubio te ad terræ honores atque opes euehet: túque tuis oculis ſceleratorum excidium cernes. Vidi ego, & hoc verè teſtari poſſum, impium hominem nimia potentia ferocientem, quique ſuarum virium ramos inſtar vireſcentis & patulæ arboris longè diffunderet. Verùm ecce ſubitò euanuit, nec, ſollicitè licet eius veſtigia quærerem, ampliùs comparuit. Contemplare mihi, quæſo, integrum atque innocentem virum: certè fælicem illius exitum comperies. Contrà facinoroſos homines, quotquot ſunt, ſuis ſceleribus dignum finem ſortiri, ſuáque omni ſpe tandem deturbari experieris. Salus quippe iuſtorum à Deo pendet, qui eos ſemper in periculis tuetur, ac fortiter defendit: qui laborantibus ijs ſemper adfuit, & ſceleratorum manibus ereptos ſeruauit, ac deinceps ſeruaturus eſt, quoniam in ipſo ſpem collocant.

Digitized by Google

PSALMVS

XXXVIII. | XXXVII.

VERSIO

NOVA.

PSalmus Dauid ad commemorandũ.

2 Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

3 Quoniam ſagittæ tuæ demiſſæ ſunt in me, & deſcendit ſuper me manus tua.

4 Non (eſt) integritas in carne mea à facie iræ tuæ: non (eſt) pax oſſibus meis à facie peccati mei.

5 Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

6 Putruerunt, [a] corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.

[a] ad verb. contabuerunt

7 Diſtortus factus ſum, curuatus ſum vehementiſſimè: omni die contriſtatus ambulo.

8 Quoniam ilia mea impleta ſunt ardore, & non (eſt) integritas in carne mea.

9 Debilitatus ſum, & attritus ſum vehementiſſimè: rugij præ [b] fremitu cordis mei.

[b] ad verb. rugitu

10 Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te nõ eſt abſconditus.

11 Cor meum circumit, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, etiam ipſi, non (ſunt) mecum.

12 Amici mei, & proximi mei ex aduerſo plagæ meæ ſtant, & propinqui mei de longè ſtant.

VETVS.

PSalmus Dauid, in rememorationem de ſabbato.

2 *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

3 *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.*

4 *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.*

5 *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.*

6 *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.*

7 *Miſer factus ſum & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.*

8 *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.*

9 *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.*

10 *Domine, ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.*

11 *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.*

12 *Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt.*

Digitized by Google

13 *Et qui iuxta me erant, delongè ſteterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.*

14 *Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.*

15 *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.*

16 *Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.*

17 *Quoniam in te Domine ſperaui: tu exaudies me Domine Deus meus.*

18 *Quia dixi: Nequando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.*

19 *Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.*

20 *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.*

21 *Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè.*

22 *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.*

23 *Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.*

24 *Intende in adiutorium meum, Domine Deus ſalutis meæ.*

13 Et laqueos tendunt, qui quærunt animam meam, & qui quærunt malum meum, loquuntur [b] prauitates: & dolos [c] tota die meditantur.

14 Ego autem tanquam ſurdus non audio, & (ſum) ſicut mutus non aperiens os ſuum.

15 Et [d] factus ſum ſicut [e] homo nō audiens, & [f] non habens in ore ſuo redargutiones.

16 Quoniam [g] in te Domine ſperaui: tu exaudies, Domine Deus meus.

17 Quia dixi, [h] Nequando lætentur de me, (qui) dum [i] commouentur pedes mei, aduerſùm me magna locuti ſunt.

18 Quoniam ego ad claudicationem paratus (ſum,) & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

19 Quoniam iniquitatem meam annuntio: ſollicitus ſum [i] pro peccato meo.

20 Inimici autem mei viuentes roborantur: & multiplicantur qui oderunt me [l] iniquè.

21 Et qui retribuunt [m] mala pro bonis, aduerſantur mihi, quoniam ſequor bonum.

22 Ne derelinquas me Domine: Deus meus, ne [n] diſceſſeris à me.

23 Feſtina in adiutorium meum, [o] Domine ſalutis meæ.

b vel *ærumnas:* c *omne*

d heb. *fui* e heb. *vir* f ad verb. *non in ore eius*

g vel *te Domine expectaui,*

h *Ne fortè*

i heb. *commouetur, vel commotus eſt,* aut *vacillauit pes meus.*

i *de*

l ad verb. *falſo.*

m heb. *malum pro bono,* n *procul abſis* o ad verb. *Domine, ſalus mea.* Potes vertere, *Domine, (in) ſalutem meam.*

COMMENTARIVS.

Argumētum. *DAuid in hoc pſalmo morbo vehementi correptus Dei iram deprecatur, accuſans ac deplorans peccata, propter quæ in tam grauem morbum inciderit. Exinde morbi intolerabilem vim, amicorum defectionem, inimicorum crudelitatem miro artificio depingit, & Deo exponit, ac demum eius opem implorat. Sciebat quippe Dauid nulla re magis Deum ad opem ferendam impelli, quàm ſi mala noſtra ipſi patefaciamus, atque in eius quaſi ſinum exoneremus. Putat Ioſeph Iechaias Dauidem in graui morbo, qui illi ob peccatum cum Beth-ſabee commiſſum immiſſus eſſet, hoc carmen edidiſſe.*

Digitized by Google

1 *Ad commemorandum*, & docendum, quo modo orare debeat quicumque ægrotat, aut in graui aliqua calamitate verſatur. Exiſtimant enim Kimhi, & alij pſalmum hunc idcirco à Dauide compoſitum, vt morbo, aut aliquo alio malo laborantibus eſſet in promptu. Cenſerem ego cum Ezra לְהַזְכִּיר *lehazcir*, quod illi interpretantur *ad commemorandum*, initium potius fuiſſe triti cuiuſdam carminis.

2 *Domine*, &c. Vide ad verſ. 2. Pſal. 6.

3 *Sagittæ tuæ*, hoc eſt, morbi, qui inſtar ſagittarum hominem citò, ac nihil cogitantem lædunt. *Manus tua*, hoc eſt, plaga à te inflicta: nam quia plaga manu fit, manus appellatur, vt iam obſeruatum eſt. Accipe, ſi vis, vt ſonat, ἀνθρωποπαθῶς.

4 *Integritas*, hoc eſt, iuxta Chald. Ezrã, & Kimhi ſanitas. Bene ergo in Græco & Lat. *ſanitas*. Non diſplicet tamen Ioſeph Kimhi, qui מְתֹם *methom*, ex מְתִים *methim*, id eſt, *homines*, deriuat, & vult ſignificare *humanitatẽ*: perinde ac ſi diceret, ita ſe omni ex parte plagis affectũ, nulla vt in ſe hominis reſtet figura. *A facie iræ tuæ*, hoc eſt, propter meum peccatum: tu enim mihi non fruſtra, ſed propter peccatum iraſceris. Sic ad hoc Kimhi, qui obiter monet debere nos ſemper agnoſcere iuſtum eſſe Dei iudiciũ, ſiue peccata ipſi cognoſcamus, ſiue non. *A facie*, id eſt, propter, phraſi Scripturæ familiari.

5 *Quoniam iniquitates meæ* &c. Sua peccata aquis multis comparat, quæ ſupra capitis verticem ſeſe attollant, ita vt totus illis obruatur. Præterea graui oneri confert, quòd illas ferre haud poſſit. *Grauatæ ſunt ſuper me*, vel, *præ me*, quaſi dicat, grauiores ſunt multò quàm vt illas queam ferre. Hæc porrò ſimilitudo hoc ſignificat, nõ tot ſunt in me bona opera, vt peccatis præponderent. Sic ferè Kimhi.

6 *Corruptæ ſunt*. Ad verb. *Contabuerunt*: vnde poſtea per Metalepſin, vt obſeruat Mercerus in Theſ. Pagnin. rad. מקק, *fætuerunt*: necnon *corruptæ ſunt*, quemadmodum hoc loco vertit Latinus, poſt Græcum, qui ἐσάπησαν. *Cicatrices meæ*. Ad verb. *tumores mei*, per quos intelligit abſceſſus; tumores videlicet corporis contra naturam, cùm pus ex phlegmone reſolutũ in quendam quaſi ſinum colligitur: aut etiam ſine phlegmone, cùm humor quidam acris in parte aliqua colligitur. Obſeruat Kimhi dici tumores contabeſcere, quòd poſtquàm diu pus in illis extitit, cutis contabeſcat, & liqueſcat, dum exeat pus, ac fœteat. Chaldæus habet, *Contabuerunt cicatrices meæ*, ſeu *vulnera mea*. *A facie inſipientiæ meæ*: quandoquidem non ſum ſe-A cutus Dei voluntatem. *A facie*, id eſt, propter, vt mox annotatum eſt.

7 *Diſtortus* &c. propter vim morbi, ita vt erectus incedere, ac ſtare nequeam. *Contriſtatus*: ad verb. *obſcurus*, ſeu *ater*, quod metaphoricè triſtem & mœſtum ſignificat, vt obſeruatum ad verſ. 14. pſ. 35.

8 *Ardore*, Ioſeph Kimhi, & Chaldæo. *Vili* vulnere ſeu vlcere ſcilicet, Kimhi. Ezra interpretatur re abominabili, & fœda, quã non deceat nominare. Raſi exponit, *ilia mea impleta ſunt vili*, ſic, in cogitatione B mea ego vilis in oculis meiipſius, hoc eſt, mihi ipſe vilis videor: ad quẽ ſenſum videtur accedere Græcus & Lat. qui vertunt *lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, quaſi diceret Dauid, apud me cogito eſſe me omnibus ludibrio. Ego Chaldæum ſequor, ac verto *ardore*. Significare igitur vult, vti exiſtimo, ardentem febrem, qua laborabat ob dirum aliquod apoſtema. Aquila eodem ſenſu cum Græco vulgato, & Latino vertit ἀτιμίας, pro quo ille habet ἐμπαιγμάτων, hic verò *illuſionibus*. *Non (eſt) integritas* &c. C Idem iterum repetit eorum more, qui dolorem acerbum patiuntur.

9 *Rugij* ſeu *rugio*: nam ſæpe verbum præt. temporis, vt iam aliàs obſeruatum eſt, præſens etiam includit. Hoc verbo ſummum ac vehementem clamorem vult notare: atque vt ſignificet non falſum eſſe, ſed verum clamorem, qui ex dolore animi proficiſcatur, addit *præ fremitu* (ad verb. *rugitu*) *cordis mei*, hoc eſt, ob ſummum animi dolorem. Summum dolorem notat vox מִנַּהֲמַת D *minnahamath*, quæ propriè ſignificat *præ rugitu*: nam verbum נָהַם *naham*, vnde hoc nomen, propriè eſt *rugire*, vt docet Kimhi in Libro Radicum. Hoc nomine ſtrepitus vndantis maris ſignificatur, Eſa. 5. 30. *Et fremet* (ad verb. *rugiet*) *ſuper eum in die illa ſecundum fremitum* (ad verb. *rugitum*) *maris*.

10 *Ante te*, ſiue *coram te* ſolo (*eſt*) *omne deſideriũ meum*, ſi fortè conualeſcam, non verò coram medicis. Sic Ezra. At Kimhi ſic, Nõ te latet deſiderium meum, quo cupio ex hoc morbo conualeſcere. Et quoniam, E inquit, dixerat *rugij*, nunc meminit *deſiderij*, dicitque, ſiue rugiam, ſiue non, tu cognoſcis animi mei deſiderium, & coram te eſt, *& gemitus meus*, quo intra me gemo propter morbum, *à te non eſt abſconditus*. Breuiùs Raſi, Tu cognoſcis neceſſitatem meam.

11 *Cor meum circumit*. Quando quis eſt in bono rerum ſtatu, tranquilla eſt mente & quieto corde: at qui in anguſtiis verſatur, huc & illuc perpetuò oberrat mente & cogitatione. Hoc eſt quod vult hoc loco.

Digitized by Google

Græcus & Lat. ad ſententiã verterunt *Cor* A
meũ conturbatum eſt, dolore morbi ſcil. aut etiã metu mortis. Chaldæus interpretatur *Cor meum tremit*, ſeu, *palpitat*, vel, *horret*.

Dereliquit me virtus mea, hoc eſt, vires naturales omnino me iam deſtituerunt, vt nihil mihi propius ſit quàm vt peream. *Et lumen oculorum, etiam ipſi*, &c. In Græc. & Lat. *etiam ipſum*. Ad verb. quidem *etiam ipſi*. Sed hoc quidam, inter quos Kimhi, volunt eſſe pro, *etiam ipſum*. vt pronomen numero conueniat cum poſteriore nomine, etiamſi in obliquo ſit, quemadmodum B
1. Sam. 2. 4. *Arcus fortium confractus eſt*, ad verb. *confracti ſunt*. Iob. 29. 10. *Vox ducum ſupprimebatur*, ad verb. *ſupprimebantur*. *Et* alibi. Kimhi hoc ſic explicat, etiam oculi ipſi luminis eclipſim patiuntur, & ipſum non eſt mecum. Vatablus dicit poſſe etiam legi *ipſum*, nempe lumen, vt הם *hem*, pro הוא *hu*, accipiatur. Malim ego, & magis eſt in promptu, *etiam ipſi*, vt ſenſus ſit lumen oculorum meorum, imò ipſi etiam oculi non ſunt mecum: quaſi dicat ipſiſmet etiam oculis ſibi orbatum videri. Poſ- C
ſis vertere, *& lumen oculorum meorum, etiam ipſorum, non (eſt) mecum*. D. Hieron. vertit, *& lux oculorum meorum, etiam ipſa, non eſt mecum*. Chald. habet, *& lumen oculorum meorum, vtique ipſi non ſunt mecum*.

12 *Ex aduerſo plagæ meæ*, hoc eſt, procul à plaga mea. Queritur ſe ab amicis deſertum. Non paruum ſolamen ægrotis ab amicis viſitari, & vulgatum eſt apud Hebræos illud, *Viſitatio roborat animum ægroti*. Iure ergo Dauid queritur ſe ab amicis & ſodalibus deſertum, ſiue ipſi pro deſperato illum habentes, ipſum, vt fit, negligerent, ac parui penderent, ſiue vererentur D
ne qua morbi contagio ad illos peruaderet, ſiue non ſuſtinerent illius miſerias coràm intueri. Sic Iob 19. 19. *Abominati ſunt me omnes viri ſecreti mei, & quos dilexi, verſi ſunt in me*. Huc pertinet illud Prou. 19. 7. *Omnes fratres pauperis oderunt eum: quantò magis amici illius elongabunt ſe ab eo?*

13 *Et laqueos* &c. Amici, inquit, me deſerunt, ac procul ſe à me ſubducunt: at ho- E
ſtes mei interea vitæ meæ inſidiantur. *Qui quærunt animam meam*, vt perdant eam, ſicuti additur Pſal. 40. 15.

14 *Tanquam ſurdus non audio*, quæ vel ipſi præſentes mihi exprobrant, vel quæ alij de ipſis mihi referunt; atque interea tanquam mutum me gero, nihil omnino reſpondens.

15 *Non audiens*, hoc eſt, iuxta Kimhi, non intelligens linguam eorum qui loquuntur: quo modo *audire* ſumitur Deuter. 28. 49. *Gentem cuius non intelliges* (ad verb. *audies*) *linguam*: & aliàs, quemadmodum obſeruatum eſt ad verſum 3. pſal. 19. Alij accipiũt, vt ſonat. *Non habens* &c. Senſus eſt, qui, etſi audit, & intelligit ea quæ dicuntur, continet ſe tamen, ac ſi nihil ei ſuppeteret, quo calumnias refelleret.

16 *Quoniam in te Domine ſperaui*: &c. Ratio eſt ſilentij & patientię. Quoniam, inquit, in te ſpem habeo repoſitam, ac, certò ſcio, me exaudies, idcirco tacitus audio inimicorum calumnias. Sic ad hunc verſum ferme habet Kimhi: Quid mihi operæ eſt cum iſtis contendere, eorúmque verba refellere? Nihil enim mihi in illis eſt ſpei, ipſos mihi profuturos, ſed in te vno fiduciam habeo: ac quemadmodum in te ſpero, ita tu me exaudies, quia tu Dominus ſuper omnia, túque אלהי *elohai*, id eſt, Deus iudex meus, qui me vlciſceris de ſceleratis illis. Sic fermè ille. *Tu exaudies* ſub. *me* cum Latino. Mihi venit in mentem, præſertim cùm deſit in Hebræo & Græco pronomen *me*, verti poſſe *tu reſpondebis*, illis meis inimicis ſcilicet. Haud inconcinna profectò erit ſententia, Tacitus audio omnes inimicorum calumnias, &, quaſi mutus eſſem, conticeſco, &c. Quoniam auxilium tuum expecto, minimè dubitans quin illis hoſtibus meis pro me ſis reſponſurus, re ſcilicet & facto, hoc eſt, probè illos ſis vlturus. Quòd ענה *ana*, ſignificet *reſpondere*, omnes ſciunt, qui hebraicè ſciunt, vnde poſtea *exaudire*, quaſi dicas, reſpondere te.

17 *Quia dixi, Nequando lætentur de me*: &c. Ratio præcedentis verſus. Idcirco, inquit, ſpem pono in te, quem certò ſcio me exauditurum, aut pro me reſponſurum ac repoſiturum inimicis meis: idcirco à te opē expecto, & imploro, quia dixi, inquit, apud me, Vereor ne fortè perire me videant, ac de me triumphos agant, qui *dum* vel paululum *commouentur pedes mei*. (heb. *commouetur* vel *commotus eſt*, aut *vacillauit pes meus*) *aduerſùm me magna locuti ſunt*: quantò magis, ſi omnino peream, & mortē mihi attulerit hic morbus? *Magna locuti ſunt*: ad verb. *magnificauerunt* loqui, iuxta Ezram, vel linguam ſuam, iuxta Kimhi; quem ſenſum expreſſerunt Græc. & Latinus. Alij accipiunt intranſitiuè pro *magnificauerunt ſe*: ac ſic Chald.

18 *Quoniam ego ad claudicationem paratus ſum*: &c. Altera ratio ſilentij. Certum, inquit, mihi eſt quemuis morbum, quaſuis ærumnas ferre patienter. Exemplo Dauidis pij omnes quicquid accidit, boni con-

Digitized by Google

ſulant, in bonum vertant: ac teneant illud, non quid, ſed quemadmodum ferant, intereſſe. Quid *claudicatio* ſignificet vide ad verſum 15. Pſal. 35. *Et dolor meus* &c. Senſus eſt, ac nullo vnquam tempore obliuiſcor dolorum meorum, quemadmodum multi faciunt, qui dolores, quoad poſſunt, nituntur fallere, ab iiſque animum libenter auertunt. *Quoniam iniquitatem meam* &c. vt eſt verſu ſequente.

19 *Quoniam iniquitatem meam* &c. Tertia ratio eſt ſilentij, ſimúlque eius, quod mox dixit, nunquam obliuiſci ſe dolorum. Quoniam, inquit, palàm apud omnes fateor, ac ſemper prædico pœnas ac dolores, quos patior, meis peccatis deberi. *Sollicitus ſum pro*, vel, *de peccato meo*, ne perniciem prorſus mihi adferat; atque ideo patienter fero quidquid à Deo mihi immittitur.

20 *Inimici autem mei* &c. Ego in perpetuis doloribus: illi verò viui, ac ſani. *Multiplicantur* filiis & opibus. *Iniquè*, ad verb. *falsò*, hoc eſt, immeritò & ſine cauſsâ.

21 *Qui retribuunt mala pro bonis*, heb. *malum pro bono*, &c. Hoſtes intelligit, quos tam infenſos ipſe ægrotus experitur, cùm pro illorum incolumitate, quotiès morbo laborarent, & ſeſe maccrarit, & Deum precatus fuerit, ſicuti dixit pſal. 35. 13. *Ego autem, cùm ægrotarent ipſi, induebar ſacco,*

A *affligebam in ieiunio animam meam.* *Quoniam ſequor bonum.* Neſcio, inquit, cur mihi adeo infenſi ſunt, niſi quia virtutem amplector, ac benè viuere ſtudeo. Probabile eſt regem tum fuiſſe Dauidem, quum edidit hunc pſalmum, atque idcirco, quòd ſentiret ſe non aliam ob cauſſam odio eſſe hoſtibus, ſuámque mortem ab iis exoptari, quàm quòd ſæpe in illorum vitia animaduertiſſet, ideóque ipſius cenſuram in poſterum reformidarent, dixiſſe hoc loco, *aduerſantur mihi, quoniam ſequor bonum:* ipſi enim poſt mortem meam impunitatem ſcelerum ſibi pollicentur.

22 *Ne derelinquas* &c. vti ſibi illi perſuadent me à te eſſe derelictum.

B 23 *Domine ſalutis meæ.* Ad verb. *Domine, ſalus mea:* vox enim אֲדֹנָי *Adonai*, non eſt in regimine genitiui, quod vocant, & Reuia accentus diſtinguens, qui eſt cum hac voce, clarè docet legendum ac vertendum, *Domine, ſalus mea*, per appoſitionem: quod tamen ſic ferè explicat Kimhi, tu qui es Dominus ſalutis meæ, & non alius. Nos igitur ſecuti Græcum & Latinum interpretem vertimus *Domine ſalutis meæ*, ad ſenſum magis, quàm verba reſpicientes. Rabbi Moſes putat ל, id eſt, *in*, prioris membri eſſe repetendum in poſteriore, ſic, *Domine in ſalutem meam*, ſup. *feſtina*. Probat etiam ipſe Kimhi.

PSALMVS

XXXVIII. XXXIX.

VERSIO

VETVS.

IN finem, ipſi Idithun, Canticum Dauid.

2 *Dixi: Cuſtodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea.*

3 *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me.*

4 *Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis: & dolor meus renouatus eſt.*

5 *Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcet ignis.*

6 *Locutus ſum in lingua mea: Notum fac mihi Domine finem meum,*

7 *Et numerum dierum meorum quis eſt: vt ſciam quid deſit mihi.*

8 *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos: & ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te.*

9 *Verumtamen vniuerſa vanitas, omnis homo viuens.*

10 *Verumtamen in imagine pertranſit homo: ſed & fruſtra conturbatur.*

11 *Theſaurizat: & ignorat cui congregabit ea.*

12 *Et nunc quæ eſt expectatio mea? nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt.*

13 *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium inſipienti dediſti me.*

14 *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti: amoue à me plagas tuas.*

15 *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuiſti hominem.*

16 *Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius: verumtamen vanè conturbatur omnis homo.*

NOVA.

PRAECENTORI ipſi Idithun, Pſalmus Dauid.

2 Dixi, Cuſtodiam vias meas, vt non [a] delinquam in lingua mea: ſeruabo ori meo capiſtrum, quandiu fuerit impius coram me.

3 Obmutui ſilentio, ſilui à bono: & dolor meus turbatus eſt.

4 Concaluit cor meum intra me: in meditatione mea exarſit ignis: loquutus ſum in lingua mea:

5 Notum fac mihi, Domine, finem meum, & menſuram dierum meorum, quæ [b] ſit: ſciam quàm deſinens ſim.

6 Eccè palmares poſuiſti dies meos, & æuum meum tanquam nihilum ante te: profectò vniuerſa vanitas omnis homo viuens.

7 Profectò in imagine ambulat [c] homo, profectò in vanum [d] tumultuatur: coaceruat, & ignorat quis congregabit ea.

8 Et nunc quid expecto Domine? ſpes mea in te eſt.

9 Ab omnibus [e] iniquitatibus meis erue me: opprobrium inſipientis ne ponas me.

10 Obmutui, non aperiam os meũ: quoniam tu feciſti.

11 Amoue à me plagam tuam: à conflictu manus tuæ ego defeci.

12 Increpationibus propter iniquitatem corripis hominem, & liqueſcere facis ſicut tineam deſiderabile eius: profectò vanitas omnis homo.

a peccem
b ad verb. ipſa:
c vir, quiſque,
d ad verb. tumultuantur:
e heb præuaricationibus

Digitized by Google

13 Audi orationem meam, Domine, & vociferationem meam auribus percipe ;. ad lachrymas meas ne [f] ſileas : quoniam aduena ego (ſum) apud te, incola ſicut omnes patres mei.

f vel ſurdum agas:

14 Ceſſa à me, vt corroborer, priuſquam abeam, & non ſim.

17 *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam : auribus percipe lacrymas meas.*

18 *Ne ſileas: quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.*

19 *Remitte mihi, vt refrigerer priùs quàm abeam, & ampliùs non ero.*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *EZra & alij putant hunc quoque pſalmum à Dauide ægrotante editum, & eſſe eiuſdem argumenti atque ſuperiorem. Alij, ex Hebræis etiam, exiſtimant à Dauide in aliqua afflictione ac calamitate fuiſſe conſcriptum, & in eo doceri, non eſſe accuſandum Deum, cùm ab improbis premimur, ſed conſtanter ferendas ærumnas, & cogitandum momentaneam eſſe hanc vitam, atque adeo eius incommoda. Duo ſequentes pſalmi ad idem quoque argumentum pertinent.*

1 *Ipſi Idithun.* Idithun, iuxta Kimhi, A nomen fuit Cantoris cuiuſdam, cui Dauid tradidit decantandum hunc pſalmum: vel, iuxta Ezram, celebris quædam poëſis, quam compoſuiſſet Idithun, vel aliquis alius in eius laudes, cuius initium eſſet *Ipſius* (vel *Ipſi*) *Idithun.*

2 *Dixi* apud me. *Cuſtodiam vias meas,* hoc eſt, Mihi cauebo diligenter, quicquid dicam aut faciam. Gallicè, *ie prendray garde à moy. Vt non delinquam* (ſeu *peccem*) &c. ne vis morbi, aut calamitatis aliquod mihi verbum extorqueat alienum à B ratione: quo ſenſu dicitur Iob 2. 10. *In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis. Seruabo* &c. hoc eſt, ſemper ac diligenter apponam ori meo capiſtrum. *Quandiu fuerit* &c. Hoc eſt, cùm impius officij ſpecie, vt fieri ſolet, me viſitabit : ne meo illo malo delectetur, aut meo exemplo offendatur. *Coram me.* Vertere potes *aduerſum me*, quemadmodum Latinus: quaſi dicat, certum eſt tacere, quandiu me oppugnabit impius. In Græco eſt ἐναντίον μου, quod eſt ambiguum.

3 *Silui à bono,* hoc eſt, ne etiam dicerem C quod eſſet bonum, neque ægrum, aut calamitoſum dedeceret. *Et dolor meus* &c. interea recruduit & irritatus eſt dolor, vel ſilentio, vt fit ; vel recurſu temporis, vt febres ſolent ; vel vtroque ſanè. Si dolorem animi intelligere vis, dic exacerbatum fuiſſe ſilentio. *Turbatus eſt.* Optimè ad ſenſum Græcus & Latinus *renouatus eſt.*

4 *Concaluit cor meum intra me,* ſuppreſſo, atque ideo creſcente dolore, vel recurrentibus vicibus morbi, aut propter vtrumque, vt mox dictum eſt. *In meditatione mea*, hoc eſt, quum mecum tacitus ingemiſcerem, *exarſit ignis*, hoc eſt, calor tantus omnia membra inuaſit, vt ignis videretur. Ex hoc verſu apparet Dauidem in vehementi aliqua febre hunc pſalmum conſcripſiſſe: quanquam ſi quis hunc verſum de vehementiore iræ æſtu interpretari vult, cum hoc ego non contendero. *Locutus ſum* &c. his verbis, *Notum fac* &c.

5 *Notum fac mihi,* &c. Senſus eſt, Fac vt intelligam quàm citò moriturus ſum, quàmque breuis & momentanea eſt hæc mea vita, vt cùm vitæ breuitatem ipſe cognouero, vitam negligens mortem contemnam : aut vitæ huius miſerias, quia breues ſunt, parui pendam. Simile eſt Iob 6. 11. *quis finis meus, quòd prolongem vitam meam?* hoc eſt, vt prorogare cupiam vitam meam? *Quàm deſinens* ſeu *deficiens ſim*, hoc eſt, quàm ſim caducus, & breuis vitæ.

6 *Ecce palmares* &c. Differit eleganter de breuitate vitæ. *Palmares,* inquit, *poſuiſti dies meos*, id eſt, palmæ menſurâ, quæ minima eſt, dimenſus es vitæ meæ ſpatium. *Æuum meum,* hoc eſt, huius vitæ meæ ſpatium. Latinus habet *ſubſtantia mea*, pro ſubſiſtentia mea, vt puto : Græcus enim, quem ſequitur, vertit ἡ ὑπόστασίς μου. Chaldæus habet *corpus meum. Viuens:* ad verb. *ſtans*, in hoc ſcilicet mundo, quo modo interpretatur Kimhi. Raſi *ſtans* etiam exponit viuens.

7 *Profectò in imagine ambulat homo*, ad

verb. *vir*, ſeu *quiſque*, &c. Senſus eſt, vt puto: Illud accedit etiam ad vitæ humanæ breuitatem, quòd quandiu homo eſt in his terris, *in imagine*, hoc eſt, in rebus vanis, nihilque ſolidi, & expreſſi habentibus ſeſe occupat, ac fruſtra fatigat, ingenti cum tumultu ac ſtrepitu. *Ambulat.* Efficax eſt hoc verbum, dicitque perpetuum, & irrequietum motum. Vide ad verſ. 1. pſalm. 1. Eódem ſpectat ſequens verbum *tumultuatur*, ad verb. *tumultuantur*, per ſyntheſin. Hebræi aliter atque aliter hoc membrum interpretantur, ſed mihi non placent, quos hactenus vidi. *Coacervat* in agro, toto meſſis tempore, *& ignorat quis congregabit (*ſeu *colliget) ea* in horrea: nam fortè ante collectionem morietur. Sic Raſi. Vel ſenſus eſt, vnciatim vix de demenſo ſuo ſuum defraudans genium comparſit miſer, neſciens cui laboret, & ignorans prorſus cui ſua bona relicturus ſit: vtrum ſapienti, an ſtulto. Interdum (Eccl. 2. 19.) *vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & (tamen) laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs: (nec recogitat, dicens,) Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc vanitas eſt, & afflictio peſſima*, ſicuti legitur Eccl. 4. 8. Poſteriorem ſenſum ſequuti ſunt Græcus & Latinus.

8 *Et nunc quid* &c. Senſus eſt, Nunc igitur, cùm tanta ſit vitæ fragilitas, ac vanitas, quid ſpei reliquum eſt? tu ſolus es, in quo ſpero, & qui me potes eripere ex hoc morbo, aut ex his malis: id quod dicet poſtea.

9 *Ab omnibus iniquitatibus meis.* Nam propter illas ſcio me eſſe in his doloribus, aut calamitatibus. *Opprobrium inſipientis* &c. Senſus eſt, ne patere me diutius ludibriis impiorum exagitari, qui ſani & incolumes me ægrum, aut miſerum irrident ac ſubſannant.

10 *Obmutui*, &c. Non eſt aduersùs quem immurmurem: non enim mihi hæc mala ab hominibus contigerunt, ſed à te: propterea obmutui: ſcio enim peccata horum malorum cauſas eſſe. Vel ſignificat ſe nihil reſpondiſſe opprobriis inſipientum, de quibus proximè egerat; ſiquidem ſciret ea omnia Dei conſilio accidere.

11 *Amoue à me plagam tuam*, hoc eſt, plagam quam tu mihi impoſuiſti, atque inflixiſti. De vſu pronominum actiuè vel paſſiuè dictum eſt ad verſ. 6. pſal. 2. Amoue, inquam, illam citò: alioquin planè actum de me: nam prorſus *ego defeci à conflictu manus tuæ*, quâ tu veluti in me pugnas, dum me pœnis afficis. Alij vertunt à

A *timore manus tuæ*, vt vocabulum hebraicum תִּגְרַת *tighrath*, quemadmodum volunt Menachem, & Ezra, ſit à radice גור *gur*, quæ *timere* ſignificat. Sed huic interpretationi repugnat Grammatica. Nam תִּכְלַת *ticla*, quod Ezra ſimile eſſe ait, palàm eſt à radice כָּלָה *cala*, deriuari, non à כּוּל *cul*, vt ipſe ſentit. Prior ergo expoſitio melior eſt, iudicio ipſius Raſi, eámque amplectitur Kimhi. Chald. habet *à percuſſione fortitudinis manus tuæ*: à quo non multùm diſtant Græcus & Latinus.

12 *In increpationibus* &c. Quod antea de
B ſe, nunc de omnib. hominib. dicit, hócque vult: Non me tantùm, ſed omnes homines caſtigare ſoles propter ſcelera. Multa reperias apud Iobum in hanc ſententiam. *Increpationes* accipe pro morbis, aut aliis pœnis: ſunt enim morbi, aut pœnæ vice increpationum, & quaſi aduocati ſeu interpretes, vt Hebræi loquuntur, inter Deum & hominem. *Deſiderabile eius*, hoc eſt, carnem, aut corpus: vel pinguedinem carnis, & robur corporis, Gallicè *ſon enbonpoint*. *Sicut tineam*, quæ facilè liqueſ-
C cit ac tabeſcit. Ad mentem Kimhi vertendum potiùs, *ſicut tinea*, vt ſenſus ſit, ſicut tinea veſtem citò erodit, ſic tu caſtigationibus ac pœnis ſubitò hominem ad tabem redigis.

13 *Audi* &c. Senſus eſt, Poſtquàm ſubeo lubens tuas correctiones ac pœnas, *audi* &c. & munda me à peccatis, ac ſana, aut eripe ex his malis. *Quoniam aduena* ſeu *peregrinus* &c. Sic Dauid 1. Paralip. 29. 15. *Peregrini enim ſumus coram te, & incolæ, ſicut omnes patres noſtri: dies noſtri quaſi*
D *vmbra ſuper terram, & nulla eſt ſpes*, ſcilicet non moriendi, aut diu viuendi. Senſus huius & illius verſus eſt, hominem in mundo eſſe tanquam peregrinum in terra non ſua: quippe in quo non habeat certam habitationem, aut ſtationem: quotidie enim eſt in via, vt ex illo diſcedat, nec nouit diem ſuum. Vocat tamen hominem *incolam*, ſeu *inquilinum*, propterea quòd in mundo habitat, quaſi diu in eo manſurus. *Apud te* dicit, ſeu *tecum*, aut *coram te*, vt (Vide ſimile Leuit. 25. 23.)
E ſignificet in Dei arbitrio eſſe, & ab illo habitationem in mundo, & diſceſſum ex illo. Quum ait *ſicut omnes patres mei*; *ſicut omnes patres noſtri*; ſignificat poſteriores ætates, ac ſecula eiuſdem eſſe rationis, atque priora, nec vllam inter hæc & illa intercedere diuerſitatem; ſed generationem præterire, & generationem aduenire: id quod fuit, idipſum eſſe (Eccl. 1.) quod futurum eſt, & id quod factum eſt, idipſum eſſe quod fiet. Dicit ergo, *Audi orationem meam*, fácque, vt ex hoc morbo

Digitized by Google

conualeſcam, quoniam pauci ſunt dies hominis in terrâ: eſt enim homo veluti peregrinus in hoc mundo. Propterea mox ſubiungit,
14 *Ceſſa à me, vt corroborer* & confirmer ex hoc morbo, atque iterum tuam voluntatem exequi poſſim: noui enim peccata morbi cauſas fuiſſe. *Priuſquàm abeam* ad ſepulchrum, *& non ſim*, qui poſſim tuam exequi voluntatem: mundus enim hic mundus eſt operis, alter autem, mundus præmij, non operis, ſicuti dicitur Eccleſ. 9. 10. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter (*heb. *ſecundum vires tuas) operare: quia nec opus, nec cogitatio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt in ſepulchro, quò tu pergis*, in Vulg. *properas*. Et Rabbini veteres ad illud Deuter. 7. 11. *Cuſtodi ergo præcepta, & ſtatuta, atque iudicia, quæ ego mando tibi hodie, vt facias*, hodie, inquiunt, faciendum eſt, cras verò accipienda merces. Sic ferè Kimhi explicat hunc, & præcedentem verſum. Si verò de eo, qui calamitatem patiatur, Pſalmum accipias, facilis erit ſententia: Admitte orationem meam, & tantiſper dum ago in terris, tanquam peregrinus, aut certè hoſpes, aliquantò mecum leniùs ac remiſſiùs age, & ſine me reſpirare, ac frui præſente vita, antequam morior.

Huc pertinet illud Epiſt. ad Heb. 3. *donec Hodie cognominatur*, id eſt, quandiu viuitis.

Et non ſim in his terris. Simile occurrit Iob 10. verſ. 20. & ſequent. *Annon paucitas dierum meorum finietur breui? dimitte ergo me, vt corroborer paululum. Antequam vadã, & non reuertar, ad terram tenebroſam*, &c. Cap. 14. verſ. 5. & ſeq. *Si definiti (sũt) dies eius, & numerus menſium eius apud te (eſt:) conſtituiſti terminos eius*, * *qui præteriri non poterunt: Recede (paululùm) ab eo, & ceſſet* (à commotione ſcilicet; vel *& ceſſet*, ſup. plaga eius, vel iuxta Ralbagh, *& perficiat tempus ſuum*,) *donec abſoluat, ſicut mercenarius, diem ſuũ*, in Vulg. *donec optata veniat, ſicut mercenarij, dies eius*; quæ interpretatio ex Hebræo facilè effici poteſt. Verùm non eſt hoc huius loci.

* Heb. *& non prætoribus*

PSALMVS

XL. XXXIX.

VERSIO

NOVA.	VETVS.
PRAECENTORI, Dauid Pſalmus.	IN finem, *Pſalmus ipſi Dauid.*
2 Expectando expectaui Dominum: & [a] intendit mihi, & exaudiuit clamorem meum.	2 *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.*
3 Et [b] eduxit me de foſſa ſtrepitus, de luto cœni, & ſtatuit ſuper petram pedes meos, direxit greſſus meos.	3 *Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* 4 *Et ſtatuit ſuper petram pedes meos: & direxit greſſus meos.*
4 Et [c] immiſit in os meum canticum nouum, laudem Deo noſtro: videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino.	5 *Et immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro.* 6 *Videbunt multi, & timebunt: & ſperabunt in Domino.*
5 Beatus vir, qui poſuit Dominum ſpem ſuam, & non reſpexit ad ſuperbos, & deflectentes ad mendacium.	7 *Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius: & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.*
6 Multa feciſti, tu Domine Deus meus; mirabilia tua, & cogitationes tuas ad nos non (pertinet) ordinare apud te: annunciabo & loquar? plura ſunt, quàm vt enarrem.	8 *Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.* 9 *Annuntiaui & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum.*

[a] vel *inclinauit*

[b] ad verb. *aſcendere fecit*

[c] heb *poſuit in ore meo*

10 *Sacri-*

10 *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi.*

11 *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi: Ecce venio.*

12 *In capite libri ſcriptum eſt de me vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

13 *Annuntiaui iuſtitiam tuam in eccleſia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domine tu ſciſti.*

14 *Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.*

15 *Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam, à concilio multo.*

16 *Tu autem Domine ne longè facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.*

17 *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.*

18 *Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.*

19 *Complaceat tibi Domine vt eruas me: Domine, ad adiuuandum me reſpice.*

20 *Confundantur & reuereantur ſimul, qui quærunt animam meam, vt auferant eam.*

21 *Conuertantur retrorſum, & reuereantur qui volunt mihi mala.*

22 *Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi: Euge, euge.*

23 *Exultent & lætentur ſuper te omnes quærentes te: & dicant ſemper: Magnificetur Dominus: qui diligunt ſalutare tuum.*

24 *Ego autem mendicus ſum, & pauper: Dominus ſollicitus eſt mei.*

25 *Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.*

7 Sacrificium, & oblationem noluiſti; aures perfodiſti mihi: holocauſtum, & ſacrificium pro peccato non poſtulaſti.

8 Tunc dixi, Ecce [d] venio: in volumine libri ſcriptum eſt [e] de me.

9 Facere voluntatem tuam, Deus meus, volo: & lex tua in medio viſcerum meorum (eſt.)

10 Annuntiaui iuſtitiam in [f] eccleſia magna; ecce labia mea non prohibebo: Domine, tu ſcis.

11 Iuſtitiam tuam non abſcondi in medio cordis mei; veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi: non [g] abſcondi miſericordiā tuam & veritatem tuam concilio multo.

12 Tu, Domine, ne [h] longè facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua, & veritas tua ſemper cuſtodiant me.

13 Quoniam circundederunt me mala [i] quorum non eſt numerus; cōprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre: multiplicatæ ſunt [l] ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

14 [m] Placeat tibi, Domine, eruere me: Domine, ad auxilium meum feſtina.

15 Confundantur, & pudefiant ſimul qui quærunt animam meam, vt perdant eam: conuertantur retrorſum, & erubeſcant qui volunt [n] mihi mala.

16 Deſolentur pro mercede pudoris ſui, qui dicunt [o] mihi, Euge, euge.

17 Exultent & lætentur in te omnes quærentes te: dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutem tuam.

18 Ego autem miſer (ſum) & pauper; Dominus [p] ſollicitus ſit mei: auxilium meum & liberator meus tu (es;) Deus meus, ne tardaueris.

d heb. *venis:*
e ad verb. *ſuper*
f *cætu multo;*
g *celaui*
h heb. *cohibeas*
i ad verb. *vſque ad non numerum;*
l heb. *præ capillis*
m heb. *Velis,*
n heb. *malum meum.*
o vel *de me*, ſeu *propter me,*
p ad verb. *cogitet mihi*, vel *de me;*

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumentum. *PSalmus hic pendet à ſuperioribus, continétque gratiarum actionem, quam vir ſanctus defunctus graui morbo, aut alio ingenti periculo Deo habuit. Initio, Dei bonitatem prædicat, qui de vita periclitanti præſto fuerit, pollicetúrque ſe deinceps Dei gloriæ celebrandæ totum fore addictum. Poſtea, quoniam intelligebat homini multa ſemper imminere pericula, Deum rogat, vt quemadmodum hactenus ſemper adfuit, ſic adſit deinceps. In fine ipſum etiam orat, vt hoſtes ſuos vlciſcatur. Hanc gratiarum actionem ipſe Dauid habuit. Sed quoniam Dauid Chriſti imaginem gerebat, ipſiúſque aſſlictiones, & patientiæ exemplar quoddam erant, ac veluti præludium eorum, quæ Chriſtus erat paſſurus, idcirco D. Paulus in epiſt. ad Heb. cap. 10. quædam huius Pſalmi ad Chriſtum transfert, vt ſuo loco adnotabitur.*

2 *Intendit* (ſeu *inclinauit*) *mihi* (ſup. aurem ſuam:) vel, vt vult Ezra, *inclinauit ſe mihi*, is qui cœlos ipſos incolit. A
3 *Foſſa ſtrepitus*, hoc eſt, foſſa in quam multæ aquæ ingenti cum ſtrepitu influunt; per quam ingentia pericula vult notare. *De luto cœni*, hoc eſt, luto omnis generis, denſo, & tenui, iuxta Kimhi: vel luto multo, ac profundiſſimo: (ſic Plautus in Bacch. dicit *lutulento cœno*) Subſtantiuum enim ſeipſum regēs, aut ſynonymū, aliquid præcipuum, & ſummum in ſuo genere ſignificat Hebræis: exempli gratia Geneſ. 9.25. *ſeruus ſeruorum*, hoc eſt, poſtremus, & infimus inter ſeruos. Num. 3.32. *princeps principū Leuitarū*. id eſt, ſummus Princeps Leuitici ordinis. Zach. 10. 1. *pluuiam imbris*, id eſt, pluuiam abundantem. *Super* B
petram πρὸς τὸ *foſſa ſtrepitus*, & *luto cœni*. *Direxit* &c. vt aſcenderem in petram. Vel quum exiſſem foueam, *direxit greſſus meos*, ne vacillarent, ac in alium morbum, aut calamitatem inciderem.
4 *Immiſit* &c. ad verb. *poſuit in ore meo* &c. Senſus eſt, Nouo me beneficio affecit, atque ideo noui carminis argumentum mihi obtulit. *Videbunt multi*, &c. Senſus eſt, multi, qui hactenus non fuerunt ex Dei cultoribus, cùm viderint quid erga me fecerit Deus, ipſum colent, ac reuerebuntur, & fiduciam in eo collocabunt. Hebraicè elegās hîc paronomaſia in יִרְאוּ *ijru*, id eſt, *videbunt*, & יִירָאוּ *ijrau*, id eſt, *timebunt*.
5 *Beatus vir*, &c. Epiphonema eſt, quo ſuo exemplo docet nihil eſſe melius, quàm ſpem omnem in Domino collocare. *Qui poſuit Dominum ſpem ſuam*. Græc. & Lat. *cuius eſt nomen Domini ſpes eius*: legerunt enim שֵׁם *ſchem*, id eſt, *nomen*, vbi hodie Hebræi שָׂם *ſam*, id eſt, *poſuit*. *Non reſpexit ad ſuperbos*, &c. opem ab iis expectans. *Superbos*. Raſi. Alij exponunt *fortes*, vt Ezra. Kimhi exponit *fortes & ſuperbos*: quaſi vox hebraica רְהָבִים *rehauim*, vtrumque ſimul ſignificet. *Deflectentes* ſeu *declinantes ad mendacium*. Ad verbum vertendum eſſet *declinantes mendacij*: quod Latinè diceremus ſectatores mendacij. Raſi autem per *declinantes ad mendacium* intelligit qui à recta via deflectant poſt mendacia idola. Gallicè שָׂטֵי *ſate*, exponit *deſtournants*. Kimhi interpretatur qui deflectunt ad viam mēdacij; ex. gratia ad arioles, nec ſpem ponunt in Deo veritatis. Ego per *ſuperbos & declinantes* &c. intelligerem homines roboris, vel ſcientiæ falſa opinione tumentes: ita vt dicat Dauid beatum illum eſſe, qui in morbis, aut calamitatibus ſpem omnem in Dominum defigens ad medicos, aut viros fortes minimè reſpicit. In Græco & Lat. legitur *in vanitates, & inſanias falſas*. Certè vox hebraica, quam vertimus *ſuperbos*, alij *fortes*, exponi poteſt *ſuperbias*, & accipi ſubſtantiuè, vt ex Lexicis patebit: quo modo acceperunt Græc. & Lat. qui etiam pro שָׂטֵי *ſate*, id eſt, *declinātes*, legerūt שׁטי, quod verterūt *inſanias*, ex ſignificatione, quam verbum שְׁטָה *ſchata*, habet in lingua Chaldaica, ſignificat enim *ſtulteſcere*, *ſtultè agere*, *inſanire*; vnde non dubiâ origine Gallica vox *ſot*.
6 *Multa feciſti, tu Domine* &c. Hîc incipit iuxta Ezram canticum illud nouum, de quo verſu 4. *Multa* ſimilia *feciſti* erga me. C
Ad nos non (ſup. *pertinet*) *ordinare* &c. hoc eſt, non eſt noſtrûm ſingula tua beneficia, & cogitationes de nobis ſuo ordine digerere, ac recenſere apud te. Alij vertunt ſic, *Multa feciſti, tu Domine Deus meus, mirabilia tua; & cogitationes tuas erga* (alij *propter*) *nos, nemo eſt qui ordinare* (*poſſit*) *tibi*. Alij ſic, *Multa feciſti tu Domine Deus meus; mirabilia tua & cogitationes tuas erga* (*propter*) *nos, non eſt qui* &c. Alii ſic, *Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationes tuas erga* (*pro-*

pter) nos; non eſt qui comparetur tibi: verbum enim עָרַךְ *arach*, Raſi, & alij pro *comparari*, & *æquiparari* accipiunt: quo modo pſ. 89. 7. ſumitur, *Quoniã quis in nubibus* יַעֲרֹךְ *iaaroch, æquabitur Domino?* &c. Non malè ergo in Græco & Lat. *& cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.* Nam quod alij interpretantur *cogitationes tuas*, nil repugnat verti (*in*) *cogitationibus tuis*, ſupplendo litteram ב, quæ *in* ſignificat. Ego diligenter penſitatis accentibus vertendum ac diſtinguendum eſſe duxi iſtum in modum, *Multa feciſti, tu Domine Deus meus; mirabilia tua, & cogitationes tuas ad nos non* (ſup. *pertinet*) *ordinare apud te.* Nam, vt de cæteris quidem taceam, vox ea, quæ ſignificat, *cogitationes tuas*, habet Reuia, vnum ex præcipuis accentibus diſtinguentibus, ideóque videtur ſenſu à ſequente dictione ſeparanda, ac diſtinguenda, præſertim cùm ſequens illa dictio, ea ſcilicet quæ ab aliis, *erga* (ſeu *propter*) *nos*; à nobis verò, *ad nos*, eſt reddita, habeat Merca accentum miniſtrum, ideóque poſtulet coniungi cum ſequentibus abſque vlla omnino diſtinctione. Neque obſtat accentus Iethiu, quem etiam ſequens hæc dictio habet initio, & qui videri poſſet diſtinguens: eſt enim muſicus dubio procul, vt patet ex eius ſitu. Tenendum profectò illud Ezræ in commentariis, Omnem interpretationem, quæ non eſt conſona accentibus, ne teneto, aut admittito: Autor enim accentuum meliùs nouerat interpretationem, quàm nos. Et ſæpe Raſi ſuas expoſitiones probat ex accentibus. Scio profectò in libris Pſalmorum, Iob, & Prouerbiorum, non eandem eſſe omnino accentuum rationem, atque in aliis libris. Sed tamen accentus diſtinguentes in illis quoque libris, quantùm licet per ſenſum, pro diſtinguentibus ſunt habendi, miniſtri verò pro miniſtris. Quod attinet ad hanc huius verſus partem *annuntiabo, & loquar*, viſum mihi eſt commodius, & magis in promptu illam legere interrogatiuè, ſic, *annuntiabo & loquar?* quàm ſupplere *ſi*, vt alij multi faciunt, hoc modo, *(ſi) annuntiabo, & loquar*, vel, (*ſi*) *annuntiare & loqui velim.* Quid enim neceſſe eſt hîc aliquid ſupplere?

7 *Sacrificium & oblationem* &c. Senſus eſt, Propter tot beneficia, quæ in me contuliſti, non vis ac poſtulas ſacrificia, neque tu propter ſacrificia me beneficiis affeciſti, ſed vis potiùs vt tuam exequar voluntatem: quod quidem his ſignificat verbis, *aures perfodiſti mihi*, hoc eſt, aures cauas feciſti, vt te audirem, atque auſcultarem tuæ voci. Non negat quidem ſimpliciter Deum velle ſacrificia, illa enim ſciebat lege Mo-

A ſaica eſſe præcepta, ſed comparatè loquitur, affirmátque Deum obedientia magis, quàm ſacrificiis delectari. Quo ſenſu legitur 1. Sam. 15. 22. *Nunquid voluntas Domini in holocauſtis & victimis, vt in obediendo voci Domini? ecce, parere, ſacrificio melius eſt; auſcultare, adipe arietum.* Quem locum Latinus expreſſit ſic, & quidem eleganter, *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia quàm victimæ; & auſcultare, magis quàm offerre adipem arietum.* Huc refer illud Ieremiæ B 7. verſ. 22. & ſequente, *Non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die quà eduxi eos de terra Ægypti, de holocauſtis, & victimis. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandauero vobis, vt bene ſit vobis.* De cuius loci ſenſu nil attinet hîc pluribus diſputare. Obiter tantùm, & quaſi per tranſennam adnotabo quid Kimhi, & alij Hebræorũ duobus iſtis verſibus ſignificari putent, nimirum non C fuiſſe initio præcepta à Deo ſacrificia, ſed Legem tantùm, quæ Decalogo continetur, vbi nullum verbum de ſacrificiis: ac tantùm fuiſſe præcepta ſacrificia, poſtquàm cœpiſſent Iſraëlitæ peccare in deſerto. Quòd ſi aliquis non peccet, non illi opus eſſe ſacrificio, illúdque Deo quouis ſacrificio longè eſſe gratius, ac iucundius. Nam iugia illa ſacrificia, quæ quotidie Synagoga offerre iubebatur, Synagogæ, non item ſingulis fuiſſe præcepta; vt ſi qui peccaſſent, D (fieri enim aliter non poterat, quin multi quotidie peccarent) ac neſcirent quid ſibi eſſet offerendum, ipſi per publica ſacrificia expiarentur, mòdò illos peccatorum pœniteret. Vide Kimhi ad hunc verſum. Imò & hîc ad locum Ierem. cit. obſeruat Deum, quum agit de ſacrificiis, non præcipere, vt offerantur ſacrificia, ſed dicere in hæc verba, ex. gr. Leu. 1. 2. *Homo, quum obtulerit ex vobis hoſtiam* (*oblationem*) *Domino*: quaſi tãtũ dicat, Si quiſpiã voluerit offerre, faciat ſic & ſic. Quod ad iugia ſacrificia attinet, E obſeruat ad cit. Ierem. locum ea ad honorem templi præcepta fuiſſe, & ad vniuerſos pertinuiſſe, nec ſingulis Deum præcepiſſe, vt ſacrificium offerrent, ſicut præcepit ſingulis, vt rectè iudicarent, aliáque mandata exequerentur. Non quod ſentio, ſed quid ille, & alij ex Hebræis ſentiant, obiter adnotare volui: nec, num illa expoſitio vera ſit, necne, nunc quæro. *Sacrificiũ.* זֶבַח *zeuach*, putat Kimhi eſſe ſacrificium pacificorum. *Oblationem.* מִנְחָה *Mincha*, putat idem oblationem eſſe ſimilæ mixtæ ſeu

Digitized by Google

conſperſæ oleo, de qua ſermo eſt Leuit. 2. A

Holocauſtum. עולה *ola*, dicit fuiſſe oblationis genus, quo expiaretur, qui in aliquod præceptum affirmatiuum deliquiſſet. *Noluiſti*, pro, non vis à me nunc. Sic *non poſtulaſti*, pro, non poſtulas, præt. pro præſ. vt ſæpe. Vel *noluiſti* in die exhibitionis Legis, quemadmodum explicat Raſi. Senſus eòdem redit: quanquam prius magis probo. *Aures perfodiſti mihi.* Accipiendum hoc, vt initio huius verſus eſt dictum, pro, aures feciſti cauas, vt te audirem, aures finxiſti atque aptaſti ad tui obſequiũ, B hoc eſt, vis te audiã, tibi ſim dicto obediens, ac morẽ gerã. Ac ſic accipiunt Raſi, Ezra, Kimhi & alij. Chald. quoque hoc ſenſu interpretatus eſt, *aures ad audiendũ mandata tua fodiſti mihi.* Syriaca verſio, quã nuperrimè ſingularis doctrinæ vir & clarus imprimis Gabriel Sionita, Collega, & ſummus amicus meus, Latinã nobis dedit habet, *aures autẽ perfodiſti mihi.* Non alienũ tamen omnino, quod quidam è noſtris putant, videri reſpexiſſe Dauidem ad conſuetudinem olim vſitatam in populo Hebræo, vt C ſeruo ſponte permanenti in ſeruitute, nec admittere volenti libertatem, quæ ſeptimo quoque anno ſeruis offerebatur, auris ſubula perforaretur, ſicuti legere eſt Exod. 21. ac dicere voluiſſe, habebis me perpetuùm addictum tibi ſeruum, atque obſequentem, vti illi heris ſuis addicuntur, quibus auris perforatur: ſcio enim te obſequium velle potiùs, quàm victimas ac ſacrificia. Facit nihilominus difficultatem, quòd *aures* dicat in numero multitudinis, cùm herus D ſerui permanere volentis in ſeruitute vnam tantùm aurem perforaret, vt conſtat ex capite Exodi citato, verſ. 6. Dicat aliquis: neque fortè abſurdum erit, data opera hîc vſum Dauidem numero multitudinis, quò maius obſequium, ac maiorem ſeruitutem exprimeret. R. Moſes putat repetendam hîc eſſe ex præcedente membro particulam לא *lo*, id eſt, *non*, ſic, *aures non fodiſti mihi*, hoc ſenſu, non audire feciſti tale quid in auribus meis, dũ loquereris tu mecum in monte Sinai. Verùm hoc nimis eſt argutum. E Latinus pro *perfodiſti* habet *perfeciſti*, ſiue quòd hoc pro illo obrepſerit, ſiue quòd ille legerit fortaſſe כִּלִּיתָ *cillitha*, id eſt, *perfeciſti*, pro כָּרִיתָ *caritha*, aut ſenſum tantùm ſequutus ſit, idem enim eſſe videtur aures perfodere, & perficere. Mirũ eſt Latinum non ſecutum hîc Græcum interpretem, qui habet σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. D. Paulus, aut ſi quis eſt alius Epiſtolæ ad Hebræos autor, cap. 10. laudans hunc locum, Græcum, vt ſolet, ſequitur: nec mirum, cùm Græcè ſcriberet. Neque enim Hebraicè ſcripſiſſe putarim, cùm nuſquam hebraica illa epiſtola, ſaltem legitima, reperiatur: longè enim reiicienda ea, quam finxit Munſterus. Aliud eſt ſi ſcripſit Syriacè: quod non crediderim. Ianſenius, Epiſcopus Gandauenſis, Paulum ſcribit citaſſe quomodò eſt in Græco, quòd ea lectio tunc multùm recepta ſuo propoſito magis conueniret. De ſenſu Græcæ illius verſionis, quem multi iam pertractarunt, nil attinet nunc dicere, cùm noſtri non ſit inſtituti, qui Hebræa tantùm interpretamur, nec ſenſus illos propheticos, & ſubliminores audemus attingere. Profectò tanti ponderis apud nos fuiſſet D. Pauli autoritas citantis & vrgentis ex Græco, vt ab Hebræo hîc libenter receſſiſſemus, niſi Vetus & Vulgata verſio cum textu Hebræo hîc conſentiret, & D. Hieron. ex Hebræo vertiſſet *aures fodiſti mihi.* Potiùs igitur quàm temere diſcedam à Vulgata verſione, aut D. Hieronymo, (taceo enim nunc Hebræum textum, quando tam paruĩ momenti eſt apud quoſdam) ſic ſtatuo & Græcum, & Hebræum codicem, cui hîc conformis eſt Latina verſio, verum atque optimum habere ſenſum, & vtrumque quidem à Spiritu ſancto, ſi fortè tamen diuerſus eſt ſenſus. Abſit, abſit vt dicam Hebræum codicẽ hîc eſſe corruptum. Nam ſi ita eſſet, ſequeretur etiam Latinam verſionem eſſe corruptam, quod profectò non facilè admiſerim. Neque verò poſſum illi aſſentiri, etſi vt virum pium iuxtà & doctum (abſque adulatione dico) ſuſpicio, qui in ampla illa Præfatione in Biblia Septuaginta nuper à ſe edita ingentem & manifeſtiſſimam corruptionem hîc eſſe clamat, eámque nititur demonſtrare. Adeóne parui momenti eſt apud illum Vulgata verſio, vt in illa ſtatuat ingentem & manifeſtiſſimam eſſe corruptionem? Diceret potiùs duplicem hîc eſſe lectionem, quàm eam iniuriam Veteri verſioni faceret. Vt enim fortè aliquot in locis, ac ſatis ſæpe in Pſalmis, (quia ſcilicet illic ex Græco eſt) Vulgata verſio corrupta videri poſſit: non adeo tamen, vt ingentis erroris ſeu corruptionis argui debeat aut poſſit, eiúſque quæ, vt illius, quem dixi, verbis vtar, tantum abeſt vt cum Apoſtolo conciliari poſſit, vt quam inſtituit demonſtrationem penitus labefactet. Non ergo legit vir tam variæ lectionis Cornelium à Lapide qui optimè ac facilè id quod eſt in Hebræo & Latino cum textu D. Pauli conciliat, docens eundem eſſe ſenſum, ſiue legas *aures*, ſiue *corpus perfodiſti*, vel *perfeciſti mihi*: ſenſum enim eſſe: Feciſti, ô Pater, me Chriſtum ſeruum tuum docilem, obedientem, & perpetuum, (talis enim

Digitized by Google

ſeruus Exodi 21. v. 6. ſolebat aurium per- A foſſione notari) hoc ipſo quo formaſti humanitatem meam cum gratia vnionis & habituali, cúmque auribus perforatis, id eſt, cum ſeruitute & obedientia perpetua & difficillima in re duriſſima, ſcilicet morte crucis obeunda, quæ obedientia aures magis terebrat quàm ſubula. Hinc enim, inquit, ſeruis perforabatur auris, vt ſcirent ſe moleſta herorum imperia excepturos, quæ quaſi ſubula aurem perforarent. Si mihi parum fidem habes, illum adi. Idem antè ſcripſerat Lyranus, quem magis miror non B lectum, ad hunc verſum, ſed breuiùs, ſic, *Aures autem perfeciſti mihi.* Ad Heb. 10. dicitur *corpus autem aptaſti mihi*, vt dictum eſt: tamen eadem eſt ſententia cùm dicitur *aures autem perfeciſti mihi*, id eſt, aures perfectas ad obediendum: quod fuit in hoc quòd fuit obediens Deo Patri vſque ad mortem crucis, vt habetur Philipp. 2.

8 *Tunc dixi*, &c. *Tunc* ergo cùm à morbo conualui, aut ex anguſtiis emerſi, *dixi* apud me: Quandoquidem non vis ſacrificium, aut oblationem, non venio obla- C turus ſacrificia, ſed *Ecce venio*, hoc eſt, Ecce præſto ſum ad tuum obſequium: nam id mihi Lege tua imprimis præſcriptum eſt: quod quidem ſignificatur his verbis, *in volumine libri ſcriptum eſt de me*, vel *ſuper me*, quid nimirum facere debeam, & quo modo & in quibus obſequium tibi tenear præſtare. *Volumen libri* Liber Legis κατ' ἐξοχὴν appellatur: *volumen* porrò, quòd olim, vt nunc quoque, Iudæi Librum legis complicarent ac conuoluerent in cylindri morem. Hodie quoque Iudæi quinque hos libros, *Canticum canticorum*, *Ruth*, *Threnos Ieremiæ*, *Eccleſiaſten*, *Eſter*, com- D plicatos habent in membranis; qui idcirco חמש מגלות *chameſch megilloth*, hoc eſt, *quinque volumina* appellari conſueuerunt.

9 *Viſcerum meorum*, hoc eſt, cordis mei, iuxta Kimhi: cor enim, inquit, eſt ex viſceribus. Bene ergo Latinus *cordis mei*, cùm apud Græcum τῆς κοιλίας μου. Hactenus hos tres verſus ex ſententia Hebræorum ferè interpretati ſumus: nunc audiamus E meliorem interpretem D. Paulum ad Hebræos 10. qui altiùs reſpiciens, & ad eum potiùs cuius Dauid imaginem gerebat, quàm ad Dauidem, ſic ſcribit, *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens* (ſupple Chriſtus) *mundum dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: holocautomata, & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: vt faciam Deus voluntatem tuam.* Etc. De quo loco nihil dicam, quia iam multi dixerunt. Sequor ego tantùm quæ ad primum ſenſum literalem, & qui per totum pſalmum perpetuo contextu fluere poſſit, pertinent, alios ſenſus conſultò omittens, quos iam multi perſecuti ſunt. Neque verò negare quiſquam poteſt præter primum illum ſenſum litteralem dari quoque alium, cúmque ſublimiorem, ac primarium. Dauid enim, qui ſciret ſe Chriſti typum gerere, de ſe ſcribens aut loquens, ſæpe, quaſi œſtro diuino percitus, excurrit, ac potiùs de eo, quem repræſentabat, quàm de ſe loquitur.

10 *Annuntiaui iuſtitiam* &c. Oſtendit ſe palàm Dei iuſtitiam celebraſſe, nec tantùm intus Dei lege delectatum, ſed etiam aliis teſtatum, ac teſtaturum de iuſtitia, quâ à Deo eſt ſeruatus, ac protectus. Perſpicuus eſt hic verſus de Chriſto, quem non tantùm oportuit pati, & reſurgere à mortuis: ſed & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, vt ipſemet Chriſtus dicit Lucæ 24.

11 *Veritatem* &c. *Veritas Dei* eſt, cùm Deus promiſſa præſtat: miſericordia, quum aliquid præterea addit. Vtrumque ſic definit hoc loco Kimhi.

12 *Tu, Domine, ne longè facias* (heb. *cohibeas*) *miſerationes* &c. Senſus eſt, Quemadmodum me nunc ſeruâſti, ſic ſerua deinceps, neque ſubtrahe à me tuam miſericordiam, quum mihi opus erit. Perge ſicut adhuc feciſti, *Quoniam circundederunt* &c. Chald. habet *Propterea tu Domine* &c.

13 *Quoniam circundederunt* &c. Adfert rationem à neceſſitate: Siquidem, inquit, ſcio me eſſe hominem, atque adeo innumeris periculis ſemper obnoxium, & malis vndique obſeſſum, quæ meo capiti perpetuò impendeant, aut capitis verticem ſuperent, id quod ſignificat *circundederunt ſuper me*, ita enim eſt ad verbum, pluſque in Hebræo, quàm in Græco & Latino: nam τὸ *ſuper me* ſingularem habet emphaſim. *Comprehenderunt me iniquitates meæ*, hoc eſt, premunt me pœnæ peccatis debitæ, nec poſſum illas effugere. Gallicè *mes iniquitez m'ont attrapé.* Pœnas peccatis debitas vocat *iniquitates*, quia hæ illarum cauſæ ſunt. Sic Geneſ. 4.13. *Maior* (*eſt*) *iniquitas mea, quàm vt feram*, hoc eſt, pœna iniquitatis, iuxta Ezrâ: ſcio enim à Chald. Græco, Latino, & omnibus aliis ferè Hebræis locum hunc Geneſeos aliter accipi, vt agnoſcit ipſe Ezra, qui tamen ſuæ interpretationi fidem facit ex verſu ſequente. Sed non deſunt alij loci, vbi *iniquitas* pro pœna iniquitatis ſumatur: exempli gratia Thren. 4.6. *Maior effecta*

eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomæ, quæ ſubuerſa eſt quaſi in momento, &c. vbi clarum eſt quid ſignificet *iniquitas*. Sic 1. Sam 28. 10. *Viuit Dominus, ſi euenerit tibi pœna* (ad verb. *iniquitas*) *propter hanc rem*, vbi Vulgatus habet, *Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quicquam mali* &c. *Non potui videre* omnes meas iniquitates, quia ſunt innumeræ. *Et cor meum*, hoc eſt, cogitatio ac mens mea, *dereliquit me*, ac deſtituit, vt numerare illas nequeam. Sic, inquit Kimhi, vir pius in ſuis ad Deum precibus ſua peccata augere atque amplificare debet: contrà verò ſua merita minuere, & extenuare. Fortaſſe *non potui videre*, necnon *cor meum dereliquit me*, hyperbolicè, inquit Kimhi, ſunt accipienda, quaſi dicat, oculi caligauerunt, nec ſum, ſeu, cor meum eſt apud me præ timore, quem mihi adferunt peccata.

14 *Placeat tibi, Domine, eruere me* ſemper à variis, & incertis periculis, quæ vitam humanam perpetuò obſident.

15 *Confundantur*, &c. Ac ſic pudore ſuffundantur inimici, qui me ad necem quærunt, quum viderint te mecum eſſe, ideóque ſe nihil poſſe aduersùm me. Sic Kimhi, niſi quòd verba narratiuè, non verò imprecatiuè videtur accipere, quod parum intereſt. Sanctes Pagninus quoque in hoc, & duobus ſequentibus verſibus vertit verba per futurum indicatiui modi. *Conuertantur retrorſum*, hoc eſt, irrito conatu reuertantur. In fine pſ. 35.[i] multa ſunt huic & ſequentibus verſibus ſimilia.

16 *Pro mercede*. עָקֵב *akeu*, propriè ſignificat *calcem, calcaneum*: indéque עֵקֶב *ekeu, finem*: necnon *mercedem* in bonam, & malam partem, quòd ſicuti calcaneus, inquit Kimhi ad verſ. 12. Pſal. 19. vbi hæc vox in ſignificatione *mercedis* occurrit, extrema eſt corporis pars, ita merces operis finis eſt; nec opus hominis vnquam perfectum eſt, niſi quo die moritur. *Pudoris ſui*, hoc eſt, pudoris, quo ipſi me cogitant afficere. *Qui dicunt*, hoc eſt, dicere ſolent in meis malis, vt ego nuperrimè ſum expertus. *Mihi*: vel iuxta Raſi, *ſuper*

A *(de) me*, ſeu *propter me*. Quòd ל interdum non ſit nota dat. ſed ſignificet *ſuper, de*, iam ſæpe dictũ eſt. *Euge*, &c. hoc eſt, Lætare, per ludibrium ſcilicet; vel ſi vertis *de me*, aut, *propter me*, Lætemur inter nos.

17 *Exultent* &c. ſpem certam tui auxilij concipientes ex tuo erga me fauore. *Quærentes te*, hoc eſt, qui à te ſolo opem ac ſalutem quærunt: quod etiam ſignificat illud, *qui diligunt ſalutem tuam*. Sic ferè Kimhi. *Magnificetur Dominus*. Miraculis, ac beneficiis creſcit apud homines Dei gloria. Quum ergo nouum miraculum à Deo
B patratum eſt, aut nouum beneficium ab eo eſt ortum, iure dici ſolet, *Magnificetur Dominus*, hoc eſt, Celebretur & prædicetur palàm hoc nouum miraculum, ac beneficium, ac ſic Dei gloria inter mortales creſcat, & propagetur. Alioqui enim quomodò dici poſſet Dominus magnificari, cuius magnitudo eſt infinita, & quem cœli, & terra capere non poſſunt?

18 *Ego autem miſer* (ſeu *inops*, in Vulg. emphaticè *mendicus*) *ſum, & pauper*; &c. Optima ratio implorandi, impetrandíque diuini auxilij. Nunquam enim Deus magis
C fauet, quàm quum maximè vrgent ac premunt mala. Cùm, inquit, miſer ſim, ac pauper, Dominus mihi proſpiciat. *Sollicitus ſit mei*: ad verb. *cogitet mihi*, vel *de me*: verculè *qu'il penſe à moy*. Sunt qui vertant per fut. indicatiui modi *cogitabit*. In Vulg. *ſollicitus erit*. Sed noſtram verſionem probat imprimis poſterius membrum huius verſus: necnon id, quod pro hoc reperitur verſu 6. pſ. 70. qui pſalmus ex poſtremis huius pſalmi verſibus ferè conſtat. Pro hoc ergo ibi eſt, *feſtina ad me*. Dauid, etſi rex, mi-
D ſerum, mendicum, ac pauperem ſe dicit, quòd ſciret quãto in maiore dignitatis gradu homo conſtitutus eſt, tantò magis Dei ope indigere, cùm nihil poſſit, niſi per Deum, nihil habeat niſi à Deo, imò niſi à Deo mendicet, iuxta illud Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis*. Alibi Dauid, nimirum pſal. 25. 16. vnicum, & pauperem ſe eſſe dicit: qua de re vide ad locum illum.

Digitized by Google

PSALMVS

XL. | XLI.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Pſalmus ipſi Dauid.

2 Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

3 Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.

4 Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.

5 Ego dixi, Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi.

6 Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen eius?

7 Et ſi ingrediebatur vt videret, vana loquebatur, cor eius congregauit iniquitatem ſibi.

8 Egrediebatur foras, & loquebatur in idipſum.

9 Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei: aduerſum me cogitabant mala mihi.

10 Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me: Numquid qui dormit non adijciet vt reſurgat?

11 Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui: qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.

12 Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me: & retribuam eis.

13 In hoc cognoui quoniam voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.

NOVA.

PRAECENTORI, Pſalmus Dauid.

2 Beatus qui attendit ad ægrotum: in die mala [a] liberabit eum Dominus.

3 Dominus conſeruet eum, & viuificet eum; beatus ſit in terra: & [b] non tradas eum in animam inimicorum eius.

4 Dominus fulciat eum ſuper lectū doloris: vniuerſum ſtratum eius verſa in infirmitate eius.

5 Ego dixi, Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi.

6 Inimici mei dicunt malum [c] mihi: Quando morietur, & peribit nomen eius?

7 Et ſi venit (quiſpiam) ad viſendū, mendacium loquitur; cor eius congregat iniquitatem ſibi: [d] egreſſus foras lòquitur.

8 Simul aduersùm me ſuſurrant omnes odio habentes me: aduersùm me cogitant malum mihi.

9 Res [e] peſſima [f] effuſa (eſt) in eum: & qui decumbit, non adiiciet vt reſurgat.

10 Etiam [g] homo pacis meæ, in quo ſperaui, (&) [h] qui edit panem meum, magnificauit aduerſum me calcaneum.

11 Tu autem, Domine, miſerere mei, & reſuſcita me: & retribuam eis.

12 In hoc cognoui quòd [i] voluiſti me: quoniam non [l] triumphabit inimicus meus ſuper me.

a vel *liberes*
b vel *ne*
c vel *de me*
d heb: *egreditur*
e ad verb. *belial*
f vel *adhæret ei:*
g heb. *vir*
h heb. *comedens*
i *dilexiſti*
l *vociferabitur*, ſeu *clanget*, aut *iubilabit*.

13 Et me propter innocentiam meã ſuſtentaſti, & conſtituiſti me in conſpectu tuo in [m] æternum.

m ſeculũ.

14 Benedictus Dominus Deus Iſraël, à ſeculo & vſque in ſeculum: [n] fiat, fiat.

n amen, & amen.

14 Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti: & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

15 Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo, & vſque in ſæculum: fiat, fiat.

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *HVnc pſalmum compoſuit Dauid, vt apparet ex contextu, & dicetur ſuo loco, quum recèns ex graui, ac deplorato morbo conualuiſſet, aut ſaltem inciperent vires recreari. Hebræi putant, quum adhuc decumberet oppreſſus morbo. Initio igitur pſalmi, quia videbat, aut potiùs recordabatur ſe, cùm ægrotaret, ab ijs quoque quos familiares habuerat, deſertum, atque etiam inſidiis petitum, laudat, & bene ijs precatur, qui ægrotos, ac calamitoſos miſerantur. Poſtea Dei opem ſupplex implorat, longam inſtituens querelam de hoſtium odio, & perfidia amicorum: aut certè, ſi poſt morbum pſalmus compoſitus eſt, narrat quid æger atque ab omnibus deſertus fecerit, ſe nimirum ad Dei miſericordiam confugiſſe: refertque per Mimeſim quibus verbis Deum compellauerit. Apparet hæc, de quibus Dauid conqueritur, contigiſſe circa ea tempora, quando iam Abſalom prauis artibus magnatum, ac populi ſtudia ſibi conciliaſſet: tunc enim Dauid, quum in morbum incidiſſet, expertus eſt ſummorum etiam amicorum perfidiam; quippe quibus rerum nouarum cupidis, vt fit, nihil longius eſſet (nec idipſum Dauidem latuit) quàm vt moreretur, & alius in eius locum ſufficeretur, qui ipſorum cupiditatibus indulgeret, & diſciplinæ vincula laxaret.*

2 *Beatus*, hoc eſt, Bene erit, vel, Sit ei *qui attendit ad ægrotum*, hoc eſt, curam gerit ægroti, eique conſulit: qui ægrotum inuiſit, & quibus poteſt rebus iuuat. *Ægrotum.* דל *dal*, ſignificat exhauſtum, ſeu attenuatum opibus, vel carne, vt loquitur Ezra, hoc eſt, *egenum*, vel *ægrotum*. Poſteriori modò hîc accipiendum eſt, vt apparet ex contextu pſalmi. Sic quoque accipitur 2. Sam. 13. 4. Atque ita accipiunt Hebræi. *In die mala.* Diem malam appellat tempus calamitoſum. Raſi gehennam interpretatur. *Liberabit*, vel *liberet*, propterea quòd in ſequente verſu eſt particula אל *al*, id eſt, *ne*, quæ eſt deprecandi. Bene tamen, meo iudicio, Græcus, & Latinus, qui enunciatiuè verterunt, *liberabit*, vt vtrumque membrũ verſus vno contextu flueret, vt ſolet, & enũciatiuum eſſet: cùm in ſequentibus verſibus propter particulam ſuprà dictam verba per optatiuum expreſſerint. Quòd ſi omnia enunciatiuè exponere volueris, ſuprà dicta particula erit tantùm negantis, ac vertenda *non*, vt aliàs interdum, ſic, *non trades*. *Eum*, qui ſcilicet ægroto curam impendit atque adhibet.

3 *Conſeruet eum* incolumem. *Viuificet eum*, hoc eſt, ad prouectam ſenectutem perducat. *Beatus ſit* &c. Græc. & Latinus ſiue aliis punctis legerint, ſiue tãtùm ſenſum ſecuti ſint, vertunt *beatum faciat eum*: quod A certè optimè cum præcedentibus cohæret. Chald. actiuè etiam interpretatus eſt, *benefaciat ei*. *Non tradas* &c. Subita enallage, quam Græc. & Latinus correxerunt: ſunt enim in iſtis linguis inſuaues & raræ eiuſmodi figuræ: contrà in Hebræa frequentes, ac venuſtæ, necnon emphaticæ, quippe quæ ſubitos, ac varios animi motus, atque adeo ingentes affectus indicent, vt hoc loco. Ezra obſeruat hîc deeſſe aliquid, exempli gratia, *verbum*, aut *decretum Domini*, ſcilicet *ne tradat*, quæ hebraicè optimè B conuenient; nam illa nomina hebraicè ſunt fœm. gen. nimirum אמרה *imra*, & גזרה *gezera*, & verbum hebraicum poteſt eſſe tertiæ perſonæ, fœm. generis. Sed hoc longinquum videtur. Prius ergo magis probo cum Ezra. *In animam*, hoc eſt, in deſiderium. Vide ad verſ. 12. pſ. 27.

4 *Fulciat eum* &c. hoc eſt, Si quis aliquando morbus interuenerit, præſto ſit C Deus, eique vires, ac patientiam addat aduerſùs dolorem. *Vniuerſum ſtratum eius* &c. Eſt hîc quoque inſignis enallage perſonæ, quâ ſubitò ſermonem ad Deum conuertit, & tuis, inquit, manibus inſtar pientiſſimæ ac vigilantiſſimæ matris lectum eius verſa, quò molliùs & ſuauiùs recumbat. Dicit *vniuerſum*, vt exprimat non leue tantùm Dei officium erga ægrotum, ſed diligens omnino & exactum. In Hebræo eſt ver-

Digitized by Google

bum præt. temp. nimirum *vertiſti*, vel *verſaſti*, pro *verſabis*, ad maiorem certitudinem exprimendam, pro more. Illud autem *verſabis* eſt per modum precationis, vt annotat Kimhi. Idcirco nos ſenſum magis quàm vocem ſequuti per imperatiuum expreſſimus: etſi non ignoraremus Sanctem Pagninum in Hebraicis Inſtitutionibus, lib. 3. cap. 12. obſeruare præteritum loco imperatiui non inueniri.

5 *Ego dixi* tunc quum ægrotarem, méque ſummorum etiam amicorum ſolatia deficerent. Incipit hîc Mimeſis illa, de qua in argumento, duràtque ad verſum vſque 12. Si verò cum Hebræis ſenſeris hunc pſalmum à Dauide adhuc ægro eſſe compoſitum, verte potiùs *Ego dico*, ita vt in Fonte ſit præteritum pro præſenti, vt ſæpe fit, præſertim cùm ſignificatur aliquid, quod non ſemel, aut nunc tantùm fit, ſed antea iam, & ſæpe factũ eſt, vt hoc loco. *Animam meam.* Dicit *animam meam*, non autem corpus meum, quòd ſciret peccata cauſam eſſe morbi, ſéque propter animæ morbum in morbum corporis incidiſſe. Itaque conualeſcente anima per expiationem peccatorum non dubitabat corpori quoque rectiùs futurum. Sic ferè Kimhi. Potes interpretari *animam meam*, hoc eſt, *me*, *ma perſonne*. Vide ad verſ.5. pſ. 6. Erit hæc interpretatio fortaſſe ſimplicior. *Quia peccaui* &c. Ad mentẽ Ezræ vertendum eſſet, *etſi peccaui* &c. hoc ſenſu, miſerere mei, & ſana me, etſi peccaui tibi. Adfert exemplũ ex Exod. 34. 9. Sed de hac re diximus ad verſ.11. pſ.25.

6 *Dicunt malum mihi*, hoc eſt, malum mihi imprecantur, mihi maledicunt, optant D ſcilicet meam mortem, *Quando*, inquiunt, *morietur*, &c. Si Ezram, & Kimhi ſequi volumus, vertendum erit *dicunt malum de me*, vt lamed in לִי *li*, non ſit articulus datiui, ſed ſignificet *de*. Citat Ezra in exemplum illud Exod. 14 3. *Dicturúſque eſt Pharao* לִבְנֵי *liune*, hoc eſt, *de* (in Lat. *ſuper*, in Græc. περὶ) *filijs* &c. Obſeruat Card. Bellarminus *mihi*, hîc poſitum eſſe pro, de me. Certè mihi videtur è conſuetudine hebræi ſermonis magis eſſe, vt exponatur *de me*: & in fragmen- E tis Symmachi eſt περὶ ἐμοῦ: in Syriaca quoque verſione eſt עֲלַי hoc eſt, *ſuper me*, *aduerſum me.* Siue vertas hoc, ſiue illo modo, eadem ſententia efficitur: nam *dicunt malum mihi*, ſeu *de me*, nihil eſt aliud, quàm mihi imprecantur. Quòd lamed interdum ſignificet *de*, aliàs iam ſæpe dictum eſt, ac præſertim ad verſum 3. Pſal. 3.

7 *Mendacium loquitur*; &c. Senſus eſt, ille ſimulat coram me ſibi ægrè eſſe morbum meum, ac verbis quidem amicitiam

A teſtatur, ſed interim animo multa aduerſum me comminiſcitur, explorans ac notans omnia quæ dico, aut facio, ac ipſum genus morbi, quæ omnia egreſſus domum aliis refert. *Congregat.* Hoc verbo ſignificat non vnum tantùm dolum, aut malum apud ſe meditari, ſed multa, hinc inde omnia obſeruando, ac luſtrando: verbum enim קָבַץ *kauats*, quod hoc loco vſurpat, propriè ſignificat congregare quæ diſperſa ſunt. Porrò cùm loquitur in ſingulari numero, videtur notare Achitophelem, aut B alium quempiam ex conſiliariis Abſalomi, qui præ cæteris ad malas artes, ac fraudes fuerit compoſitus.

8 *Simul aduerſùm me ſuſurrant* &c. tunc ſcilicet cùm de morbo per iſtum, quem dixi, cognouerint. *Suſurrant* clanculũ, vt impij ſolent, conſilia inter ſe conferentes. *Malum mihi*, hoc eſt, quod eſſet malum mihi, nimirum id quod eſt in ſequente verſu.

9 *Res peßima effuſa* (*eſt*) *in eum:* &c. Illud eſt quod dixit ſuſurrare ac cogitare aduerſum ſe oſores ſuos: reférque per Mi- C meſim eorũ verba & cogitata. *Res peßima*, ſeu *nequißima*, morbus ſcilicet grauiſſimus: aut *res peßima*, hoc eſt, res extremæ improbitatis, grauiſſimum ſcilicet peccatum, quod grauiſſimam pœnam mereatur: propterea nunquam ſurget è lecto. Vtroque modo Kimhi: poſteriore Raſi, qui hunc verſum ſic interpretatur, Omnia, quę perpetrauit, ſcelera in eius corpus confertim effundentur: & quandoquidem decubuit, haud ampliùs ſurget: ſic maledicunt atque imprecantur mihi. *Res peßima.* Ad verb. *Verbum belial.* *Verbum* pro re: nam *verbum* tam latè, imò latiùs apud Hebręos patet, quàm vox vernacula *choſe*. Perſpicuitatis gratiâ verti *Res.* Vox *belial* ſingularem habet emphaſim, & energiam: nam ſignificat, vt bene obſeruat Mercerus in בְּלִ, *hominem nequam*, *ſummè ſceleratum*, *profligatum*, *perditum*, *deploratum*, vernaculè *vn vault-rien*, ou *vault-neant*: vel, ſi ſit ſubſtantiuum, *nequitiam & extremam improbitatem*: hoc verò loco *rem peßimam*, id eſt, morbum ditum & difficilem, atque adeo deploratum. *Effuſa eſt.* Vertendum eſſet ad Ezræ, & Kimhi mentem, *adhæret ei firmiter*, vel *fixa* (ſeu *firma*) *eſt in eo*, quod eódem recidit: atque hoc ſignificat vox hebraica יָצוּק *iatſuk*, Iob 41. verſ. 14. & 15. Sed prior ſignificatio maiorem habet emphaſim, háncque ſequutus eſt Raſi, niſi quòd accepit in futuro à rad. צוּק *tſuk*, nos verò in participio præterito, ſeu *Paul*, quod vocant, à rad. יָצַק *iatſak*, quæ ſignificat *fudit*, *effudit*, *diffudit*. *Nõ adijciet* ſeu *addet* &c.

hoc eſt, conualeſcere non poteſt: nunquam iterum conualeſcet.

10 *Etiam homo pacis meæ*, &c. Hactenus de hoſtium odio, nunc de amicorum perfidia querelam inſtituit: ac quoniam loquitur in ſingulari numero, videtur notare præcipuum quendam amicum, quicum ſuauiſſimè viueret, & quem quotidie ſuæ menſæ adhiberet. Vel collectiuè eſt accipiendum quod dicit, *homo (ſeu vir) pacis meæ*, &c. vt omnes eos intelligat, cum quibus iniſſet ſingulare fœdus amicitiæ, in quorum fide acquieſceret, illos, vt fit, ſuâ menſâ communicans: quanquam his verbis, *qui edit panem meum*, domeſticos potiùs intelligerem, nam hoc magis eſt in promptu, ita vt hoc verſu, & amicos ſimul, & domeſticos notet, illúdque *homo pacis meæ*, amicos; hoc verò, *qui edit panem meum*, domeſticos ſignificet, hæcque duo diſiunctím ſint accipienda. Neque verò ignoro ipſum Chriſtum Iohan. 13. hoc interpretari de Iuda ſuò proditore. Quæ res pleroſque mouit, vt, omiſſo Dauide, hunc pſalmum tantùm de Chriſto exponerent. Sed vt certum quidem eſt Dauide, tanquam typo, Chriſtum, necnon Dauidis proditore Chriſti proditorem adumbrari, quod Chriſtus Dominus duntaxat voluit loco Iohan. cit. ſic certum eſt ad litteram hunc pſalmum de Dauide eſſe accipiendum, quod ipſe contextus apertè docet, in quo multa ſunt, quæ Chriſto non poſſunt competere, at bene Dauidi ægrotanti: ex. gr. illud, *ſana animam meam, quia peccaui tibi*: necnon *& qui decumbit, non adijciet vt reſurgat*: & alia. Diligenter ergo cõſiderandum quæ ad Chriſtum referri & accommodari queant, quæ non: non in hoc pſalmo tantùm, ſed in omnibus. Et Chriſtus ipſe hunc verſum citauit abſque his verbis *in quo ſperaui*: nimirum ad ſe accommodans, prout opus fuit: certum enim eſt Chriſtum in Iuda minimè ſperaſſe, nec falſum fuiſſe, qui longè antè norat ſuum proditorem, & prædixerat fore vt proderetur. Sunt idcirco qui illud, *in quo ſperaui*, ad Chriſtum etiam referentes, explicent de credita pecunia, diſpenſatione menſæ, apoſtolatu, familiari colloquio, miniſterio verbi, virtute miraculorum, cibi, menſæque ſocietate, &, quod omnium caput erat, ſuperdiuino ſui corporis ac ſanguinis edulio.

Magnificauit aduerſum me calcaneum, hoc eſt, magnas mihi comparauit inſidias: magnos ſtruxit dolos: petitâ metaphora ab iis qui eum, quicum curſu certant, ſuppoſito pede deiiciunt, ac ſupplantant. Bene ergo & ad ſenſum Græc. & Lat. verterunt, *magnificauit ſuper me* (ἐπ' ἐμὲ) *ſupplanta-* A *tionem*, ſeu *dolum*, πτερνισμόν. Chaldæus interpretatus eſt *magnificauit ſe aduerſùm me ad callidè agendum*. Sed enim obſeruat Raſi vocem Hebraicam עָקֵב. ακευ, ſignificare hoc loco *inſidias*, quemadmodum & Ioſuæ 8. 13. Chriſtus Iohan. 13. interpretatus eſt *leuabit contra me* (Græc. ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ) *calcaneum ſuum*, quod nihil aliud eſſe videtur, quàm extulit aduerſùm me calcem, & calcibus, vt dici ſolet, impetiit. Nota obiter Chriſtum loco notato non ſe adſtrinxiſſe verbis Græci Interpretis Pſalmorum, ſed ſententiæ duntaxat. Vide integrum locum B & confer. Poſſis vertere *magnificauit ſuper me calcaneum*, quod erit pro eo quod Latini dicerent *calcibus protriuit*; quo quidem loquendi genere ſignificant manifeſto, & omni iniuriarum genere aliquem afficere, atque opprimere. In verbo autem *magnificauit* erit emphaſis. Alienior eſt interpretatio Ezræ, qui ferè ſic exponit, magnificauit calcaneum ſuum, vt non me inuiſeret, & magnum aliquem ſe æſtimauit. Vulgò diceremus, magni fecit paſſus ſuos, nec me dignum iudicauit, quem inuiſeret.

C 11 *Tu autem, Domine*, &c. Redit ad precationem quam fuerat exorſus. *Miſerere mei*, contrà quàm illi dicunt, *Res peßima* &c. *& reſuſcita me*, πρὸς τὸ *non adijciet vt reſurgat*. *Et retribuam eis*. Non dicit, inquit Kimhi, ſe aliquid mali illis facturum, qui pſal. 7. 5. ait, *Si reddidi retribuenti mihi mala: imò eripui oppugnantẽ me ſine cauſa*: ſed oſtẽſurũ illos feciſſe malè, cogitãdo ſe opprimendũ morbo. Aut, iuxta eundem Kimhi, ſignificat ſe non induturũ ſaccum, quum ægrotarint ipſi, nec pro illis (nota hæc Iudæi D verba) oraturum, neque ægrè laturum eorum ærumnas. Sapit poſtrema hæc interpretatio dogma illud antiquũ, *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: quod reprehendit ac corrigit Chriſtus Matth. 5. his verbis, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*: &c. Simile legere eſt Lucæ 6. Hanc autem doctrinam ſuo exemplo ipſe Chriſtus perſuaſit, *qui cùm maledi-* E *ceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè*, vt dicit D. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. Bene & chriſtianè quidam ex Hebræis: *retribuam eis* bona pro malis: ſicuti illius moris fuit, quemadmodum dicit pſalm. 35. 13. *Ego autem, cùm ægrotarent ipſi, induebar ſacco; affligebam in ieiunio animam meam*.

12 *In hoc cognoui* &c. Verbum *cognoui* & alia præt. temporis, quæ ſunt in ſequente verſu, fecerunt vt crederem hoc carmen à Dauide poſt morbum eſſe compoſitum, aut

Digitized by Google

ſaltem quum ſentiret vires recreari, ac morbum mitigari. Ergo hactenus à verſu 4. retulit quibus verbis æger Deum compellauerit. Nunc Deum alloquens dicit in ea re eius erga ſe beneuolentiam agnouiſſe, quòd non habituri ſint inimici vnde triumphent, quia ſcilicet, vt eſt verſu ſequente, adhuc Dei opē ſaluus & incolumis perſtet. Si in ipſo morbo hoc vis dictum eſſe, dicendum *cognoui* eſſe pro *cognoſcam*, ſicut & verba ſequentis verſus: præter. pro futur. more prophetico: quo modo accipiūt Raſi, Kimhi, & alij. *Voluiſti me*, hoc eſt, bene voluiſti, ac bene vis mihi, eiuſmodi e- B nim præterita præſens etiam includūt. Verbum hebræum חָפֵץ *chaphets*, cum ב conſtructum, vt hîc, propriè ſignificat *bonam voluntatem habere, complacere, delectari, amare.*

13 *Et me* &c. Ad verb. *Et ego, in integritate mea ſuſtentaſti me:* vbi magna eſt Emphaſis in hoc pronomine, *ego*, quod per pleonaſmum elegantem, nec inutilem eſt additum, quaſi Dauid triumphans de hoſtibus ſe cū aliqua oſtentatione demonſtret. Similis eſt vſus huius pronominis pſ. 73. 2. in Hebræo, *Et ego, pene declinauerunt pedes mei:* C & alibi. *Conſtituiſti me*, ſcilicet viuum ac ſanum. *In conſpectu tuo*, ſeu *coram te*, hoc eſt, inquit Kimhi, ad tuum cultum. *In ſeculum*, hoc eſt, bene diu, & quàm longum eſſe poteſt humanæ vitæ ſpatium: perinde ac ſi diceret, diu ſe victurum, nec, vt ait Kimhi, ante ſuum tempus moriturum.

14 *Benedictus* &c. Concluditur pſalmus, vel potiùs primus Pſalmorum liber gratiarum actione. *Fiat, fiat*, heb. *amen, & amen.* Repetitur hæc vox ad ingentem affectum, maiuſque deſiderium exprimendum. D *Amē* quippe vox eſt aſſentientis, & approbantis, quâ vtuntur Hebræi poſt preces & benedictiones, optantes aut certò ſibi pollicentes harum veritatem, & ſucceſſum. Vulgò nota vox, quam commodè Latinus poſt Græcū reddidit *fiat*, quod nihil aliud eſt, quàm firmum, ratúmque ſit. Sic 2. Corinth. 1. accipiendum eſt *Amen*, vbi ait Apoſtolus, *Ideo per ipſum* Chriſtū (*dicimus*) *Amē Deo*, hoc eſt, quotidie in fine precum ad Deum E adhibemus *Amen*, hoc eſt, confirmandi particulam ſignificantem *fiat* ſeu *fiet*, nempe certi per ipſum Chriſtum, in quo *non eſt Eſt & Non*, hoc eſt, qui non poteſt fallere & inconſtans eſſe, omnes Dei promiſſiones eſſe adimplendas, & hoc dicimus *ad gloriam noſtram*, qui propterea iure gloriari poſſumus veraces nos quoque eſſe exemplo Chriſti Domini, quē imitamur, & à quo ad Apoſtolatus gratiā vocati ſumus. In exponendo *amen* iſtius loci Paulini valde labo- A rant Interpretes, qui plerique vel diſcedunt à genuina ſignificatione verbi *amen*, vel non ſatis apta & cohærentia loquuntur. Expende hanc, quam tibi damus, expoſitionē, & cum loco confer. Fortaſſe non erit ingrata. Veniat interim tibi in mentem ſic ſolere claudi orationes ac preces, quæ in Eccleſia fiunt, *per Chriſtum* &c. *Amen.* Quæ res noſtram expoſitionem non parum confirmat. Huius loci eſt admonere triplex Talmudiſtis Hebræorum improbari *amen*, *pupillum* vnum, quod in ſuâ linguâ dicunt יְתוֹמָה *ietoma*, quod quis non intelligens reſpon- B det: *raptum* alterum, ijs vocatur חֲטוּפָה *chatupha*, quod quis non abſoluta precatione reſpondet: tertium קְטוּפָה *ketupha*, id eſt, *ſectum*, quod quis aliud agens, ac ſuā attentionem veluti partiens reſpondet. Vtinam pſalmos concinentibus in Eccleſiâ probum ac legitimum amen reſpōderetur, nec tantùm ſpiritu & lingua, ſed & mente atque intelligenter pſalleretur. Sed quotuſquiſque eſt, qui Pſalmos intelligat? Verùm hactenus euagari ſatis fuerit, ac præter morem noſtrum. Ad rem redeamus. Obſeruandum pari ferè modo terminari quinque C libros Pſalmorū, quos Hebræi conſtituunt: nam in fine pſal. 72. qui vltimus eſt libri ſecundi, legitur, *Benedictus Dominus Deus, Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus.* Verſu ſequente, *Et benedictū nomen maieſtatis eius in æternum, & repleatur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat*, ſeu *amen, & amen.* In fine pſalmi 89. qui vltimus eſt libri tertij, *Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.* In fine pſalmi 106. qui vltimus eſt libri quarti, *Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſeculo, & vſque in ſeculum: & dicat omnis populus, Fiat; halelu-jah.* In fine denique libri vltimi, *Omnis ſpiritus laudet Dominum: halelu-jah.* Quæ ſanè res mihi perſuadet iſtos verſus potiùs eius eſſe, qui pſalmos collegit, atque in ordinē digeſſit, quicunque ille ſit, quàm Dauidis, aut auctoris pſalmi. Nam eſt cur credatur Dauidem non in eum ordinem, qui nunc eſt, pſalmos digeſſiſſe, nec omnium auctorem eſſe, ideóque illius non eſſe illam in quinque libros pſalmorum diſtributionem: ac propterea dici non poſſunt iſti verſus, qui ſingulis libris, quaſi quidam epilogus, data opera videntur adhibiti, eſſe Dauidis. Quiſquis tamen, ſiue Eſdras, ſiue aliquis alius hos verſus adſcripſit, eos dubio procul à Dauide mutuò deſumpſit, qui 1. Paralip. 16. 36. cum hymnum ſeu hymnos, (nam duo ſunt ex Kimhi & aliis, alter, qui incipit verſu 8. alter verſu 23. citati cap.) quos adducta in tabernaculum à ſe paratum Arca fœderis, Deo cecinit, ſic claudit, *Benedictus Dominus Deus*

Tract. Beracboth, cap. Ellu deuarim.

1. Cor. 14.

Iſraël ab æterno vſque in æternum, & dicat omnis populus, Amen, & hymnum Domino, vel *& lauda Dominum,* ſeu, *& laus Domino.* D. Hieron. præfatione in Pſalmos ad Sophronium, vnum aſſerit Pſalmorum volumen, Hebræorum, vt ipſe ait, auctoritatem ſecutus, & maximè Apoſtolorum, qui ſemper in nouo Teſtamento Pſalmorum librũ nominant. Certè quod de Hebræis dicit, de quibuſdam duntaxat Hebræis, quos legiſſet, accipiendum eſt, non autẽ de omnibus. Nam planè conſtat iam tum à temporibus D. Hieronymi apud Hebręos Pſalterium in quinque libros fuiſſe diuiſum. Teſtis mihi eſt B. Epiphanius, qui libro de Menſuris & Ponderibus ſic ait, Ἀλλὰ ϗ ἐπὶ τῦτό σε μὴ παρέλθοι, ὦ φιλόκαλε, ὅτι ϗ τὸ ψαλτήριον διεῖλον εἰς πέντε βιβλία οἱ Ἑβραῖοι, ὥστε εἶναι ϗ αὐτὸ ἄλλην πεντάτευχον, hoc eſt, Sed nec etiam illud te prętereat, ô rerum honeſtarum amator, Pſalterium Hebręos in quinque libros diuiſiſſe, vt eſſet quaſi altera Pentateuchus. D. Greg. Nyſſenus totam Pſalmorum tractationem in quinque partes diſtributam eſſe affirmat, quęque ſubſit iſti diſtributioni ars & ratio declarat, Tract. 1. in Pſal. cap. 5. Auctor ipſius commentarij, qui vulgò D. Hieronymo tribuitur, Pſalterium & ipſe in quinque libros partitur. Imò ipſe D. Hieron. epiſt. ad Marcellam in quinque volumina pſalteriũ apud Hebræos diuiſum eſſe ait: & præfatione in librum Regum, in ordine Hagiographorum recenſendo ſic ait, *Et primus liber incipit ab Iob: ſecundus à Dauid, quem quinque inciſionibus, & vno Pſalmorum volumine cõprehendunt.* Quid aliud, quæſo, Hebræi ſentiunt, quàm vnum eſſe Pſalmorum librum, ſed qui in quinque libros reſpectu quinque librorum Moſis, ſic enim ipſi putant, ſecetur, ac ſubdiuidatur? Quòd vnum librum Pſalmorum Hebræi agnoſcant, ex eo ſatis patet, quòd pſalmum, qui ſecũdum librum incipit, non primum ſecundi libri pſalmum nominant, ſed quadrageſimum ſecundum, pro eo nimirum ordine, quem in toto pſalmorum libro obtinet, & ſic alios, qui librum aliquem incipiunt. Ex his facilè ſoluitur altera D. Hieron. ratio ab Apoſtolis ducta, qui Pſalmorum librum nominant, quòd is nimirum ſit vnus liber, ſed in alios rurſum libros, ſeu libellos ſubdiſtinctus. Cur non liber vnus appellabitur, etſi ex quinque libris componatur? Annon ipſe D. Hieron. viginti duos Sacræ Scripturę libros ſeu volumina (viginti quatuor numerant Hebræi) ſupputans, vnum Samuelis librum numerat, cùm tamen duo ſint? vnum Melachim, id eſt, Regum, cùm etiam duo ſint? Genebrardus probat diuiſionem Pſalmorum in quinque libros, & exiſtimat ſumptam illam eſſe ex argumento quintuplici & diuerſitate auctorum, cùm aliqua eſſet notabilis mutatio. Primus enim liber, inquit, eſt de rebus triſtibus & aduerſis, & vni Dauidi tribuitur. Secundus de rebus lætis, & magna ex parte auctores habet filios Choræ. Tertio repetuntur res triſtes & aduerſæ per Aſaph, & paucos alios: vt quarto iterum ſuccedant res lætæ, per diuerſos auctores. Sic enim ſignificatur rerum humanarum miſera viciſſitudo. Quintus ferè vni rurſum Dauidi aſcribitur, ac omnium maximus eſt, mixtum habens argumentum, vt nunc contineat preces, nunc laudes, modò querimonias, modò gratiarum actiones. Interdum fit de rebus lætis, interdum de crucibus & aduerſis, &c. Ita eſſe, vt dicit Genebrardus, diſcent, qui Pſalmos legent.

Finis primi Libri Pſalmorum.

Laus Deo, & Beatæ Virgini.

PSALMORVM

Digitized by Google

PSALMORVM LIBER SECVNDVS CVM COMMENTARIO.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVErendiſſimum S. R. E. Cardinalem FRANCISCVM DE LA ROCHEFOVCAVLT, Magnum Franciæ Eleemoſynarium, &c.

PROPE' eſt, CARDINALIS ILLVSTRISSIME, vt quoniam hebraicam veritatem ſeriò amplectimur, ſenſum grammaticum ſtudiosè enarramus, impij atque infandi ſceleris à nonnullis accuſemur, quaſi adulteraremus verbum Dei. Tuam fidem appello, CARDINALIS ILLVSTRISSIME. Quid erroris aut vitij habet codex hebraicus, vt ei qui ſtudent pro reis habeantur? An quia ſolis Græcis & Latinis exemplaribus ineſt veritas? Itáne Sacrarum literarum hebraicum Archetypum, illuſtre opus Spiritus ſancti, Deus ſpreuerit, vt fanaticorum hominum & nebulonum arbitrio corrumpendum permiſerit? Cur autem grammaticum ſenſum, quo dictionis vis atque proprie-

tas expenditur, vnáque hiſtoria explicatur, non ſatis probent aliqui, neſcio, niſi quia altæ mentes cæleſtibus tantùm & longè remotis rebus delectari poſſunt. Gratularentur nobis potiùs, quòd ijs ad latentes & myſticos, quibus capiuntur, ſenſus facilem viam præmunimus. Vulgatum ſermone prouerbium, *Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangat nucem:* ita qui condita arcanis literis myſteria adipiſci ſtudet, corticem literæ priùs attingat atque euoluat oportet. Ac quemadmodum mens ipſa percipere nihil poteſt, niſi à ſenſibus obiectum priùs, ita fruſtra quis altiſſima illa myſteria aucupetur, inconſulto ſenſu grammatico ac literali, qui cæterorum omnium veluti ſubſtruit fundamentum: aut certè quidlibet, quod Philoſophorum ſententiis ſemper meritò damnatum, ex quolibet efficiat; húcque atque illuc temere feratur, & quicquid in buccam venerit, abſque iudicio & delectu effutiat neceſſe eſt. Certiùs, mea quidem opinione, de coloribus cæcus iudicet, faciliúſque atrum à candido diſtinguat, quàm ſenſus grammatici ignarus allegoriarum nodos explicare queat. Sacri textus fœcunditatem laudo atque admiror, ſed reſtrictam tamen, & quæ certis limitibus coërceri ſeſe patiatur, non nimis vagam & liberiùs effuſam. Interpretationes illas, quæ Grammaticæ leges ſoluunt ac perrumpunt, non recipio: alioquin, ſi ſic liceret, Hebraici, id eſt, Diuini ſermonis regula eſſet nulla, ibique incerta omnia. Hæc mea cauſa agitur, ILLVSTRISSIME CARDINALIS, quam ad te patronum ac iudicem meum refero. Ne, quæſo, me duriùs abs te aſpernare, ſed, vt ſoles, clientem tuum benignus excipe. Quicquid porrò decernes ac iudicabis, certum eſt cedere, vti debeo, authoritati tuæ: ac, certò ſcio, cedent omnes qui te tuáſque virtutes norunt. Nihil ego à te, CARDINALIS ILLVSTRISSIME, præter ius atque æquum poſtulo: neque ſi poſtularem, obtinerem. Tantummodo precor te ſuppléxque obteſtor meam vt cauſſam cognoſcas. En tibi litis inſtrumen-

Digitized by Google

tum , Commentarius noſter in ſecundum Pſalmorum librum. Benè vale ac diu viue Eccleſiæ & Regno. Lutetiæ , tertio Calendas Iulij , anno partæ ſalutis M. DC. XXIX.

Tuæ illuſtriſſimæ amplitudini

Deditiſſimus & obſequentiſſimus cliens SIMEON DE MVIS, Hebræarum literarum Regius Profeſſor.

Digitized by Google

Digitized by Google

PSALMORVM LIBER SECVNDVS CVM COMMENTARIO.

PSALMVS

XLI. XLII.

VERSIO

Vetvs.

IN finem, Intellectus filiis Core.

2 Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.

3 Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

4 Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?

5 Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei.

6 In voce exultationis, & confeſſionis: ſonus epulantis.

Nova.

PRAECENTORI, Didacticon [a] filiis Core.

2 Quemadmodum [b] deſiderat ceruus ad [c] torrentes aquarum: ita [d] deſiderat anima mea ad te, Deus.

3 Sitiuit anima mea ad Deum, ad Deum viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

4 Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Vbi (eſt) Deus tuus?

5 Hæc [e] recordatus ſum, & [f] effudi in me animam meam, quòd tranſibo [g] in tabernaculum, incedam cum illis vſque ad domum Dei, in voce exultationis, & [h] confeſſionis, (in) multitudine tripudiante.

a vel *filiorum Core.*
b ad verb. *clamat* ſeu *glocitat*
c *alueos*
d ad verb. *clamat* ſeu *glocitat*
e vel *recordor.*
f vel *effundo*
g vel *in numero,*
h *laudis,*

[i heb. deiecis te, l heb. tumultuaris in me? m vel celebrabo eum, (ob) ſalutē]

6 Quare [i] triſtis es, anima mea, & [l] conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc [m] confitebor illi (ob) ſalutem vultus eius.

[n heb. deiecta eſt]

7 Deus meus, apud me anima mea [n] conturbata eſt propterea : memor ſum tui de terra Iordanis, & Hermonim, de monte [o] modico.

[o vel Miſar. p ſonitum]

8 Abyſſus abyſſum vocat ad [p] vocem fiſtularum tuarum : omnes vndæ tuæ, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.

9 In die mandabit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius [q] apud me : oratio Deo vitæ meæ:

[q vel mecum:]

10 Dicam Deo petræ meæ, Quare oblitus es mei? quare [r] contriſtatus incedo, [ſ] dum affligit me inimicus?

[r vel pullatus ſ ad verb. in oppreſſione (vel propter oppreſſione) inimici? t Aliis Vt occiſio]

11 [t] In occiſionem in oſſibus meis, exprobrauerunt mihi inimici mei: dum dicunt mihi per ſingulos dies, Vbi (eſt) Deus tuus?

[u heb. deiecis te, x heb. tumultuaris in me?]

12 Quare [u] triſtis es, anima mea, & quare [x] conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſaluti vultus mei, & Deo meo.

7 *Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?*

8 *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.*

9 *Ad meipſum anima mea conturbata eſt: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermoniim à monte modico.*

10 *Abyſſus abyſſum inuocat, in voce cataractarum tuarum.*

11 *Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.*

12 *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.*

13 *Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: Suſceptor meus es.*

14 *Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?*

15 *Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei:*

16 *Dum dicunt mihi per ſingulos dies: Vbi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?*

17 *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.*

COMMENTARIVS.

A*Rgumentum reperies poſt explicatum primum verſum, qui titulum continet.*

1 *Didacticon*, ſeu *erudiens* quemlibet exemplo Dauidis, aut alius cuiuſuis, quo pacto in exilio ſe gerere debeat, ac Deum precari : niſi mauis cum Ezra מַשְׂכִּיל *Maſcil*, quod reddidimus *didacticon*, fuiſſe initium carminis : aut certè cum aliis, toni ſeu ſymphoniæ ſpeciem. Vide quæ notauimus ad verſ. 1. Pſ. 32. & 55. *Filijs Core*. Variæ circa has voces לִבְנֵי קֹרַח *liune korach*, quæ vndecim pſalmis præfixæ reperiuntur, Hebræorum ſunt ſententiæ. Raſi habet ferè hunc in modum: *Filiorum Core*, (ſic enim ad eius mentem vertendum eſſet) Aſir nimirum, Elcana, & Abiaſaph.

A Ipſi primò quidem vnà cum patre fuerunt: at ſeditione per patrem exorta, illius partes deſeruerunt; cúmque cæteri omnes circùm à terra dehiſcente abſorpti ſunt, eorum locus in medio hiatu remanſit, iuxta illud Num. 26. 11. *Filij verò Core non ſunt mortui :* & inibi carmen cecinerunt, atque horum Pſalmorum iecerunt fundamenta ; indéque profecti, per Spiritum ſanctum, (hoc eſt, inſtinctum ſeu afflatum diuinum) qui ab eo tempore in ipſis inhabitauit, vaticinati ſunt de captiuitatibus, vaſtatione Templi, & regno domus Dauidis. Sic ferè ille. Sed quid eſt diuinare,

Hebræi diſcrimen faciunt inter Prophetiam, *&* Spiritum ſanctum. *Qua de re conſuledus Kimhi in Præfatione Pſalmorū.*

Digitized by Google

ſi hoc non eſt? Et quî fieri potuit, inquit Kimhi, vt tres illi ſimul hos Pſalmos cecinerint? Neque alicuius momenti eſſe idem Kimhi putat, quod aliqui dicunt, *filiorum Core*, nil aliud ſonare, quàm vnius ex filiis Core. Nam cur, inquit, in omnibus his pſalmis ſic diceretur, & in nullo ipſorum vnius alicuius cantoris ſeu autoris nomen exprimeretur? Hæc poſtrema Kimhi ratio non ita vrget, ac fieri profectò poſſet, vt τὸ *filiorum Core* idem eſſet ac vnius, ſeu huius, aut illius ex filiis Core. Ezra & alij exponunt τὸ *filiorum Core*, vnius ex filiis Heman Samuelis Prophetæ nepotis. Verùm neque hoc probat Kimhi, quòd hîc non Samuel, ſed Core nominetur. Sunt ex Hebræis, qui putent pſalmos, qui habẽt in Tit. prędicta verba, à Dauide diuino numine afflato, & cuiuſuis exulũ perſonã induente eſſe conſcriptos, ab ipſo autẽ traditos decantandos filiis ſeu poſteris Core cantoribus ſui temporis. Nemo profectò ignorat poſteros Core inter cantores fuiſſe: & conſtat ex 1. Paral. 6. Quòd ad hunc pſalmum attinet, cenſent nonnulli ex Hebræis à Dauide fuiſſe editum, quum exulem ageret apud Philiſthæos. In horum & illorum ſententia vertendum erit *Didacticon filiis Core*, traditum ſcilicet decantandum. Mea ſententia eſt hunc & duos ſequentes pſalmos eſſe vnius ex filiis ſeu poſteris Core, & in exilio Babylonico compoſitos. Nam prorſus huius & duorum ſequentium Pſalmorum verba captiuitatem Babylonicam videntur ſonare. Certè R. Moſes in exilio Babylonico fuiſſe conſcriptum hoc carmen autumat. Igitur meo iudicio vertendum τὸ לִבְנֵי קֹרַח *liune Korach*, hunc in modum, *Filiorum Core*, & exponendum, huius aut illius ex filiis Core: quaſi certum quidem ſit huius Pſalmi, & aliorum, qui ſimilem obtinent titulum, autorem vnum eſſe ex filiis Core, ſed incertum tamen quis ſit nominatim huius aut illius pſalmi autor. Non parum iuuat noſtram ſententiam, quòd in iſtorum pſalmorum titulis Dauid nunquam, aut alius autor nominetur. Res tamen hæc incerta prorſus.

Argumētum.

Vt ut habet, *Autor huius pſalmi*, vt tandem argumentum explicemus, *ſiue Dauid, ſiue alius, quum procul à Tabernaculo, Arca, aut Templo, vno verbo, à ſacris exul oberraret, ideoque à Deo etiam longiùs abeſſe ſibi videretur, affirmat ſe vehementer cupere ipſam Dei domum adire, Deúmque propiùs cernere. Exponit poſtea, quanta in ſolitudine ac dolore ſit, vbi hoſtes inſultantes audit, ac rogitantes, vbi ſit Deus ſuus. Mox ſeipſum conſolatur ſpe, quam concipit, futurum aliquando, vt Dei ope lætus vnà cum ſuis domum Dei iterum adeat. Statim, vt* A *doloris vices ſubinde ſolent recurrere, prorumpit in verba mœroris plena, ſuique doloris cauſam reddit. Mox iterum admiſcet verba conſolationis, ſéque ſpe ſalutis erigit; Deúmque in ſuum auxilium vocat, ſua illi mala, hoſtiúmque iniurias aperiens, quò ſcilicet facilius ad miſericordiam excitet. Hæc ſumma huius pſalmi.*

2 *Quemadmodum deſiderat ceruus* &c. Siue Dauid, ſiue aliquis alius, abſens à domo Dei, ſacríſque publicis, ſibi quoque videbatur quodammodò à Deo longiùs ab- B eſſe: idcirco cupere ſe ait ad Deum propiùs accedere, ſeſéque coram illo ſiſtere, hoc eſt, templum, Arcam, aut tabernaculum adire, vbi Deus præſentior, quia plura illic ſuæ potentiæ edebat teſtimonia, credebatur adeſſe. Non ſimpliciter autem ſuum illud deſiderium exponit, ſed eleganti ſimilitudine à ceruis ſumpta exornat. Cerui deſerta incolunt, vbi eſt aquæ penuria, ideóque ſiti ſæpiſſime laborant, & aquas magno deſiderio expetunt. Præterea ceruos tradunt veſci ſerpentibus, quorum veneno ſic incendantur viſcera, vt ſiti mirum in C modũ illi exardeſcãt, atque adeo ad aquas magno impetu ferantur. Ceruos quoque ferũt à canibus agitatos non antè quieſcere, quàm aquas ac profundum aliquem torrentem inuenerint, vbi ſe liberè ex labore reficiant, viréſque reparent. Similitudo ergo à ceruo ſumpta, apta eſt ad exprimendum ingens deſiderium: ac Dauidi maximè conuenit tum à crudeli & immiti rege feræ aut cerui inſtar agitato, aut cuiuis alteri pio viro duram apud Babylonios ſeruitutem ſeruienti, ac pariter diuexato. Ridi- D culum, vt ego quidem opinor, id quod narrant ad hunc locum veteres Rabbini, & referunt Autor Ialkut, Raſi, necnon etiam Kimhi, alioquin à nugis alienus, nullam in animantibus ceruo piam eſſe magis, cæteráſque animantes, quum ſiti fortè laborant, ad eum adire opem implorantes: ac tunc illum oculos primùm in cœlum attollere, ac poſtea foueam effodere, ſuáque intrà cornua admouere, ingenti ſublato clamore, quo Deus ad miſericor- E diam commotus immenſam aquarum vim ſtatim iubet erumpere. Hoc neque Ariſtoteles, neque Plinius in naturæ & animalium hiſtoria docent, & confictũ eſt dubio procul ex occaſione huius verſus, vbi ad verbum legitur, *Quemadmodum ceruus clamat ſuper torrẽtes aquarum*. Sic ſolent interdum Hebræi occaſione vnius voculæ lõgas texere fabulas. *Deſiderat ceruus*: ad verb. *ceruus* vel *cerua clamat*: quia enim verbum תַּעֲרֹג *taarogh, clamat*, eſt fœm generis, nomen אַיָּל *aiial*, etſi terminationis maſculi-

Digitized by Google

næ, debet reddi *cerua*, non *ceruus*: præſertim cùm prædictum nomen, vt ſpeciei, vtrumque ſexum ſub vna terminatione comprehendat, quemadmodum docent Grammatici, vbi de nominũ generibus agunt; & Kimhi ad hunc locum, qui docet fieri poſſe, vt cerua potiſſimũ clamet: ideóque hîc dici *cerua clamat*, non *ceruus clamat*. Putat etiam idem Kimhi τὸ *ceruus*, hîc dici collectiuè pro armento ceruorum, quòd cerui gregatim ſemper incedant: ideóque vſurpari in genere fœm. Nomina enim collectiuè poſita ſæpe fiunt fœm. gen. ex. gr. *Iuda* & *Iſrael*, quãdo pro cõgregatione Iudæorũ & Iſraëlitarum ſumuntur, interdum habent verbum fœmininum adiunctum, vt pſ. 114. 2. *Fuit* (hîc הָיְתָה *haietha*, *fuit* fœm. gen.) *Iuda ſanctificatio eius*, *Iſraël* &c. Sic componendum diſſidium generis, quod occurrit hoc loco. Raſi, vt eſt rabbinicis nugis addictior, aliam iſtius componendi diſſidij init rationem, adeo ineptam atque abſurdam, vt pudeat eam referre. Non dicit Scriptura, inquit, *ceruus* יַעֲרֹג *iaarogh*, in maſc. genere, ſed *ceruus* תַּעֲרֹג *taarogh*, in fœm. quoniam de mare & fœmina ſimul loqui vult: de mare quidem, qui aquæ impetrandæ cauſsâ clamet, quemadmodum obſeruauimus: de fœminâ verò, quæ cùm ſit nimis arcti ventris, in ipſo partus tempore ad Deum clamat, qui miſericordia ductus ſerpentem ei ſubitò obiicit, qui vulnere affectum ventrem aperiat. Sic ferè ille. O commentum mehercule dignum eo doctore, quem ob excellentem doctrinam *Caput Tribuum Iſraël* honoris ergô Iudæi nuncupant! Eadem fabula refertur in Ialkut, quem tamen librum magni æſtimant. *Deſiderat*. Verbum hebraicum עָרַג *aragh*, proprium eſt ceruorum, dum vocem emittunt, ac præ ſiti aquarúmve deſiderio clamant: vnde non incommodè hîc redditum à Chald. Græco & Latino, *deſiderat*. Eſt, inquam, illud verbi ceruorum proprium, vt rugire leonũ, mugire boum, quemadmodum obſeruant ad hunc locum Raſi & Kimhi: & à Latinorum quibuſdam redditur *glocitat*, quæ vox in *Philomela* ceruis, & onagris tribuitur. *Ad*. In fonte עַל *al*, pro אֶל *el*, teſte Kimhi.

3 *Sitiuit*. Aptum hoc verbum ad inſtitutam ſimilitudinem. Præterea maior vis ineſt verbo *ſitiendi*, quàm *eſuriendi*: ſiquidem qui ſitit, multò cupidiùs aquas appetit, quàm panem, aut cibum, qui eſurit: & poteſt quiuis multo minore negotio inediam tolerare, quàm ſitim, ac biduum aut triduum vitã ducere abſque cibo, non item abſque potu. Sic pſ. 63. 1. qui pſalmus eiuſdẽ ferme cum hoc eſt argumenti, *ſitit ad te anima mea*. *Ad Deum* iudicem, quem cupio cauſſam meam agnoſcere. Vox Hebraica אֱלֹהִים *elohim*, Deum vt iudicem ſignificat, quemadmodum iam ſæpe dictum eſt. *Ad Deum* fortem ſeu potentem, qui me poteſt in libertatem reſtituere. Vox hebraica אֵל *el*, quemadmodum aliâs dictum, Deum, vt fortem, ac potentem, ſignificat. Græcus vertit τὸν ἰσχυρόν: Latinus *fortem*, pro quo corruptè in quibuſdam exemplaribus legitur *fontem*: quia prima fronte hæc vox ad *torrentes aquarum* aptiùs videbatur reſpondere. Pſ. 84. 3. vbi hebraicè eædem voces, quæ hîc, Latinus ipſe reddidit *in Deũ viuũ*. *Viuum*. Sciebat, quiſquis fuit author huius carminis, Deos Gentium, apud quas verſabatur, vita prorſus carere, nihílque aliud eſſe, quàm argentum, & aurum, opera manuum hominum: Deos, qui cœlos, & terram non fecerunt, mendacium eſſe, & non eſſe in eis ſpiritum: vanitatem eſſe, & opus irriſionum: Dominum autem Deum veritatem eſſe, ipſum Deum viuentem, qui creauit cœlum & terram, & habet poteſtatem omnis carnis. Idcirco hîc ait *ad Deum viuum*. Mortui contrà vocantur falſa & commentitia numina pſ. 106. 28. *Et adhæſerunt* (ſcilicet Iſraëlitæ) *ipſi Beel-phegor, & comederunt ſacrificia mortuorum*, Deorum ſcilicet. *Quando veniam*, &c. Dauid, ſiue aliquis alius, optat videre illum diem, quum ſe coram Deo ſiſtat ad Tabernaculum, Arcam aut Templum.

Pſ. 115. 4.

Ierem. 10.

Dan. 14. 4.

4 *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis*, hoc eſt, pro pane, ac cibo: ſiquidem afflictio hominem ſatiat, vt cibum haud quęrat: quo modo de Anna dicitur 1. Sam. 1. 7. *porrò illa flebat, & non capiebat cibum*. Sic ferè Raſi. Kimhi verò interpretatur pene in hunc modum: Lachrymæ meæ, quas hoſtium iniuriæ extorquent, quotidianæ ſunt, atque ita familiares, vt cibus, quaſi diceret, Nulla die non lachrymor. Symmachus hoc modo accepit, qui vertit ὡς ἄρτος συντάξεώς μου, quibus verbis videtur ſignificare panem quotidianum, quem Salomon Prou. 30. 8. לֶחֶם חֻקִּי *lechem chok*, hoc eſt, *panem ſtatuti* vocat. Alij putant hac locutione ſignificare voluiſſe ſe inter epulas etiam fleuiſſe. *Vbi (eſt) Deus tuus*, qui ſi verus eſſet Deus, túque ipſum coleres, iamdiu te ſeruaſſet, atque in libertatem vindicaſſet? Vel, iuxta Ezram, *Vbi (eſt) Deus tuus*, ad quem videndum ter in annos ſingulos conuenire ſolebas?

5 *Hæc recordatus ſum*, &c. Hoc mihi, inquit, in his angoribus venit in mentem, quod me vehementer conſolatur, futurum

Digitized by Google

aliquando, vt iterum cum numeroſa tripudiantium turba, ſicuti olim, proficiſcar in domum Dei. Singula iam verba ſigillatim, quia habent aliquid difficultatis, expendantur. *Hæc,* ſcilicet *quòd tranſibo in tabernaculum,* &c. Notanda hîc hyſterologia, quæ Hebræis haud raro in vſu eſt. *Recordatus ſum, & effudi.* Verba in Hebræo ſunt fut. temp. ad ſignificandum continuum actum, quod frequens eſſe in ſacris litteris iam ſæpe notauimus: perinde ac ſi diceretur, *ſoleo recordari, & effundere* &c. Non incommodè Latinus per præt. expreſſit; & ſæpe fut. pro præt. vſurpatur. Verbo *recordandi* vtitur, quaſi vellet dicere, Recordor promiſſam eſſe tandem liberationem, ideoque futurum aliquando, vt tranſeam &c. Si Dauid loquitur, ſenſus eſt, Recordor promiſſum mihi à Samuele ipſius Dei verbis Iſraëlis regnum, ideóque futurum aliquando, vt tranſeam &c. *Effudi in me animam meam,* hoc eſt, animus meus tunc quaſi liquefit præ gaudio. Animus mœrore quodammodò contrahitur; gaudio verò veluti dilatatur, ac diſſoluitur. *Effudi* ergo *animam meam,* hoc eſt, cor dilataui, & quaſi effudi præ gaudio. *In me,* hoc eſt, *intra me.* Significat internum tantùm ac latens fuiſſe gaudium, quod hoſtium metu non erumperet. *In tabernaculum.* Variant Hebræi in explicando vocabulo בסך *baſſach.* Alij explicāt *in numero,* tripudiantium ſcilicet, aut feſta agentium, aut aſcendentium Hieroſolyma. Sic Raſi in numero hominum exponit, hoc eſt, vt explico, in turba, & populi frequentia. Adfert tamen & aliam expoſitionem, quaſi סך *ſach,* *tabernaculum* hîc ſignificet, idémque ſit בסך *baſſach,* ac *in tegumento* ſeu *tabernaculo,* hoc eſt, in plauſtris cameratis, quæ inſtar tabernaculi ſunt operta. Ezra explicat *in tentorium* ſeu *tabernaculum,* Sabbathi ſcilicet, quod erat in monte Domus ſeu Tēpli. De hoc Tentorio vide 2. Reg. 16. 18. Quidam locum fuiſſe putant, ex quo Lex populo prælegeretur, & explicaretur. Hæc ſignificatio non erit aliena ab hoc loco. Græcus, & Latinus, quos ſequor, quantùm poſſum, in ſignificatione *tabernaculi* prædictam vocem acceperunt. Græcus habet ἐν τόπῳ σκηνῆς: meliùs Latinus *in locum tabernaculi,* propter verbum *tranſeundi* motum ſignificans. *Incedā* lentè & pedetentim, vt in pompis fieri ſolet. Verbum hebraicum tardiorem inceſſum propriè ſignificat. Hîc Græcus & Latinus habent *admirabilis,* ac videntur legiſſe אדרת *addereth,* hoc eſt, *magnificentiæ,* pro אדדם *eddaddem,* hoc eſt, *incedam cum illis,* ר pro ד, & ת pro ם. *Cum illis* mearū miſeriarum comitibus: vel *cum illis,* quibuſcum

A olim proficiſcebar. Relatiuum abſque antecedente, non ſine emphaſi, quaſi velit ſignificare ſub oculis illos verſari, de quibus agit: quæ res non parum illius animum angebat. Hebræi alio ſenſu hunc verſum accipiunt, & poſteriora duo verba etiam per præteritum exponunt, ſic, *quòd tranſibam* &c. *incedebam* &c. quaſi priſcos dies in memoriam reuocet, quum conueniret vnà cū frequēte turba in domum Dei ad ſacros cœtus celebrandos, ex præſcripto Legis, Exod. 23. 14. quo ſinguli Iſraëlitæ ter ſingulis an-
B nis, nimirum in feſto Paſchatis, Pentecoſtes, & Tabernaculorum iubentur conuenire ad celebrandum Domino feſtum. Sic huius verſus hæc erit ſententia, *Hæc recordor, quòd tranſibam in numero,* &c. hoc eſt, Quum mihi in mentem venit illius temporis, quando frequentes conueniebamus in domum Dei, enimuerò tunc animi deliquium patior: hoc ſignificabit τὸ *effudi,* ſeu *effundo in me animam meam. Effundere* enim *animam* nihil erit aliud quàm dolore exanimari, vel animi deliquium pati. Pro-
C babit locus Iob 30. 16. *Nunc itaque in me effuſa eſt anima mea:* (in Vulgata *in meipſo marceſcit anima mea:*) *apprehenderunt me dies afflictionis:* vbi *animam effundi,* nihil eſt aliud, quàm animam præ mœrore veluti diffluere, vt luce meridiana clariùs apparet.

6 *Quare triſtis es,* ad verb. *deiicies te,* &c. Optimè cohæret hic verſus cum præcedēte in priore interpretatione, perinde ac ſi dicat, Cùm ita ſit vt aliquādo cū frequēte po-
D pulo in domū Dei remigrare debeam, quid eſt, ô anime mi, cur te maceras? Si cum Hebræis præcedentē verſum de præterito exponas, dic poſtquam recordatione præteriti temporis animum ſuum afflixit, ſpe meliorum rerum in poſterum ſeipſum conſolari. *Conturbas me?* ad verb. *tumultuaris* (ſeu *fremes*) *in me? Spera in Deo.* Hoc opponit ſuperiori inimicorū ſarcaſmo, *Vbi (eſt) Deus tuus? (Ob) ſalutem,* ad verb. *ſalutes,* non vnā, ſed plures. *Vultus eius,* hoc eſt, ab eo profectam, nimirum *ſalutem.* Sic Eſa. 63. 9. *Angelus faciei eius,*
E hoc eſt, ab eo miſſus, *ſaluauit eos.* Vertere potes *celebrabo eum,* (&) *ſalutem* &c. Latinus poſt Græcum habet hîc *ſalutare vultus mei, & Deus meus.* Legit enim hîc hebraica, vt in vltimo verſu. Et hîc mendoſos eſſe Hebræos codices nōnulli ex poſtremo verſu coarguunt. Verùm D. Hieron. legit, & diſtinxit, vt hodie eſt in Hebræo.

7 *Deus meus, apud me anima mea conturbata eſt,* heb. *deiecta eſt* ſeu *deiicit ſe propterea:* &c. Redit ad querelas: ſunt enim in dolore vices. Putat Ezra reſponſionem

Digitized by Google

eſſe ad illud *Quare triſtis es*, &c. *Propterea.* Propter accentum diſtinguentem Reuia, qui eſt cum עַל־כֵּן *al-cen*, id eſt, *propterea*, & accentum miniſtrum in præcedente dictione, exiſtimo hanc vocem ad antecedentia eſſe pertrahendam, non ad ſequentia. *Memor ſum tui* &c. En ratio, ob quam animo turbari ſe dicit: *Anima mea*, inquit, *conturbata eſt propterea*, ſeu *propter hoc*: quum ſcilicet *memor ſum tui* &c. Alij tamen, neglectis accentibus, vertunt, & idem eſt ſenſus, *propterea quòd memor* &c. Certè עַל כֵּן, *al-cen*, Oſeæ 6.5. Raſi עַל־אֲשֶׁר *al-aſcher*, & Chald. עַל־כֵּן דְּ *al-cen de*, id eſt, *propterea quòd*, exponunt. Citat Raſi ad locum Oſeæ notatum exempla ex Gen. 33.10. Gen. 38.26. Addi poſſent & alia. *Memor ſum tui de terra Iordanis*, &c. hoc eſt, eorum, quæ tu noſtra cauſa feciſti apud Iordanem, & montes Hermon. Poſteaquàm te ſæpe ad iram prouocaſſemus in Setim, ſiccum nobis præbuiſti Iordanē.

De monte modico: de monte Sinai, qui modicus eſt ad reliquos montes. Poſtquam ibi te ad iram prouocaſſemus vituli conflatione, veniam dediſti, téque nobis comitem ac ducem præbuiſti. Omnia hæc in hac mea captiuitate in memoriam reuoco, quia tu ceſſaſti omnino mihi benefacere, & nouæ quotidie pœnæ in me à te decernuntur, vna poſt aliā. Sic ferè ad hoc Raſi. Aliter Kimhi, Propterea conſternata eſt intra me anima mea, ac tumultuatur, quum recordor tui, ſolitos nimirum nos olim è terra Iordanis ad domum Sanctuarij proficiſci: itidem & qui incolebant montes Hermon, & Mitſar. Mentionem facit terminorum terræ Iſraëliticæ, vnde ad ſolēnitates conuenirēt. Nam mons Hermon eſt trans Iordanem ad Oriētem. Mons *Mitſar* non reperitur, ac fortaſſe fuit vltra Iordanem. Fieri poteſt, vt *Mitſar* fuerit vna ex vrbibus Iuda, quæ fuerit in monte ſita. Sic ille, & eodem ferè modo Ezra. Fauet noſtræ interpretationi Symmachus, qui vertit, *anima mea liqueſit, quando recordor* &c. In Græco, & Latino eſt, *propterea memor ero* &c. quod de Dauide Hieroſolymis eiecto à Saule, ſic explicat Flaminius: Cùm, inquit, acerbitate doloris, & nimio mœrore conficiar, reliqua eſt vna conſolatio, vt animum labentem, & propè iacentem ſuauiſſimi Numinis tui recordatione ſuſtentem in hac ſolitudine Iordanis, & Hermonij, & Mizaari, quibus in locis ego vitam inopem, & vagam perſequor. *Hermonim* ſeu *Hermonitarum*, hoc eſt, iuxta Kimhi, eorum qui montem Hermon incolunt. Iuxta Raſi & Ezram, Hermonim plures ſunt montes. *Monte modico.* Mallem *monte Mitſar*, vt ſit montis nomen proprium: quanquam in Græco, & Latino, & apud Symmachum legitur priori modo.

8 *Abyſſus abyſſum vocat* &c. Altera ratio, cur ſe dicat animo turbari: Quoniam, inquit, quum vna ex parte venit in mentem priſca noſtræ Gentis fœlicitas, ex altera verò miſerrimus rerum ſtatus, qui nunc eſt, non poſſum non valde affligi. Per *abyſſum* metaphoricè ſignificare vult maximas ærumnas ac miſerias: ærumnæ enim ſeu miſeriæ in ſacris litteris ſæpiſſime per aquas exprimuntur. Igitur *abyſſus abyſſum vocat*, poëtica & figurata locutio eſt, quæ nil aliud ſignificat, quàm, Ita omni genere malorum nunc exagitamur, vt vna calamitas aliam accerſere, ac veluti inuitare videatur, & quidem tuo nutu & imperio, quod ſignificat id, quod mox ſequitur, *ad vocem* ſeu *ſonitum fiſtularum tuarum*: quaſi dicat, te è nubibus horrendùm tonante: per *fiſtulas* enim nubes intelligit, per quas veluti per fiſtulas Deus pluit. *Omnes vndæ tuæ*, &c. Alia figura petita à proceſſoſo mari, quâ hoc ſignificare vult, non vnum genus malorum, ſed omnia, quæ in humanum genus iratus immittere ſoles, (hanc enim habent vim pronomina *tuæ* & *tui*) in noſtra capita (hoc enim ſignificat *ſuper me*) à te immiſſa ſunt. Plus ſignificant *vndæ* & *fluctus*, quàm aquæ ſimpliciter, ingentia ſcilicet mala & maxima pericula. Pſ. 88. 8. huic ſimile eſt loquendi genus, *& omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me*, in Fonte *& omnibus fluctibus tuis afflixiſti.* In Fragmentis Symmachi eſt Αβυσσος ἀβύσσῳ ἀπαντῶσα ἀπὸ ἤχου τῶν κρουνῶν σου; *Abyſſus abyſſo occurrit à ſonitu ſcaturiginum tuarum.* Scilicet accepit קוֹרֵא Kore, in ſignificatione *occurrendi*, quam à vicina radice קָרָה Kara, interdum habet. Non malè ad ſenſum *abyſſus abyſſo occurrit*, pro eo quod vulgò dicimus, *mala malis ſuccedunt*, necnon *calamitas calamitatem excipit.* Poteſt hic verſus ad Dauidem exulantem nullo negotio accommodari.

9 *In die mandabit Dominus* &c. Sunt ex Hebræis, in quibus Ezra, qui exiſtiment agere iterum in hoc verſu de profectione ad feſta illa ſolemnia: quòd ſcilicet olim interdiu vnà cum tripudiantium multitudine ſecurus, ac nullius rei indigens per Dei miſericordiam iter peregerit: noctu verò in diuerſoriis Dei laudes cecinerit, & ad illum preces fuderit. In horum ſententia vertendum eſſet *mandauit.* Ego verò exiſtimo in hoc verſu rurſus ſe conſolari, atque animū afflictum erigere ſpe, quam habet Deum tā diu, quàm noctu pro ſua miſericordia deinceps ſibi opem laturum. *Mandare Dominum miſericordiam ſuam*, nihil eſt aliud, quā

Digitized by Google

illum pro ſua bonitate decernere, ac præcipere quæ è re noſtra ſint. Sic mandare dicitur Dominus benedictionem & vitam, pro, procurare fœlicitatem & vitam, pſal. 133. 3. Mandatum enim Dei ſemper cum effectu eſt coniunctum. *Canticum* verò *Dei eſſe apud aliquem* vel *cum aliquo*, nihil erit aliud quàm habere à Dei beneficentia canendarum ipſius laudum argumentum. Putat Raſi שִׁירֹה *ſchiro*, (quod interpretati ſumus *canticum eius*) ſignificare hoc loco *habitatio* (ſeu *manſio*) *eius*, quaſi diceret, & nocte erit habitatio eius in medio noſtri. Deſumit videlicet illam ſignificationem à verbo Chaldaico שְׁרָא *ſchera*, quod eſt *manſit* ſeu *habitauit*. Kabuenaki illud quoque vocabuli in hac ſignificatione accipit. *Oratio Deo* &c. Senſus eſt, nunquam igitur deſinam in his miſeriis Deum precari. *Deo vitæ meæ*, hoc eſt, authori ac conſeruatori vitæ meæ, à quo ſpero me in vita conſeruatum iri, dum ſalutis tempus aduenerit.

10 *Dicam Deo* &c. Sũma eſt precationis quam in fine ſuperioris verſus ſe Deo adhibiturum profeſſus fuit. *Petræ meæ*, hoc eſt, qui mihi eſt eritque ſemper inſtar petræ, ac turris bene munitæ: ad quẽ ſemper confugi, ac confugiam. *Quare oblitus es mei*, hoc eſt, videris mei oblitus, dum pateris, vt in ſqualore, ac mœrore tandiu jaceam? *Contriſtatus*. Ad verb. *obſcurus* ſeu *ater*. Vertere potes *pullatus*. Vide ad verſ. 14. pſal. 35.

11 *In occiſionem* &c. Senſus, Dũ mihi quotidie per ludibrium hoſtes dicunt, *Vbi* (*eſt*) *Deus tuus*, qui te deſerit in tantis malis, illud perinde eſt atque occiſio in oſſibus meis: iſtud probrum mihi pro eo eſt, ac ſi gladio transfigerer, & confoderer: ita me vulnerant blaſphemiæ in Deum. Dixit *in oßibus meis*, vt ſignificaret illud probrum altè in oſſa penetrare. Alij quia legunt כְּ pro בְּ vertunt, *Vt occiſio*, non incõmodè. Vertere potes, *Vt occidens* gladius, vel, *In occidentem* gladium: putat enim Kimhi רֶצַח *retſach*, nomen eſſe Toar ſeu adiectiuum gladij. Poſſes vertere, *In occiſione in oßibus*

A *meis*. Quo modo Græc. & Lat. acceperunt, qui verterunt, *Dum confringuntur oſſa mea*, hoc eſt, dum me homines torquent, & enecant. Sic quoque accepit Chald. qui interpretatus eſt, *Dum occidunt oſſa mea*.

12 *Quare triſtis* (*deiecta*) *es anima mea?* &c. Iterum ſe conſolatur in hoc verſu, qui idem ferme eſt cum verſu 6. hancque habet ſententiam, Non eſt cur te diutius affligas, ô anime mi, & afficiaris illo hoſtium tuorum probro, *Vbi* (*eſt*) *Deus tuus*? Quin *ſpera in Deo*, ac certò tene futurum tempus, quando ipſe me in libertatem reſtituet, ac

B rurſum ego, vt iam ſæpe aliàs feci, liberatus illi ſeruatori meo gratias agam. *Confitebor illi, ſaluti vultus mei, & Deo meo*. Vel *confitebor illi*, (*dicendo*) *Salus* (*eſt*) *vultus mei*, *& Deus meus*. Vbi *ſaluti* vel *ſalus*, in Fonte legitur in plur. יְשׁוּעוֹת *ieſchuoth*, ad omnimodam ſalutem ſignificandã. *Saluti vultus mei*, hoc eſt, ſeruatori meo, qui vultum meum ſua ope, quaſi grata luce, exhilaraturus eſt. *Et Deo meo*, quaſi diceret, qui ſe palàm ac verè probabit Deum meũ, ita vt non ampliùs dicturi ſint, *Vbi*

C (*eſt*) *Deus tuus*? Potes explicare, & hæc expoſitio exuli apud Babylonios conueniet, *ſaluti vultus mei*, id eſt, qui viuenti, ac videnti mihi ſalutem allaturus eſt: vt פני *vultus mei* ſonet idem quod in meo conſpectu: vel, quod eódem recidit, dum adhuc ero in vita. Atque hoc vtroque modo accipit Kimhi, qui ad probandam vltimam expoſitionem adfert verſ. 28. cap. 11. Gen. vbi legitur, *Mortuúſque eſt Aram coram Thare patre ſuo*, ad verb. *ad* (*ſuper*) *fa-*

D *ciem Thare* &c. hoc eſt, ſuperſtite ac viuo adhuc Thare. Similis eſt loquendi modus Num. 34. *Functique ſunt ſacerdotio Eleazar & Ithamar coram Aaron patre ſuo*, ad verb. *ad* (*ſuper*) *faciem Aaron* &c. hoc eſt viuo, ac ſuperſtite Aarone patre. Chald. legit aliter, quàm eſt hodie, nimirum פָּנָיו *panau*, hoc eſt, *vultus eius*, pro פָּנַי *panai*, hoc eſt, *vultus mei*, atque expoſuit, *ob redemptionem* (*ſalutem*) *eius*, *quæ* (*eſt*) *à conſpectu eius*, *qui eſt Deus meus*.

Paraphraſis.

NON ſatis eſt. Quoniam enim hic pſalmus variis ſubinde affectibus mixtus eſt, adeóque perplexus & difficilis, mihi viſum eſt faciendum, vt ipſum totum breui paraphraſi explanarem, quò meliùs intelligatur. Sic igitur ait, quiſquis eſt, *Quàm cupidè cerui à canibus diu multúmque agitati ad torrentes feruntur, tam cupidè ad te fertur anima mea, tui numinis coràm aſpiciendi deſiderium, quaſi diuturnam ſitim, explere cupiens. Eheu igitur, quando mihi dabitur te adire ac videre? Non alio cibo, quàm lacrymis dies noctéſque paſcor, audiens inſultantes hoſtes, & quotidie, vbi ſit Deus meus, rogitantes. Verùm, quum cogito tempus fore, quando rurſum frequente & ouante turba comi-*

Digitized by Google

tatus ſanctiſſimam tuam domum ipſe lætus adibo, tunc profectò cor intus ſalit ac veluti gaudio ſoluitur, ſícque ego apud me, Cur, anime mi, ita te maceras? cur ita turbaris? Spera in Deo, & memineris fore aliquando, vt ego ex his malis Dei ope liberatus illi gratias agam meo ſeruatori. Equidem ego ſic cum animo meo interdum colloquor: ſed, Eheu, mi Deus, rurſum me dolor opprimit cogitantem, & recordantem, quàm benignè olim maiores noſtros apud Iordanem, & montes Hermon & Sinai habueris, qui me nunc deſeris: vel certè quum venit in mentem illius temporis, quo ex Iſraëliticæ terræ finibus, Iordanis regione, Hermon & Mizare montibus ad domum tuam confluebamus. Miſerum me, cui tot mala alia poſt alia ſuccedunt, ſicuti dum, procelloſo mari, altæ aquarum voragines ſe inuicem excipiunt: tu ſcilicet denſas veluti omnium calamitatum nubes in me effudiſti, & ſæuis quaſi malorum fluctibus ac procellis caput meum vſque obruiſti. Sed iterum vacillantem animum ſpes erigit, ſicque ſtatuo, Profectò aliquando Deus mihi pro immenſa miſericordia proſpiciet, præbebítque canendarum ipſius laudum argumentum. Interim igitur in his malis nunquam deſinam Deum vitæ meæ autorem & conſeruatorem perpetuum, vnicum meum refugium, precari his verbis, Quare tandiu, quaſi prorſus oblitus, mei curam negligis? quare permittis me tandiu mœrore conſumi ab hoſtibus oppreſſum, eorúmque impiis vocibus ad oſſium vſque medullas veluti confoſſum, dum nimirum, vbi ſit Deus meus, per ludibrium importunè rogitant. Verùm cur ita te excrucias, ô anima mea, & cur tantopere tumultuaris? Quin ſpera potiùs in Deo, qui dabit rurſum vt liberatus ei gratias agam ſalutis meæ auctori, ac verè Deo meo.

Digitized by Google

PSALMVS

XLII. XLIII.

VERSIO

VETVS.

PSalmus Dauid.
Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo erue me.
2 *Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repuliſti? & quarè triſtis incedo, dum affligit me inimicus?*
3 *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.*
4 *Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.*
5 *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?*
6 *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.*

NOVA.

IVDICA me, Deus, & [a] diſcerne cauſam meam de gente non [b] ſancta: ab homine doloſo, & iniquo erue me.
2 Quia tu (es) Deus fortitudinis meæ, quare me repuliſti? quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus?
3 Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipſa me deducant: adducant me in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.
4 Et introibo ad altare Dei, ad Deum [c] lætitiam exultationis meæ: & confitebor tibi in cithara, Deus Deus meus.
5 Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſaluti vultus mei, & Deo meo.

a heb. *litiga litem*
b vel *miſericorde;*
c vel *lætitia*

COMMENTARIVS.

Argumentum. *EIuſdem eſt argumenti prorſus hic pſalmus ac præcedens, & veluti illius appendix, adeòque eundem quoque habet autorem. Syrus, Græc. & Lat. Dauidi tribuunt, à quorum ego ſententia non omnino abeſſe volo, modò is in perſona exulum in Babylonia dicatur locutus. Nam quæ in hoc pſalmo dicuntur, vni exulum in Babylonia potiùs, quàm Dauidi exuli competere videntur. Quòd ſit Dauidis probari poteſt ex Ezra & Kimhi, qui Præfatione in Pſalmos docent eos pſalmos eſſe Dauidis, qui nullum nomen præferunt auctoris. In hoc carmine petit, quiſquis eſt, à Deo liberatore ſuo, vt ſe inhumanæ genti eripiat: vt ſibi pro ſolito fauore, & conſtanti in promiſſis fide dux ſit ad ſanctiſsimam Numinis ædem, vbi lætus ſacrificia ad altare offerre poſsit, & in muſicis inſtrumentis gratias agere. In fine certa ſpe animum ſuum erigit, ac confirmat.*

1 *Iudica me* &c. hoc eſt, Vindica me ab iniuria contumeliave. *Et diſcerne cauſam (litiga litem) meam:* neque enim ipſe au-
A deo, ac poſſum cauſam meam tueri. *De gente non ſancta* ſeu *pia:* vel *non miſericorde* aut *benefica.* חָסִיד *chaſidh*, enim eum

ſignificat, qui propenſo eſt affectu tum in Deum, tum in homines: pium erga Deum; beneficum ſeu benignum erga homines. Per *gentem non ſanctam*, aut *non beneficam* notat Babyloniorum gentem, quæ verum Deũ non coleret, ideóque eſſet impia: aut quę inhumana eſſet, & immiſericors. *Ab homine doloſo*, &c. Notat iam ſingulos, niſi cum Ezra exiſtimes ſignificari fortaſſe iſtius gentis principem. Putat Kimhi collectiuè hoc eſſe accipiendũ, quo modo Ioſ. 9. 6. & 7. *vir Iſraël* dicitur. Non tantùm, inquit, non benigna eſt gens illa, ſed etiam fraudulenta, & facinoroſa. A B

2 *Quia tu (es) Deus* &c. Senſus, Tu qui es ac fuiſti ſemper mihi robur, quare deſeris me nunc in his malis? *Deus fortitudinis meæ*. Græc. & Lat. qui habent *Deus fortitudo mea*, videntur vel ſenſum tantùm ſequuti, vel pro אֱלֹהָי *elohe*, legiſſe אֱלֹהִים *Elohim*. Sic quoq; Chaldæus. *Triſtis*, ad verb. *atratus* ſeu *obſcurus*. Reliqua pars verſus explicata eſt in ſuperiore pſal.

3 *Emitte lucem tuã*, &c. *Lucem tuã* dicit ἀντὶ τὸ *triſtis*, ad verb. *obſcurus* ſeu *atratus*, quod eſt in ſuperiore verſu. *Lucem tuam*, id eſt, fauorem tuum: fauor enim, Dei præſertim, veluti lux quædam eſt. *Veritatem tuam*, hoc eſt, verbum tuum, per quod ſperare iuſſiſti, ac pollicitus es te nos ex captiuitate reuocaturum, & ex omnibus nationibus congregaturum, ſi modò ad te reuerſi fuerimus, ac tuis dictis paruerimus. Vide Deuter. 30. initio. Ezra obſeruat dici *veritatem tuam* ἀντὶ τὸ *ab homine doloſo*. Raſi per *lucem* intelligi vult regem Meſſiam, qui comparetur luci, quòd dictum ſit Pſal. 132. 17. *paraui lucernam chriſto meo*: per *veritatem* verò Eliam Prophetam, qui verus eſt Propheta fidelis. Sed hoc nimis ſubtile, & allegoricum. *In montem ſanctum tuum*, hoc eſt, iuxta Ezram, montem Moriam: vel iuxta Kimhi, domum Sanctuarij, quæ erat in monte Moria. Hinc apparet hunc pſalmum de Dauide apud Philiſthæos exule non eſſe intelligendum: nondùm enim tunc mons Moria in Iudæorum poteſtate erat, neque tempore Dauidis fuit templum. C

4 *Et introibo ad altare* &c. Senſus eſt, Túncque vbi me in ſanctiſſimam tuam domum reduxeris, eueſtigiò ad altare tuum progreſſus ſacrificia tibi offeram, & variis inſtrumentis, ac præſertim citharà gratias agam, ſicuti olim facere ſolebam. *Ad Deum lætitiam (alij vertunt lætitiæ) exultationis meæ*: nulla enim mihi lætitia, nulla exultatio præter ipſum: ipſéque eſt lætitia omnium mearum lætitiarum. Duo porrò ſynonyma coniunguntur ad ingens gaudium exprimendum: ſicuti dicitur *Rex regum* pro Rege maximo. *Deus meus*, quem tunc omnes ſcilicet agnoſcent eſſe Deum, ac iudicem meum; quippe qui me in hoſtium poteſtate non reliquerit, ſed in libertatem aſſeruerit, meúmque ius defenderit.

5 *Quare triſtis es, anima mea*, &c. Eodem verſu hic pſalmus clauditur atque ſuperior: quòd hic pſalmus & præcedens eiuſdem prorſus ſint argumenti: imò hic præcedentis tantùm appendix quædam eſſe videatur.

Digitized by Google

PSALMVS

XLIII. XLIV.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Filiis Core ad intellectum.

2 Deus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annuntiauerunt nobis,

3 Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

4 Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos:

5 Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos:

6 Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuiſti in eis.

7 Tu es ipſe rex meus, & Deus meus: qui mandas ſalutes Iacob.

8 In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.

9 Non enim in arcu meo ſperabo: & gladius meus non ſaluabit me.

10 Saluaſti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudiſti.

11 In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in ſæculum.

12 Nunc autem repuliſti & confudiſti nos: & non egredieris Deus in virtutibus noſtris.

13 Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros: & qui oderunt nos, diripiebant ſibi.

14 Dediſti nos tamquam oues eſcarum: & in gentibus diſperſiſti nos.

15 Vendidiſti populum tuum ſine pretio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

NOVA.

PRAECENTORI, [a] filiis Core Didacticon.

2 Deus, auribus noſtris audiuimus, patres noſtri [b] annuntiauerunt nobis, opus (quod) operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.

3 Tu manu tua gentes eieciſti, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos.

4 Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos: ſed dextera tua, & brachium tuum, & lux vultus tui; quoniam complacuiſti in eis.

5 Tu (es) ipſe rex meus, ô Deus: manda [c] ſalutem Iacob.

6 In te inimicos noſtros cornupetemus: in nomine tuo conculcabimus inſurgentes in nos.

7 Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me.

8 Saluaſti enim nos de affligentibus nos, & oſores noſtros pudefeciſti.

9 [d] In Deo gloriamur omni die, & nomen tuum in ſeculum confitebimur.

10 Etiam repuliſti, & erubeſcere feciſti nos: & non egrederis cum exercitibus noſtris.

11 Auertiſti nos retrorſum ab hoſte: & qui oderunt nos, diripuerunt ſibi.

12 Dediſti nos tanquam oues eſcæ, & in Gentibus diſperſiſti nos.

13 Vendidiſti populum tuum [e] ſine pretio, & non multiplicaſti [f] pretiis eorum.

a vel *filiorum Core*

b heb. *narrauerunt*

c ad verb. *ſalutes*

d Alii *Deum laudabimus*

e heb *ſine diuitiis,* f vel in *pretiis*

14 Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris: ſubſannationem & deriſum [g] ijs qui ſunt in circuitu noſtro.

15 Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.

16 [h] Tota die verecundia mea coram me (eſt,) & pudor faciei meæ cooperuit me:

17 A voce exprobrantis, & obloquentis: à facie inimici, & [i] vltoris.

18 Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te: [l] & iniquè non egimus in [m] teſtamento tuo.

19 Non receſſit retro cor noſtrum, & (non) declinauit greſſus noſter à via tua.

20 Quum contriuiſti nos in loco draconum, & operuiſti nos vmbrâ mortis:

21 Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & expandimus manus noſtras ad Deum alienum:

22 Nonne Deus requiret iſtud? ipſe enim nouit abſcondita cordis.

23 Quoniam propter te morti tradimur omni die: æſtimati ſumus ſicut oues [n] occiſionis.

24 [o] Exurge, quare obdormis Domine? [p] exurge, ne repellas in æternum.

25 Quare faciem tuam abſcondis, obliuiſceris afflictionis noſtræ, & tribulationis noſtræ?

26 Quoniam [q] humiliata eſt in puluerem anima noſtra: adhæſit terræ venter noſter.

27 Surge in auxilium nobis, & redime nos propter miſericordiam tuam.

g ad verb. circuitus noſtra.
h vel Omnis
i ad verb. vlciſcentis ſe.
l heb. nec mentiti ſumus
m heb. pacto
n mactationis.
o Euigila,
p expergiſcere,
q propendet ſeu incuruata eſt

16 Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro.

17 Poſuiſti nos in ſimilitudinem Gentibus; commotionem capitis in populis.

18 Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me,

19 A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & perſequentis.

20 Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te: & iniquè non egimus in teſtamento tuo.

21 Et non receſſit retro cor noſtrum: & declinaſti ſemitas noſtras à via tua:

22 Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis.

23 Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expãdimus manus noſtras ad Deum alienum:

24 Nonne Deus requiret iſta? ipſe enim nouit abſcondita cordis.

25 Quoniam propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.

26 Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.

27 Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ?

28 Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra: conglutinatus eſt in terra venter noſter.

29 Exurge Domine, adiuua nos: & redime nos propter nomen tuum.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumentū. *IDem habet hic pſalmus argumentum ac duo præcedentes, videtúrque vel à Dauide diuino numine afflato, animóque præſagiente miſerrimam captiuitatem: vel potiùs ab aliquo è poſteris Core in captiuitate Babylonica, atque cùm maximè vrgentibus malis, conſcriptus. In eo inducuntur exules Iſraëlitæ apud Deum ſic ſuam agentes cauſam: Tu es, ô Deus, qui olim maiores noſtros, ſicuti ab illis accepimus, in poſſeſsionem terræ Chanaan ſola tua virtute ac potentia abſque humanis viribus immiſiſti. Quin ergo nunc, cùm ſis idem rex noſter, pergis nos liberare? Quin facis tuo auxilio vt aduerſarios noſtros propulſemus? Nam cur in arcubus, & gladiis ſpem reponamus? Tu ſolus profectò, qui inimicorum conſilia, quum ab illis iam iam immineret exitium, toties euertiſti: proptereáque in os illorum de tuo auxilio ſolemus quotidie gloriari, nec dubitamus palàm affirmare, te nos tandem ex hac captiuitate educturum. Ecce autem expectamus in dies tuam opem. Verùm non modò nos non adiuuas, ſed prorſus repellis, qui antea tuebaris: nunc nos pudefacis, qui priùs hoſtes ignominia opplebas: facis quotidie vt terga vertamus, nos noſtráque prædæ & libidini hoſtium exponens, nóſque multis circùm gentibus haud ſecus quàm oues deuorandos præbens. Gentem tuam tibi olim chariſsimam viliſsimo aut potiùs nullo pretio primo licitanti venundandam exponis. Sumus denique populis fabula. Nec tamen ob tot tantáſque calamitates tui memoriam abiecimus, aut aliqua in re legi tuæ repugnauimus. Quòd ſi à te defecimus ad peregrinum aliquod numen, tuum eſt, Domine, hoc ſcelus vindicare, qui abſtruſos cordis receſſus introſpicis. At cùm tuâ vnius cauſſa quaſi oues quotidie mactemur, age, Domine, expergiſcere tandem, neque nos diutius deſere in tantis malis: ſed citò fer opem, ac redime pro tua clementia. Hæc ferè ſynopſis huius pſalmi, quæ argumentum non obſcurè indicat.*

2 *Auribus noſtris audiuimus*, &c. Senſus A huius verſus eſt, Accepimus à patribus non tantùm quæ ipſi coràm viderant, hoc ſignificat *in diebus eorum*: ſed etiam quæ à maioribus audiuerant, hoc ſignificat *in diebus antiquis*. Poteſt hic quoque eſſe ſenſus, Audimus quotidie, quæ maiores noſtri ſcripta reliquerūt de iis, quæ tu tēporib. ipſorum olim patraſti. Sic *in diebus eorum*, & *in diebus antiquis*, idem erit, & poſterius erit expoſitio præcedentis: quod potiùs puto, præſertim cùm nō intercedat copula- B tiua &. *Patres noſtri*. Habet hoc emphaſim, quaſi dicat, patres vel maiores noſtri, teſtes omni exceptione maiores, & quibus fuiſſet religio nobis vel poſteris imponere. Cæterùm monet hic verſus quotquot ſunt patres, vt verbi & operum Dei ſint Doctores & concionatores domeſtici: liberos verò, vt attentos auditores, ac ſtudioſos diſcipulos parentibus ſe præbeant. De hac re legendum caput 6. Deut. C

3 *Tu manu tua gentes eieciſti*. Iſraëlitę quippe nihil habuerunt neceſſe pugnare. *Gentes* ſeptem, Hethæos ſcilicet, Amorrhæos, Chananæos, & alios, de quibus lege Librum Ioſuæ. *Eieciſti* poſſeſſione & terra ſua: verbum enim hebraicum הוריש *horiſch*, propriè eſt, vt alia omittam ſignificata, *poſſeſsione* ſeu *hereditate eijcere*. *Et plantaſti eos*, ſupple patres noſtros, vel Iſraëlitas in illarum locum. Emphaticè vſus eſt verbo *plantandi*, vt ſignificaret fixas ibi ſedes habituros, non ſecus atque plantę ſeu arbores fixas in terra radices agunt. Sic Exod. 15. 17. *Introduces eos, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ*. Amos 9. verſu vltimo, *Et plantabo eos ſuper humum ſuam, & non euelletur* &c. *Et expuliſti eos* populos è ſuis ſedibus. Sunt qui verbum hebraicum וַתְּשַׁלְּחֵם *vatteſchallechem*, exponant, *& interfeciſti eos*, ex nomine שֶׁלַח *ſchelach*, quod *enſem* ſeu *gladium* ſignificat.

4 *Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram*. Habes ſimile Ioſ. 24. 12. *non in gladio, & in arcu tuo*. *Dextera tua*. Dexteram nominat, inquit Kimhi, quòd illâ res ac bellum geratur. *Lux vultus tui*, hoc eſt, fauor tuus. Nam qui alicui bene vult, illum ſolet vultu lucido ac ſereno aſpicere.

Complacuiſti in eis, hoc eſt, bene illis voluiſti, próque illis dimicaſti.

5 *Tu (es) ipſe Rex meus, ô Deus*: &c. Loquitur vnus pro multis. Tu ipſe es, inquit, qui talem te erga maiores noſtros prę-ſtitiſti: ſicut fuiſti tunc illorum rex ita nunc tu rex meus es, ô Deus verus iudex. Si ita eſt, ſicuti ſeruaſti patres noſtros, ſic nunc ſerua nos, & *manda ſalutem Iacob*, hoc eſt, iube vt ſalui ſint poſteri Iacob, quo modo Pſal. 91. 11. dicitur, *Quoniam Angelis ſuis*

Digitized by Google

mandabit de te, vt cuſtodiant te in omni-bus vijs tuis. *Iacob.* Collectiuè ſumi debet.

6 *In te inimicos noſtros* &c. Senſus eſt, Si tu volueris opem ferre, & tãtùm præcipere ac mandare, facilè hoſtes propulſabimus.

In te, hoc eſt, tua ope. *Cornupetemus*, hoc eſt, proſternemus, ac peſſundabimus: Metaphorâ à bobus ductâ, qui obuios quoſque cornibus diſiiciunt, ac proſternũt. Similis eſt locutio Deuter. 33. 17. *cornua rhinocerotis cornua illius; ipſis populos cornupetet ſimul vſque ad terminos terræ. Conculcabimus* noſtris ſub pedibus. Ego ſemper exiſtimaui hunc verſum, quò meliùs connectatur cum præcedente, precatiuè eſſe accipiendum, ac ſic vertendum *cornupetamus*, necnon *conculcemus:* quaſi dicat, Fac tua ope vt inimicos noſtros propulſemus, &c. Quod magis etiam credere cœpi, poſtquàm vidi idem placuiſſe collegæ noſtro doctiſſimo Gabrieli Sionitæ, qui ex Syro vertit, *per te impellamus inimicos noſtros, & propter nomen tuum conculcemus oſores noſtros.*

7 *Non enim in arcu* &c. Ratio eſt, cur dixerit in mox præcedente verſu, *in te*, necnon *in nomine tuo.* Non, inquit, ſperamus euadere nos poſſe ex hac captiuitate, noſtra virtute ac viribus, ſed tua vnius ope: tu enim ſolus es, (hoc ſignificat ſequens verſus) qui & ſæpe olim maiores noſtros, nóſque in hac captiuitate, quum exitium immineret ab hoſtibus, euerſo illorum conſilio, ſeruaſti.

9 *In Deo gloriamur*, ſeu *laudamus nos* &c. Sic coniunge cum præcedente, Ac nos propterea in os inimicorum gloriamur de tuo auxilio, ſubinde iactantes habere nos Deum, qui ſit rex noſter, nóſque tandem ex illorum manibus eripiat. Sunt qui vertant, *Deum laudabimus.* Sed in fragmentis Aquilæ eſt καυχησόμεθα, id eſt, *gloriabimur*, quod Interpres Vulg. exprimere voluit verbo *laudabimur.* Nam qui gloriatur, ſeipſum laudat, vt inquit Euthymius, qui illud *gloriabimur* tribuit Symmacho. Verbum quidem הִלֵּל *hillel*, aliàs ſolet eſſe actiuum ſeu tranſitiuum, ac ſignificat *laudare.* Verùm hoc loco intranſitiuè pro *laudare ſeipſum*, Ezra, & Kimhi accipiunt: & pſalm. 10. 3. idem hoc verbum intranſitiuè communiter accipitur.

10 *Etiam repuliſti*, &c. Sunt hìc aliqua ſupplenda, vt pateat contextus. Reticentiæ ijs familiares ſunt, qui graui ira aut dolore exagitantur, ac perturbantur. Sic ergo cum præcedente verſu hunc connecte, autore Kimhi, Atque ecce nos expectamus quotidie tuam opem. Verùm non modò
A nos non ſeruaſti, qui olim nos tuebaris, ſed
etiam repuliſti, nóſque hoſtium poteſtati,
atque arbitrio permiſiſti. *Et erubeſcere feciſti nos*, qui de tua ope atque auxilio quotidie gloriamur corã hoſtibus, qui nunquam ceſſant nos irridere, ac fruſtra expectatam tuam opem exprobrare. *Erubeſcere feciſti nos* contra *& oſores noſtros pudefeciſti.*

Et non egrederis &c. cùm ipſis hoſtibus ſæpe diximus te noſtris copiis præiturũ; ac ſicuti olim Iſraëlitæ à ſeruitute Ægyptiaca per te liberati ſunt, ſic nos ex hac captiuitate, tua ope, emerſuros. Notanda illa
B phraſis *egredi cum exercitibus*, pro, præire
exercitui, ſeu ducem eſſe exercitus. Similis eſt hæc phraſis illi Iud. 4. 14. *nonne Dominus egreſſus eſt ante te?* quam ſic explicat Latinus, *en ipſe ductor eſt tuus.* Addenda illa 1. Sam. 8. 20. *& iudicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra.* Similis etiam occurret pſal. 68. 8. Eadem verò prorſus pſalm. 60. 12. *Nonne tu, Deus, repuliſti nos, & non egredieris cum exercitibus noſtris?* Putarem, & huius connexionis mihi auctor eſt Meir Arama, hunc verſum, &
C qui ſequuntur, cum præcedente ſic poſſe
coniungi, Hactenus in his malis & calamitatibus te, ô Deus, non ceſſauimus laudare, & laudamus quotidie, ac deinceps æternùm tuum nomen celebraturi ſumus: *Etiam repuliſti*, &c. perinde ac ſi dicerent, Certè deinceps etiam, ô Deus, tuũ nomen celebrabimus, quicquid accidat. Nam quid eſſe poteſt, quod adducere nos poſſit, vt de tuis laudibus taceamus? Et quod maius malum accidere nobis poteſt, quàm quod experti ſumus, nec tamen propterea à te defecimus? Nimirum *Etiam repuliſti*, &c.
D cohærebit cum verſu 18. *Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te*, &c. quaſi dicerẽt, neque etiam tui obliuiſcemur vnquam, &c. adeóque nomen tuum ſemper celebrabimus, quicquid accidat. Haud aliena mehercule connexio, & quæ optimè procedit abſque vlla reticentia. Raſi eodem ferme modo coniungit, ad cuius mentem vertendum eſſet, *Etiam (ſi) repuliſti*, &c. hoc ſenſu, Etiamſi tu nos repuliſti, atque
E erubeſcere feciſti, nos tamen nomen tuum
æternùm prædicabimus. Hieroſolymitanus, vt obſeruat Ezra, vult אַף *aph*, quod alij vertũt *etiam*, eſſe pro בְּאַף *beaph*, hoc eſt, *In ira*, per eclipſin literæ ב frequentem in ſacris litteris. Ad eius ergo mentem vertendum eſſet, *In ira repuliſti*, &c. Illum refutat Ezra, ſed malè, meo iudicio, vt videre poſſunt, qui hebraicè intelligũt. Si ſic vertes, facilè iam fluet ſermonis contextus.

11 *Auertiſti* vel *Auertis nos* &c. Senſus, Non modò non fers opem, ſed facis etiam,

Digitized by Google

vt qui olim, te duce, fugientem hoſtem gnauiter ſumus perſecuti, nunc terga perſequentibus turpiter demus, iniecta animis noſtris in hoſtili ſolo tanta animi mollitie, vt perſequatur nos interdum ſonitus folij impulſi ac volantis, & ita fugiamus quaſi gladium; quemadmodum fuiſti olim interminatus, nimirum Leuit. 26.36. ſi aliquando à tuis mandatis deſciſceremus. *Auertiſti* vel *Auertis*. In Fonte eſt futurum, ſed pro præſenti, vt obſeruat Raſi.

Diripuerunt ſibi noſtras opes.

12 *Dediſti*, ſeu, *Poſuiſti nos tanquam oues eſcæ*, quas nulla religio eſt mactare ac iugulare: præbuiſti nos haud ſecus quàm oues mactãdos: aut ſaltẽ paſſus es nos miſeros hinc inde in varias Gentes ac terras abripi; quò pertinet ſequens membrum, *& in Gentibus diſperſiſti nos*, quod facilè de exulibus in Babylonia explicari poteſt: probabile enim eſt ex iis, qui fuerunt in Babyloniam tranſlati, aliquos rurſum à Babyloniis fuiſſe aliis atque aliis populis diuenditos, ſicque in alias atque alias regiones diſtractos: quò fortaſſe pertinet ſequens verſus. Significare igitur vult hoc verſu alios ſtatim fuiſſe interfectos, alios in ſeruitutem variè abreptos. Meir Arama huius verſus hunc putat eſſe ſenſum, *Poſuiſti nos tanquam oues eſcæ*, quæ pluris licitanti addicuntur, variéque huc illuc diſtrahuntur; quò pertinet poſterius membrum, *& in Gentibus diſperſiſti nos*.

13 *Vendidiſti populũ tuũ ſine pretio*, propriè *ſine diuitiis*. Nam vt qui rem aliquam vendit, ita illam à ſuo dominio alienat, vt ampliùs non poſſit ad illam reuerti: ſic propter longam iſtam captiuitatem videris nos vẽdidiſſe Gentibus: niſi quòd venditor pecuniam recipit, tu verò nullam; quò pertinet illud Eſaiæ 52.3. *Gratis venundati eſtis. Et non multiplicaſti pretiis eorum.* Nam tu illos non vendidiſti, quòd indigeres pecunia: tuum eſt enim aurum & argẽtum: quo modo dicitur Pſal. 50.12. *Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. Non multiplicaſti*, ſeu *auxiſti* ſup. opes aut rem tuam *pretiis eorum*. Sic ferè Kimhi ad hunc verſum. Mox laudatus Arama ſic ferme explicat hunc verſum, *Vendidiſti populum tuum ſine pretio*, vel *ſine pecunia*, hoc eſt, non numerato pretio, aut abſente pecunia, *& non multiplicaſti in pretiis eorum*, id eſt, nec tamen, vt fit, quando quis non emit præſente pecunia, auxiſti illorum pretia, aut fœnus ex merce fidei credita, vt ſolet, accepiſti. Senſus tandem erit, Deo vilem omnino fuiſſe gentem ſuam, ita vt eius nutu ac voluntate vili & paruo pretio venditi ſint Iudæi à Babyloniis inter ſe, aut aliis

A etiam nationibus. In poſteriore mẽbro, *& non multiplicaſti* &c. ex Latinis ſunt, qui putent alludi ad morem licitandi. Serui olim non vendebantur, niſi crebra licitatione aucto pretio. Volunt igitur ſignificari poſteriore membro Iudæos primo licitanti fuiſſe conceſſos. Ego putarem ſimpliciùs accipi poſſe poſterius hoc membrum, *& non multiplicaſti* &c. pro, *nec multum feciſti* ſeu *æſtimaſti pretium eorum*, ſicuti interpretatus eſt Symmachus. Optimè porrò dicitur *vẽdidiſti: non multiplicaſti*: quò detur in-
B telligi nutu Dei factum, non temere, & caſu, quòd quaſi pecudes venditi ſint Iſraëlitæ.

14 *Poſuiſti nos* &c. Senſus: Et qui è nobis relicti ſunt in patrio ſolo, nihil præter ludibria à vicinis populis audiũt. Vel vniuerſim ſignificat Iudæos omnibus circa populis, qui de illorum miſeriis accepiſſent, fuiſſe in deriſionem.

15 *Poſuiſti nos in ſimilitudinem* &c. In Fonte ad verbum, *Poſuiſti nos ſimilitudinem* ſeu *parabolam in Gentibus*, quod Vatablus ſic explicat, *prouerbium*, fabulam. Hebraiſ-
C mus, pro, Facis vt fabula ſimus Gentibus. Alij, *ſimilitudinem*, id eſt, Facis vt dicant Gẽtes de re vili, Hęc res eſt tam vilis, quàm Iudæus. Vel de homine calamitoſo, illum eſſe infœliciorem Iſraëlita, ſiue Iudæo. Sic ille. Priore modo accepit Syrus, ex quo vertit iam laudatus collega noſter, *Feciſti nos fabulam inter Gentes.* Secundo modo Kimhi. Quoquo modo accipias, ſenſus eſt perſpicuus. Reſpondet hic verſus prophetiæ, quæ legitur cap. 24. Ierem. vbi, ſcilicet verſu 9. habetur, *Et dabo eos in commo-*
D *tionem*, &c. *In opprobrium, & in parabolã, in fabulam, & maledictionem in vniuerſis locis, ad quæ eiecero eos.* Necnon prophetię, quã Moſes verbis Domini, ſcilicet Deuter. 28. 37. ad populum habuit, *Et eris in ſtuporem, in prouerbium, & fabulam, omnibus populis ad quos te introduxerit Dominus.*

Commotionem capitis in populis, repete *poſuiſti nos*, hoc eſt, nos populorum ludibrio expoſuiſti, qui nos videre non poſſunt quin agitent caput. Agitatio capitis geſtus
E eſt deridentium, aut illudentium: vnde illud 2. Reg. 19. 21. *Spreuit te, ſubſannauit te virgo filia Sion; poſt tergum tuum caput mouit filia Ieruſalem*: necnon illud pſ. 22. 8. *Omnes videntes me deridebant me, diducunt labium, mouent caput.* Cæterùm reſpondet hoc ad illud Ieremiæ in Threnis, cap. 2. 15. *ſibilauerunt, & mouerunt caput ſuum ſuper filiam Ieruſalem, (dicentes,) Hæccine eſt vrbs, quam dicebant perfecti eſſe decoris, gaudium vniuerſæ terræ?*

15 *Tota* (vel *Omni*) *die verecundia mea*

Digitized by Google

coram me eſt, &c. Senſus, Nullo non die, A imò ſingulis momentis ob oculos verſatur pudor : toto vultu pudore ſuffundor audiens probra hoſtium, quò pertinet ſequens verſus.

17 *A voce exprobrantis, & obloquentis* ob diuturni exilij mala & calamitates. *A facie inimici*, &c. quaſi diceret, etiamſi taceant hoſtes, tamen vel ſolum os illorum impudens ac ſuperbum me totum pudore obruit. Igitur *à facie* hoc loco accipiendum, vt ſonat: niſi fortè *propter*, vt aliàs ſæpe, velis interpretari. *Vltoris*, ad verb. B *vlciſcentis ſe*, hoc eſt ex Kimhi, eorum qui non ſecus ac ſi illis iniuriam feciſſemus, pœnas à nobis repoſcunt. Græcus vertit ἐκδιώκοντος, vnde Lat. *perſequentis*, quorum vterque ſenſum duntaxat reſpexit, non vocem. Agellius, Epiſcopus Acernẽſis, obſeruat tamẽ ex aliis locis coniici poſſe Septuaginta vertiſſe ἐκδικοῦντος, *vltoris*, quòd videlicet in pſalmo 8. 3. idem hebræum verbum tranſtulerint ἐκδικητήν. Chaldæus emphaticè expreſſit, *vlciſcentis vltionem*, volens ſignificare maximum vltionis ſtu- C dium.

18 *Hæc omnia venerunt ſuper nos*, ad verb. *Totum hoc venit nobis*, (quod ſcilicet à decimo verſu ad hunc vſque dictum eſt) *nec obliti ſumus te*. Senſus, Tot mala nobis acciderunt, dum interim hoſtibus nihil ad fœlicitatem deeſt, nec tamen propterea tui memoriam vnquam abiecimus. *Et iniquè non egimus*, ad verb. *nec mentiti ſumus*, hoc eſt, nec mendaciter ſeu perfidè egimus, *in teſtamento tuo*, heb. *in pacto tuo*, hoc eſt, in iis, quæ ad tuum pactum ſeu Legem pertinent. Potes commodè vertere, *in pactum tuum*. Quid per *pactum Dei* intelligi de- D beat, vide ad verſum 14. pſal. 25. Græcus & Latinus in Pſalmis ſemper ponunt *teſtamentum* pro *pacto*.

19 *Non receſſit retro cor noſtrum* à fide ſeu veritate tua, *& (non) declinauit greſſus noſter à via tua*, hoc eſt, à mandatis tuis. Particulam negatiuam ex priore membro ad poſterius trahendam eſſe docent Ezra, & Kimhi. Syrus bis negationem expreſſit. Hieronymus quoque. Non eſt nouum ex priore E membro repeti negationem. Exemplum habes inſigne pſal. 9. 19. Græcus & Latinus verterunt, *& declinaſti ſemitas noſtras à via tua*: legerunt enim וַתַּט *vattath*, *& declinaſti* actiuè, pro וַתֵּט *vatteth*, *& declinauit* intranſitiuè: quo modo & Chaldæus legit, qui vertit, *& tu declinaſti* ſeu *declinare feciſti*. Illud porrò *& declinaſti*, Geneb. Card. Bellarm. & alij interpretantur repetendo præcedentem negationem, hoc modo, & (ſup. *non*) *declinaſti* &c. hoc eſt, & non paſſus es greſſus noſtros declinare à via tua: id quod in noſtrum ſenſum incidit. Meir Arama exponit quidem, vt initio eſt dictũ: ſed hanc præterea adfert expoſitionem, *& declinaſti* &c. hoc eſt, etſi feciſti aut facis vt declinet greſſus noſter à via tua : *Quoniam contriuiſti nos* &c. Quod ſic explico, etſi quodammodo dederis aut das occaſionem declinandi atque errandi à tuis mandatis, propter nimis graues calamitates à te nobis immiſſas.

20 *Quum contriuiſti nos* &c. Hoc coniungunt Raſi & Kimhi cum ſequentibus, & כִּי *ci*, interpretantur כַּאֲשֶׁר *caaſcher*, *Quum*. Poteſt verti *Quoniam* &c. præſertim ſi hũc verſum è ſuperiore pendere vis. *Contriuiſti*, hoc eſt, iuxta Raſi, depreſſiſti, ſeu *humiliaſti*, vt eſt in Vulgata. *In loco draconum*, vel *cetorum* : vox enim hebraica תַּנִּים *tannim*, ſignificat dracones terreſtres & marinos. *In loco draconum*, hoc eſt, iuxta Kimhi, inter gentes draconibus & vlulis feritate ſimiles. *Vmbra mortis*, hoc eſt, horroribus mortis : quo modo *vmbra mortis* accipitur Ierem. 2. 6. *qui traduxit nos per deſertum, per terram inhabitabilem, & inuiam, per terram aridam, & vmbræ mortis*, id eſt, horridam, & quæ incutit metum mortis. Alij, in quibus Ezra, per *locum cetorum* volũt intelligi ipſum maris profundũ, in quo cete verſantur: per *vmbrã mortis*, (hoc eſt, denſiſſimas tenebras, quales ſunt poſt mortem, vel quales iam iam morituris offundũtur) metaphoricῶs ipſam aquarum obſcuritatem, quæ nihil eſt aliud quàm profundũ: per profundum denique ingentia pericula, ex quibus difficile ſit emergere. Quòd *vmbra mortis* ſignificet denſiſſimas tenebras, probat imprimis illud Iob 34. 22. *Non (sũt) tenebræ, & nõ (eſt) vmbra mortis, vt abſcondantur ibi qui operantur iniquitatẽ*. Cuius loci ſenſus eſt, Nullæ ſunt tenebræ, quantumlibet denſæ, vbi homines iniqui Deum latere poſſint.

21 *Si obliti ſumus* &c. in corde noſtro propter tot, quæ patimur, mala. *Et expãdimus manus noſtras ad Deum alienum*, hoc eſt, Deum earum Gentium, inter quas verſamur, etiãſi illis quotidie cernamus proſperè omnia ſuccedere. *Deum*. Vtitur hîc nomine אֵל *el*, Deum vt fortem ſignificante, quaſi hoc velit, ſi ſupplices vnquam fuimus peregrino cuipiam numini, quantumuis fortitudinis nomine apud cultores ſuos commendato.

22 *Nonne Deus* iudex *requiret*, ſeu, *inquiret iſtud*, hoc eſt, iſtius ſceleris rationem repoſcet, cùm nil eum lateat? quò pertinet, *ipſe enim nouit abſcondita cordis*, quaſi diceretur, ipſe enim ſcit num vel cogitatio-

Digitized by Google

ne peccauerimus.
23 *Quoniam propter te* &c. Refer hunc verſum ad ſequentẽ,quaſi dicatur, Cùm ergo tuâ vnius cauſſâ quotidie mactemur,&c. *Exurge*, &c. *Propter te*, à cuius fide nulla ſuppliciorũ vi atque acerbitate cogi poſſumus, vt deficiamus. Poteſt hic verſus eſſe ratio verſus 18ı. &19ı. ita vt quæ interiecta ſunt, quaſi per parentheſin dicta accipi debeant. Sic ſenſus erit, Ita eſſe, vt dicimus, nunquam nos ſcilicet fœderi tecum inito renuntiaſſe, nec à Lege tua deſciuiſſe, teſtantur quotidianæ cædes, & dira ſupplicia, quibus nominis tui cauſſâ quotidie afficimur.
24 *Exurge, quare obdormis* &c. Ἀνθρωποπαθῶς hoc dicitur. Nihil agit, qui dormit: Deus igitur quum ſtatim ſuis non fert opem, dormire videtur, eóſque negligere. Chaldæus interpretatus eſt, *Viriliter age, quare eris ſicut vir dormiens, Domine?*
25 *Faciem tuam abſcondis.* Vide quid ſit *faciem abſcondere* ad verſ.2. pſ.13. *Obliuiſceris* ἀντὶ τὸ *nec obliti ſumus te.* Quî Deus dicatur obliuiſci vide loco mox citato. Senſus huius verſus eſt, Quare oculos à noſtris miſeriis auertis, aut ſi tu illas cernis, cur negligis, quaſi oblitus ſis?
26 *Quoniam humiliata*, ſeu *incuruata eſt*, ſeu *propendet* &c. Senſus eſt, Mox ſumus caſuri, imò iam cecidimus. Igitur nos excipe, atque erige. *Anima noſtra*, id eſt, nos, vernaculè *nos perſonnes*, pars pro toto. Vide ad verſ.5. pſ.6. Quidam *animam* hîc pro corpore accipiunt, quo modo videtur interdum ſumenda, vt pſ.106.15. *& miſit maciem in animam eorum*: & alibi: qua de re conſulenda Lexica. *Adhæſit* ſeu *adhæret terræ* &c. hoc eſt, iam cecidimus, & quidem proni in terram. Poſteriore parte huius verſus plus videtur ſignificari, quàm priore: poſteriore enim ruina & caſus; priore verò videtur tantùm ſignificari proxima ruina; & hoc probat ſimilis locutio, quæ occurrit Prouerb.2.18. *In-*
A *clinata eſt enim* (in Græco ἔθετο ex שָׁתָה *ſchatha, poſuit*, pro שָׁחָה *ſchacha*, ת pro ח, *ad mortem domus eius, & ad mortuos ſemitæ ipſius*: quod nihil aliud eſt, quàm mortem minatur domus eius, &c. Quòd ſi velit aliquis idem priore, quod poſteriore membro ſignificari, vertat *humiliata* ſeu *incuruata eſt vſque ad puluerem* &c. ל ſignificat *ad, in, vſque ad*, & alia. Ezra ſic habet ad hunc verſum, Quid nobis reliquum eſt ſpei, cùm anima noſtra, quæ è ſupremis cœlis
B originem ducit, depreſſa ſit ad puluerem, & adhæreat terræ, hoc eſt, ſepulchro? *Venter noſter*, id eſt, corpus. Sic ferè ille. Kimhi autem ad iſtum ferè modum, *incuruata eſt ad puluerem anima noſtra*, quaſi diceret, propè eſt vt exeat è corpore. *Adhæret terræ venter noſter.* Nam quiſquis cadit, manibus niti ſolet: at quum fortè deficiunt manus, ventre in terram ruere oportet. Vterque ſcilicet vocabulum *animæ* accepit, vt ſonat.
27 *Surge in auxilium nobis.* Vel *Surge auxiliũ nobis*, hoc eſt, tu qui fuiſti toties nobis
C auxiliũ. Priore modo ה erit locale in עֶזְרָתָה *ezratha*: poſteriore, vel ad elegantiam duntaxat, vel ad auxeſin & ampliandam ſignificationem erit additum; qua de re vide ad verſ.3. pſal.3. *Propter miſericordiam tuam.* Sic ferè hoc explicat Raſi, non accedimus noſtris freti operibus: ſed propter miſericordiam tuam fac. Kimhi eodem pene modo: Si nihil in nobis eſt operis, vt redimas nos propter nos, fac propter te, propter miſericordiam tuam. Addo, fac propter miſe-
D ricordiam tuam, qui dixiſti *Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer*: Eſ.48.11. *Propter miſericordiam tuam*, hoc eſt, ne iniuria fiat tuæ miſericordiæ: ne hoſtes cauſſam habeant calumniandi tuam clemẽtiam. Hoc ſenſu Eſa. cap. cit. verſu 9. *Propter nomen meum*, inquit Deus, *longè faciam furorem meum, & (propter) laudem meam refrænabo iram meam, vt non ſuccidam te.*

Digitized by Google

PSALMVS

XLV. XLIV.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI ſuper [a] So-
ſannim [b] filiis Core, Dida-
cticon, Canticum amorum.

2 Ebullit cor meum verbum bo-
num; dico ego opera mea Regi: lin-
gua mea calamus ſcribæ [c] velociter
ſcribentis.
3 [d] Specioſus es forma præ filiis ho-
minum; diffuſa eſt gratia in labiis tuis:
[e] propterea benedixit te Deus in æter-
num.
4 [f] Accingere gladio tuo ſuper fe-
mur, ô potens; gloria tua, & decore
tuo:
5 Et (in) decore tuo proſperare;
equita [g] propter veritatem & man-
ſuetudinem (&) iuſtitiam: & doce-
bit te terribilia dextera tua.

6 Sagittę tuæ acutæ; populi ſub te
cadent: (cadent) in [h] corda inimi-
corum Regis.
7 [i] Sedes tua, Deus, in ſeculum &
æternum: virga æquitatis, virga regni
tui.
8 Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti ini-
quitatem: propterea vnxit te Deus
Deus tuus oleo lætitiæ præ conſorti-
bus tuis.
9 Myrrha, & aloë, (&) caſiæ om-
nia veſtimenta tua, è palatiis ebur-
neis; ex (quo) lætificauerunt te.
10 Filiæ regum inter [l] honorabiles
tuas: adſtat coniunx ad dexteram
tuam in auro [m] Ophir.
11 Audi filia, & vide, & inclina au-
rem tuam: & obliuiſcere populum
tuum, & domum patris tui.

a vel *Hexacorda*
b vel *filiorum Core*,
c ad verb. *velocis*, vel *exercitati*.
d propriè *Pulcher fuiſti valde præ*
e vel *propterea quòd*
f vel *Accinge gladium tuū*
g vel *ſuper verbum veritatis &c.*
h heb. *cor*
i *Solium tuum*,
l *charas*
m vel *obrizo*.

VETVS.

*IN finem, pro iis qui commu-
tabuntur, filiis Core, ad in-
tellectum, Canticum pro di-
lecto.*
2 *Eructauit cor meum verbum bonum:
dico ego opera mea regi.*
3 *Lingua mea calamus ſcribæ, veloci-
ter ſcribentis.*
4 *Specioſus forma præ filiis hominum,
diffuſa eſt gratia in labiis tuis: propterea
benedixit te Deus in æternum.*

5 *Accingere gladio tuo ſuper femur
tuum, potentiſſime.*
6 *Specie tua, & pulchritudine tua in-
tende, proſperè procede, & regna.*
7 *Propter veritatem & manſuetudi-
nem, & iuſtitiam: & deducet te mira-
biliter dextera tua.*

8 *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te ca-
dent, in corda inimicorum regis.*

9 *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: vir-
ga directionis, virga regni tui.*

10 *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniqui-
tatem: propterea vnxit te Deus Deus
tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

11 *Myrrha, & gutta, & caſia à veſti-
mentis tuis, à domibus eburneis: ex qui-
bus delectauerunt te filiæ regum in hono-
re tuo.*
12 *Aſtitit regina à dextris tuis in ve-
ſtitu deaurato: circumdata varietate.*
13 *Audi filia, & vide, & inclina au-
rem tuam: & obliuiſcere populum tuum,
& domum patris tui.*

Digitized by Google

14 *Et concupiſcet rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.*

15 *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur: omnes diuites plebis.*

16 *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.*

17 *Adducentur regi virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi.*

18 *Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum regis.*

19 *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.*

20 *Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem.*

21 *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi.*

12 Et concupiſcet Rex decorem tuum: quoniam ipſe (eſt) dominus tuus; & adora eum.

13 Et filia Tyri in [n] muneribus vultum tuum deprecabuntur, diuites populi. — n heb. *munere*

14 [o] Omnis gloria filia Regis intus: ex veſtibus auro intertextis veſtimentum eius. — o vel *Tota glorioſa*

15 In veſtibus acu pictis adducetur Regi: virgines poſt eam ſociæ eius adducentur tibi.

16 Adducentur in [p] lętitia, & exultatione: ingredientur in palatium Regis. — p heb. *lætitiis*,

17 Pro patribus tuis erunt filij tui: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

18 Memorabo nomen tuum in omni generatione & generatione: propterea populi confitebuntur [q] tibi in ſeculum & æternum. — q vel *tu*

COMMENTARIVS.

Argumentum. HIC *pſalmus propheticus eſt, continètque Epithalamium, quo Chriſti cum Eccleſia nuptiæ celebrantur, idémque habet argumentum quod Canticum canticorum, eiúſque videtur eſſe epitome. Autor Epiſtolæ ad Hebræos id manifeſtò conuincit. Ezra vel de Dauide, vel de filio eius Meſſia vult accipi. Verùm Kimhi, Kabuenaki & innumeri alij, etiam recentiores, de Meſſia hunc pſalmum duntaxat intellexerunt. Et Meir Arama conſentire omnes ait hunc pſalmum loqui de Meſſia. Vide plura in explicatione Tituli, quod ad hunc Arama attinet. Hoc igitur carmine Meſſias quaſi ſponſus aliquis ab oris venuſtate ac ſermonis elegantia commendatur: inuitatur vt prodeat accinctus gladio, ac decore maieſtatis: vt fœliciter obuios hoſtes perrumpat: vt currum conſcendat, veritatem, manſuetudinem, ac iuſtitiam longè latéque perlaturus: prædicitur magna ac ſtupenda ſuâ manu eſſe confecturus: ſagittis ſuis præacutis hoſtium pectora transfoſſurus, atque adeo totas gentes proſtraturus: ſumma iuſtitia atque æquitate æternùm regnaturus; quippe qui à Deo peculiari ratione præ reliquis mortalibus vngendus ſit. Depingitur veſtibus pretioſis, & ſuauiſſimis odoribus perfuſis indutus in ſumma omnium gratulatione: & tanquam magnus aliquis rex, qui habeat in gynæceo quamplurimas lectiſſimas mulieres è Regum familiis, vnam verò primariam dexteræ ſuæ aſſidentem in ornamentis aureis. Inde ſubitò Poëta ſermonem transfert ad primariam ſponſam, ſeu coniugem, quam hortatur, ſi maritum amore ſui velit accendere, ſuæ vt gentis ac paternæ domus, omniúmque quæ antea chariſſima habuerat, prorſus obliuiſcatur, ſeque illi tanquam domino ſubijciat, ac morem gerat: fore hoc pacto, vt & ille ab eius ſuauiſſimo complexu nunquam auellatur: & Tyrij, alijque opulentiſſimi populi ad illam venerandam, & muneribus ornandam certatim concurrant. Depingitur poſtea coniunx illa veſtibus auro intertextis amicta, ſed domi ſub ſpecie maieſtatis latens: ingrediens ad ſponſum non ſine regio apparatu; pariter quoque cæteræ regij gynæcei virgines, nec ſine maxima lætitia, & applauſu. Promittitur denique ſponſo ſoboles nihilo maioribus inferior, ſed quæ per vniuerſum terrarum orbem ſit regnatura. Hæc porrò omnia merè ſunt allegorica, vt ſigillatim oſtendetur in Commentario. Continet enim hic Pſalmus præſertim, etiam quoad litteram, Epithalamium ſpiritualis connubij Chriſti*

Digitized by Google

cum Eccleſia, non corporalis illius Salomonis cum Pharaonis filia: ſicuti vnuſquiſque intelliget, qui non tanquam Fauſtus Manichæus ſe geret, qui, vt inquit D. Auguſtinus, oculis clauſis nihil ſe in Literis ſanctis inueniſſe dixit, quod ad prænunciationem Chriſti pertineret. Quid autem mirum, *inquit*, ſi oculos habet ad legendum, & cor ad intelligendum non habet, qui poſitus ante oſtium clauſum diuini ſecreti, non fide pietatis pulſat, ſed electione impietatis inſultat? *Si quis tamen hunc pſalmum de Salomone velit accipere, non eum Chriſto magnam iniuriam facturum iudicabo, modò ne in Salomone hæreat, ſed ad eum, cuius typus fuit, progrediatur, nempe Chriſtum. Ad nos profectò quod attinet, nuptias illas Salomonis non putamus tanti, vt in ijs explicandis tempus & operam abuti velimus.*

1 *Super Soſannim.* שׁשׁנים *Schſochannim*, A *lilia* ſignificat, & pro liliis interpretatur hîc Raſi, qui pſalmum ſcriptum eſſe vult in honorem ſapientiæ ſtudioſorum, qui teneri ſint, pulchri, ac virentes, non ſecus atque lilia. Accipio hanc interpretationem: niſi quòd per *lilia* deſignari exiſtimo ſponſum & ſponſam, hoc eſt, Chriſtum & Eccleſiam. Huc faciet illud Cant. 2. 1. & ſeq. *Ego flos* (prop. *roſa*) *campi, (&) lilium conuallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Ezra putat *Schoſchannim* hoc loco eſſe initium cantilenæ: Kimhi nomen inſtrumenti muſici. Ex Latinis ſunt qui vertant *ſuper Hexacorda.* Sanè vox illa à שֵׁשׁ *ſcheſch*, id eſt, *ſex*, originem habere videtur. Græcus & Lat. habent *pro ijs qui commutabuntur:* legerunt enim pro שׁשׁנים *ſchoſchannim* ששׁנים *ſcheſchſchonim*, à verbo שָׁנָה *ſchana*, quod eſt *mutari, variari.* *Didacticon*, ſeu, *erudiens*, quo modo nimirum ſe ſponſa erga ſponſum, hoc eſt, Eccleſia erga Chriſtum gerere debeat. De hac voce plura alibi dicta ſunt. Nunc tantùm attingimus, quæ ad præſens inſtitutum pertinent. *Canticum amorum*, Dei ſcilicet, inquit Kimhi, erga Meſſiam ſuum. Ego explico *Canticum amorum*, quibus ſcilicet ſponſus ſponſam, & ſponſum ſponſa, hoc eſt, Chriſtus Eccleſiam, & hæc Chriſtum mutuò ſe complecti debent. Meir Arama voces omnes huius Tituli ad argumentum pertinere vult, *Soſannim*, quæ ſonat *lilia*, *Iedhidhoth*, quæ *amores*, *Maſcil*, quæ *erudiens*: ac voce quidem *Soſannim* Iſraëlitas notari, qui ſunt tanquam lilium inter ſpinas, de quibus Iſraëlitis loquatur hoc carmen; voce autem *Iedhidhoth* deſignari Meſſiam, qui יְדִידְיָה *iedhidhia*, appel- 2. Sam. 12. 25.
letur nomine patris ſui (Salomonis,) hoc eſt, *Amabilis Domino:* denique vocabulo *Maſcil* ſignificari carmen erudiens, quo ſcilicet Dauid inſtruxerit filios Core. Ita fermè ille.

2 *Ebullit cor meum* &c. Proœmium eſt, in quo ait ſe inſtituere carmen de Rege Meſſia. *Ebullit*, præ feruore ſcilicet. *Ebullit cor meum verbum bonum*, hoc eſt, Meditatur animus meus, idque non ſine calore ac feruore, (hoc enim importat *ebulliendi* verbum) præclarum atque inſigne aliquod carmen: præclarum quidpiam æſtuat ac geſtit dicere cor meum. Verbo *ebulliendi* ineſt ſingularis vis. *Dico ego opera mea*, emphaticè in numero plur. quaſi dicat, carmen hoc meum propter excellentiam multis operibus æquiparandum cano. *Regi.* In honorem Regis Meſſiæ. *Lingua mea* &c. Hoc ſic explicat Chaldæus, *ſermo linguæ meæ feſtinat*, (ſeu *velox eſt*,) *ſicut calamus ſcribæ aſſueti* ſeu *exercitati.* Sic ferè Kimhi, lingua mea de illo loquitur B feſtinanter: ac ſicuti calamus ſcribæ velocis nullam facit moram in ſcribendo, ſic neque ego, dum hæc dico de Rege. Significare vult, vt ego quidem puto, quiſquis eſt huius pſalmi author, magnum dicendi ac ſcribendi ardorem, qui non patiatur moras: vel, vt alij putant, illa carmina, quæ à Spiritu ſancto dictantur, non ita tardè componi, vt alia poëmata; ſéque promptum eſſe ad excipienda dictata Spiritus ſancti, non tardum aut ignauum. Poſſunt hæc verba hanc habere ſententiam, lingua mea nitidè ac tersè elocutura eſt, ſicuti quis ſcribendi peritus nitidè litteras pingit. Hoc C modo puto accepiſſe Raſi, qui obſeruat vidiſſe ſe in *Ieſod* R. Moſis Darſan, מָהִיר ס״ *mahir* (quod vulgò verti ſolet *velocis*) arabicè ſonare *exercitatum.* Certè Chaldæus hîc reddidit *aſſueti.* Et quid aliud, quæſo, ſignificat iſta vox Eſdræ 76. *& ipſe ſcriba velox*, id eſt, promptus & exercitatus in Lege Moſis.

3 *Specioſus formâ præ* &c. Vel potiùs *Pulcher es valde præ* &c. Nam יָפְיָפִיתָ *iophiaphita*, ob duplicationem primæ & ſecundæ thematis auget ſignificatum. Kimhi hoc loco dicit omnem dupli- D cationem valere ad amplificandam ſignificationem: at Ezra diſtinguit, docétque duplicationem ſecundæ & tertiæ thematis minuere, duplicationem verò primæ & ſecundæ augere ſignificatum. Sed ad ſenſum. Conuertit ſermonem, ſubitâ apoſtrophe auctor Pſalmi ad ſponſum Chriſtum. Tu, inquit, formæ nitore, atque elegantia mortales omnes longè ſuperas; mirúſque lepos,

Digitized by Google

lepos, & grata ſermonis venuſtas tuis labellis inſidet: *propterea* ego dico quòd *benedixit te Deus in æternum*, hoc eſt, & quoniam iſtis te video corporis donis à Deo ſupra cæteros homines ornatum, ego nil dubitabo dicere te eum eſſe, cui Deus *in æternum* benedixerit, id eſt, cui benedixerit, neque verò ad breue aliquod tempus, ſed ad omnem æternitatem, ſiquidem ſupra omnes mortales, qui vſquam fuerunt, aut erũt, venuſtate excellas. Hoc ſonat hic verſus. Neque profectò dubium eſt, quin Chriſtus non animi modò, ſed etiam corporis dotibus ſupra cæteros mortales, quum etiam in his terris mortalis ageret; excelluerit, qui virgo de virgine, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſſet. Quomodò Apoſtolos tótque hominum millia tam facilè ac citò ad ſe pertraxiſſet, allexiſſétque, niſi quiddam in vultu ſydereum, vt loquitur alicubi D. Hieronymus, habuiſſet? Quomodò ad eius conſpectum, qui ad eum comprehendendum venerant, corruiſſent? Gratam verò, ſuauem, & auctoritatis plenam eius orationem fuiſſe oportet, de quo ſcripſit D. Lucas, cap. 4. *Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.* Ezra dicit hoc verſu quidem, vt ſonat, prædicari formam corporis, atque elegantiam ſermonis, ſed figuratè ſignificari animæ præſtantiam ac ſapientiæ latitudinem: ſiquidem verbum internum reperiatur in anima hominis. Admitto hoc lubens, ſignificari ac prædicari magis hîc animæ Chriſti pulchritudinem, (quippe quæ omni labe peccati, etiam originalis, caruit) quàm corporis. Chaldæus hunc verſum ſic eſt interpretatus, *Pulchritudo tua, ò rex Meſsia, excellens eſt præ filiis hominum; datus eſt ſpiritus prophetiæ in labiis tuis: propterea* &c. Pene omiſeram particulam *propterea*, non vſurpari hoc loco illatiuè, quaſi dicatur, idcirco à Deo benedictum ac benedicendum, quòd oris formâ & gratiâ excellat: ſed potiùs quòd oris formâ & venuſtate præſtet, illum à Deo benedictum, ſiquidem pulchritudo benedictionis Dei donum ſit, facilè conuinci. Experiar & dicam planiùs, ſi potero. Non indicatur vocabulo, *propterea*, cauſſa Dei benedictionis, ſed in Dei benedictionẽ, tanquã cauſſam, refunditur formæ ac venuſtatis donum: quaſi diceretur, propterea quòd *benedixit te Deus*, &c. ſeu, vt iam dictum, *propterea* dico, *Benedixit te* &c. Imò vertere profectò poſſis *propterea quòd benedixit* &c. Nam עַל־כֵּן *al-cen*, vt ad verſ. 7. pſal. 42. obſeruatum, interdum *propterea quòd* ſignificat. Vide illic.

In Epiſt. ad Principiam.

A 4 *Accingere gladio* &c. Ioſeph Kimhi, vt obſeruat Kimhi filius, vult hoc accipi metaphoricè, & gladium nil aliud eſſe quàm gloriam & decorem: quaſi diceretur, Timeant te populi propter gloriam & decorem, qui in te eſt, ſicuti timere ſolent fortem aliquem virum enſe accinctum. Veteres Rabbini, quos ſequutus eſt Raſi, hunc verſum explicant de bello Legis, (ita enim ipſi loquuntur) ac per *gladium* verba Legis intelligunt, ídque, vt ipſi affirmant, ad literam. Raſi ſic habet, *Accinge gladium tuum* B &c. ad pugnandum bellum Legis. Certè bellum hoc, ſi quiſquam vnquam, Chriſtus geſſit, qui annos tantùm duodecim natus in templo ſedit in medio Doctorum audiẽs illos, & interrogans eos, ſtupentibus omnibus, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius, vt legere eſt Lucæ 2.

Per *gladium* ergo hoc loco intelligatur virga ferrea, qua Chriſtus conterit gentes, eáſque tanquam vas figuli confringit, iuxta vaticinium Dauidis pſ. 2. 9 virga oris, qua percutit terram, & ſpiritus labiorum, quo C interficit impium, iuxta vaticinium Eſa. 11. 4. Chriſti gladius, eius eſt ſermo viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum. Chriſti gladius, eſt gladius oris eius, quo cum hæreticis pugnat, vt eſt Apocal. 2. Gladius eſt ex vtraq; parte acutus de ore eius procedens: vt in ipſo percutiat Gẽtes; vt eſt Apoc. 19. *Super femur*. Chaldæus, Græcus, & Latinus addiderunt *tuum*. D *O potens*. Epitheton Chriſto cõueniens, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Aliis (*ſicut*) *potes*. *Gloria tua*, &c. ſup. *accingere*. Accipere potes in hunc modum, *gladio tuo, gloria tua*, &c. quaſi hoc dicatur per appoſitionem, gladio tuo, qui non eſt alius, quàm gloria tua, &c. vel quo decus tibi & imperium comparabis.

Ad Heb. 4.

Matth. 28.

5 *Et (in) decore tuo*. Græcus habet καὶ ἔντεινε: Latinus *intende*: vterque enim legit הַדְרֵךְ *hadrech*, pro הֲדָרְךָ *hadharecha*. *Proſperare*: iuxta alios, *ſinde* ſeu *ſcinde*, aut *perrumpe*, hoſtes ſcilicet. *Propter*. In E Fonte -עַל־דְּבַר *al-deuar-*, hoc eſt ad verb: *ſuper (propter) verbum*, ſeu *negotium*, quod nihil eſt aliud quàm *propter*. Similis locutio occurrit pſalmo. 79. 9. *Adiuua nos Deus ſalutis noſtræ propter gloriam nominis tui*; ad verb. *ſuper verbum gloriæ* &c. pro quo in Chald. מְטוּל *metul*, id eſt, *propter*. Sic accepit Chaldæus, qui habet, *proſperabis, vt equites ſuper equos regios, (regni,) propter negotium fidei*, &c. Sic quoque Raſi, qui עַל־דְּבַר־אֱמֶת *al-deuar-emeth*, hoc eſt, *ſuper (propter) verbum* ſeu *negotium veri-*

tatis, ſic interpretatur, ad docendum ſe-
cundùm ius. Alij vertunt, *equita ſuper ver-
bum veritatis*, &c. hoc ſenſu iuxta Ioſeph
Kimhi, vt currus Meſſiæ ſit veritas, man-
ſuetudo & iuſtitia. *Manſuetudinem (&)
iuſtitiam.* Iuxta alios *manſuetudinem iuſtitiæ*,
ita vt ענוה *anua*, ſit pro ענות *annath*, ſyn-
tactico, qualia ſunt multa in ſacris litteris.
Priore modo Chaldæus: poſteriore Raſi:
vtroque Kimhi. Ad mentem Ezræ eſſet ver-
tendum *manſuetudinis (cum) iuſtitia.* *Et
docebit te* &c. Continuat belli metapho-
ram. *Docebit te*, facere nimirum, *mirabi-
lia* &c. hoc eſt, tu, tuâ adiutrice dextrâ, ma-
gnâ atque ſtupenda conficies. *Docebit* ſci-
licet *dextera tua* in nominandi caſu: quan-
quam ſic eſt in Chaldæo, *& docebit te Do-
minus facere terribilia manu dextera tua.*
6 *Sagittæ tuæ* (ſup. *ſunt*) *acutæ.* Idem
ſagittæ ſignificant quod verſu 4. ὁ *gladius.*
Cadent. Verbū hoc pertinet & ad τὸ *popu-
li ſub te cadent:* (verbum enim hebraicum
habet athnach diſtinguendi notam) & ad τὸ
in corda, heb. *cor inimicorum Regis*, illud
repetendo ſic, *cadent*, ſcilicet ſagittæ illæ
tuæ, *in corda* &c. Quæ fortaſſe ratio eſt, cur
יפלו *ijppelu*, etſi cum Athnach, ſcribatur
cum ſcheua, cùm alioqui debuerit ſcribi
cum cholem, hunc in modum, יפלו *ijppolu:*
quòd nimirum idem illud verbum etiam
ad ſequens membrum pertrahendum ſit,
ac ſic ſine athnach ſcribendum. Hoc ex He-
bræis ferè. *Inimicorū Regis*, pro inimi-
corum tuorum, mutatione perſonæ ad em-
phaſim.
7 *Sedes tua*, (*Solium tuum*,) *Deus*, &c.
Vide. Meſſiam alloquitur, quem Deum
vocat, & quidem אלהים *Elohim*, hoc eſt,
Deum Iudicem, quia *ipſe eſt qui conſtitutus
eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum*, vt
dicebat D. Petrus Act. 10. hucq; ſpectat po-
ſterius membrum, *virga æquitatis*, &c.
Iudæi quoniam ſentiunt ſe premi hoc ver-
ſu, vt fateantur Chriſti ſeu Meſſiæ diuinita-
tem, conantur ſeſe aliquo pacto expedire.
Raſi vult hoc loco אלהים *Elohim*, non
Deum, ſed *principem & iudicem* ſignifica-
re, ſicuti Exod. 7. 1. *Ecce conſtitui te Elo-
him Pharaoni.* Verùm, vt omittam hoc
gratis dici, non eſt ad rem hoc exemplum:
ibi enim Moſes non abſolutè *Elohim* vo-
catur, ſed *Elohim Pharaoni*, cùm aliqua
nimirum reſtrictione, & notâ, quæ cum à
vero Deo diſcernit: hîc verò Chriſtus ab-
ſolutè *Elohim* appellatur. Quidam dicit
hunc verſum ad Deum debere referri.
Verùm, inquit Ezra, ſequens verſus eum
refellit. Saadias exponit ſic, *Solium tuum*
(ſup. *ſtabiliet*) *Deus.* Nil eſt facilius, quàm
pro arbitrio quiduis ſupplendo textum
A corrumpere. Vide quò euaſura ſit denique
hæc licentia. Ezra ſuam etiam adfert opi-
nionem: τὸ, inquit, *ſolium* debet repeti,
hunc in modum, *Solium tuum* (*ſolium*) *Dei*:
ſolium autem Dauidis, aut Meſſiæ nomi-
natur ſolium Dei, quo modo ſolium Salo-
monis ſolium Dei, 1. Paral. 29. 23. *Sedit-
que Salomon ſuper ſolium Domini.* Sed quis
hunc non videat latebras quærere, & quàm
hoc ſit coactum & contortum? Exemplum
quod adfert ex 2. Paralip. 15. 8. vbi putat
נבואה *nebua*, eſſe repetendum, non fa-
uet, cùm nil illic opus ſit eiuſmodi repeti-
tione, ſicuti alibi commodiùs fortè annota-
B bitur. Kimhi, quòd eum pudeat ſic loqui,
nihil de ſuo dicit, ſed tantùm refert Saadiæ,
& Ezræ expoſitiones. Igitur firmum eſt ar-
gumentum, quod ex hac voce *Elohim,
Deus*, elicitur ad probandam Chriſti diui-
nitatem: parum ſolidum, quod ex eo du-
citur, quòd ſolium Chriſti hîc dicatur du-
raturum in ſeculum & æternum: nam idem
dicitur de regno Salomonis, *firmabóque
ſolium regni eius ſuper Iſraël vſque in æter-
num*, ſeu, *vſque in ſeculum*, 1. Par. 22. 10. &
C alibi, nimirum propter perpetuam aut lon-
gam in regno ſucceſſionem. *Virga æqui-
tatis*, &c. Ratio eſt prioris membri. Iuſtitia
enim eſt, quæ regnis ſtabilitatem ac firmita-
tem affert.
8 *Dilexiſti iuſtitiā*, &c. Probatio eſt poſte-
rioris membri præcedentis verſus. Vnde
Chald. aliquid addidit, *Propterea quòd di-
lexiſti iuſtitiā*, &c. *Propterea vnxit te* &c.
Hîc *propterea* nō præmium iuſtè admini-
ſtrati regni, ſed cauſam finalem ſignificat:
quaſi dicat, propterea vnxit te, vt diligeres
D iuſtitiam, & odio haberes iniquitatem. Hîc
vſus idem particulæ *propterea*, על כן, qui
verſu 3. *Vnxit te. Vnctum audis*, inquit
D. Auguſtinus, *Chriſtum intellige: etenim
Chriſtus à chriſmate.* Pergit, *Hoc nomen,
quod appellatur Chriſtus, vnctionis eſt: nec in
aliquo alibi vngebantur reges & ſacerdotes,
niſi in illo regno, vbi Chriſtus prophetabatur,
& vngebatur, & vnde venturum erat Chri-
ſti nomen. Nuſquam eſt alibi omnino, in nulla
gente, in nullo regno.* Quærit D. Chryſoſto-
mus quando vnctus ſit Chriſtus. Reſpon-
E det, Quando tanquam in columbæ ſpecie
Spiritus ſuper eum venit. *Deus Deus tuus.*
Repetitur ad maiorem emphaſim vox
Deus. Vel prius τὸ *Deus* eſt vocat. caſus,
poſterius verò nominat. quod putauit San-
ctus Auguſtinus, qui in Latino affirmat pu-
tari eundem caſum nominis repetitum: in
Græco autem euidentiſſimam eſſe diſtin-
ctionem: (cùm tamen nulla hodie ſit, & le-
gatur ὁ θεὸς, ὁ θεός σου, mutato fortaſſe ὦ
in ὁ incuria typographorum) vt ſit ſenſus,

Digitized by Google

ô tu Deus, vnxit te Deus tuus. Hoc modo etiam Sanctus Hieron. in Epiſt. ad Principiam hunc locum eſſe accipiendum docet. *Oleo lætitiæ*, à quo ſcilicet Eccleſiæ fœlicitas omnis, & ſalus pendet. *Præ conſortibus* ſeu *ſociis tuis*. Quinam conſortes ſunt & ſocii Chriſti? Nos mortales: quoniam ipſe factus homo in ſortem venit, & ſocietatem noſtræ mortalitatis, vt in ſortem nos adduceret ſuæ immortalitatis.

9 *Myrrha, & aloes*, &c. Vult hoc verſu ſignificare Chriſtum iis virtutibus exornatum, quibus quaſi pretioſis veſtibus, & vario aromatum genere perfuſis præfulgeret, bonúmque odorem longè latéque ſpargeret: quo ſenſu dicitur Cant. 1. 3. *Propter odorem vnguentorum tuorum bonorum; (vt) oleum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Ipſe Kimhi docet totum hunc verſum eſſe figuratè exponendum de bonis operibus, ſicuti illud Eccleſiaſtis 9. 10. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum ſuper caput tuum non deficiat.* Conſideremus iam ſigillatim ſingula, quæ non parum habent difficultatis. *Myrrha.* מוֹר *mor*, Kimhi obſeruat eſſe *Muſcum* in ſententia plerorumque interpretum: multos eſſe tamen qui dicant ſuccum eſſe arboris, eúmque ſuauis odoris, qui Arabicè vocetur *lobni*. Ezra ad verſ. 13. cap. 1. Cant. Cãticor. non probat hãc vocẽ muſcũ ſignificare, quòd Cant. cãticor. 5. 1. ſic legatur, *meſſui* מוֹרִי *mori*: quod nonniſi de aromamate è ſpeciebus germinum, quod metatur, dici poteſt. Addit & illud eiuſdem capit. verſ. 5. *manus meæ ſtillauerunt* מוֹר *mor*: at muſcus non ſtillat. Sunt, inquit Ezra, ad locum mox citatum, qui huic voci duplicem tribuant ſignificationẽ. Ego exiſtimo ſignificare *myrrham*, voce Latina cum Hebræa & Græca conſentiente. Apta eſt porrò myrrhæ ſignificatio, vbi de veſtimentis agitur. Nam myrrhæ præcipua virtus eſt, vt res omnes adeóque veſtes incorruptas conſeruet. *Aloës*, in plur. ad emphaſim. Ezra obſeruat eſſe qui dicant אֲהָלוֹת *ahaloth*, in piſcibus marinis inueniri. Sed illos refutat ex eo quòd dicantur plantari Num. 24. 6. אֲהָלִים *ahalim, aloes, quas plantauit Dominus*. Vbi nota obiter Græcum & Latinum interpretatos eſſe *tabernacula*: quo modo quidam etiam ex Hebræis acceperunt. Docet Kimhi putari genus eſſe aromatis, quod vocatur arabicè *Sandal*. Ego puto eſſe *aloem*. Id ſuadet affinitas vocis Hebraicæ cum Latina. Accedit quòd Chaldæus *lignum aloes* interpretatus eſt. Latinus etiam Cant. canticor. 4. 14. *aloem* expoſuit. Aloë porrò vermibus & putredini reſiſtit. *Caſiæ*, in numero multitudinis A ad emphaſim. Quòd קְצִיעָה *ketſia*, *caſiam* ſignificet, apparet ex eo quòd pro קִדָּה *Kidda*, id eſt, *caſia*; Chaldæus illam vſurpet Exod. 30. 24. Præterea vox Latina *caſia* cum Hebraica conſentit. Kimhi dicit illud eſſe, quod Arabicè vocatur *anbar*. Ezra putat vocem hanc ſignificare *angulos*. Ad eius ergo mentem vertendum eſſet; *Myrrha, & aloes anguli veſtimentorum tuorum*. *Myrrha, & aloes, (&) caſiæ omnia* (ſeu *tota*) *veſtimenta tua*, hoc eſt, Omnes, vel totæ veſtes tuæ redolent myrrham, &c. B Latinus ſenſum ſequutus non incommodè vertit, *à veſtimentis tuis*, hoc eſt, odor myrrhæ &c. à veſtimẽtis tuis emanat. *E palatiis eburneis*, in quibus aſſeruantur, deprompta. *Ex (quo,)* hoc eſt, vnde ſeu propter quod, ſeu ex qua re. *Lætificauerunt te* obuii omnes, tibi gratulantes, & applaudẽtes. Simile eſt hoc τῷ loci citati ad initium huius verſus ex Cant. 1. 3. *ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.*

10 *Filiæ Regum inter* &c. Depingitur nũc Chriſtus tanquam magnus aliquis Rex, C qui habeat in gynæceo quamplurimas lectiſſimas mulieres, & quidem è Regum familiis: vnam verò primariam vxorem, quæ ad dexteram illi aſſideat tota auro Ophir exornata. Caue accipias hoc, vt ſonat, quod etiam Ezra, aliíque ex Rabbinis de ſuo Meſſia recuſant, ſed figuratè dictum intellige; quaſi filiæ Regum Gentes repræſentent, quæ Chriſto tanquam marito ſeſe adiunxerunt, coniunx verò adſtans ad dexteram in auro Ophir ſanctos Iſraëlitas, ex quibus initiò Chriſtiana Eccleſia conſtituta eſt, ideoque in illa priores partes, ac titulum primariæ coniugis meritò obtinent. D Explicari hoc debet ex illo Cant. Canticor. 6. ver. 7. & 8. *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea; vna eſt matri ſuæ; electa eſt genitrici ſuæ: viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt; reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.* Iam ſingula conſideranda.

Filiæ Regum optimè repræſentant ac ſignificant gentes; quippe quæ regibus tanquam filiæ ſubditæ ſint, ac pareant. Si ſagitta E vocatur *filius arcus* Iob. 41. 19. *Non fugabit eum ſagitta*, ad verb. *filius arcus*, quod Vulg. interpretatus eſt *vir ſagittarius*: aut *filius pharetræ*, Thren. 3. 13. *Ingredi fecit in renes meos filios pharetræ ſuæ*, hoc eſt, ſagittas: ſi frumentum, aut palea, quia triturantur in area, *filius areæ* appellantur, Eſa. 21. 10. *Tritura mea, & filius areæ meæ:* quidni filiæ regũ appellabuntur gẽtes, quæ, tanquam filiæ parentibus, regũ imperio parent? Chaldæus *prouincias regnorum* inter-

pretatus eſt. *Coniunx.* Kimhi in quodam libello, quem aduerſus Chriſtianos compoſuit, contendit hoc, *adſtat coniunx ad dexteram tuam*, haud debere accipi dictum vel figuratè de Chriſto noſtro, quē Deum credamus, ſiquidem vox שֵׁגַל *ſcheghal*, quam *coniugem* reddidimus, actum coniugij dicat, ideóque Deo etiam figuratè non ſit tribuenda. Abſit verò, abſit, vt quum hîc legimus שֵׁגַל *ſcheghal*, quicquam obſcœni cogitemus, vt potiùs Eccleſiæ principis dignitatem admiremur, quæ coniunx ſeu vxor Chriſti veri Dei, eáque primaria (id enim ſignificat vox illa Hebræa) nominetur. Si in Cant. Eccleſia toties ſponſa appellatur, cur eadem non dicetur coniunx? Chaldæus porrò non dubitat coniugem illam interpretari librum Legis. *Coniunx.* Græcus & Latinus verterunt *regina*. Reginam quoque interpretatus eſt Raſi, qui adfert duos locos, vbi vox illa reginam ſignificet: vnum Neh. 2. 6. alterum Dan. 5. 2. Profectò vox illa regiam coniugem ſignificat, eámque quæ ſemper ius thori haberet, cùm concubinæ ſeu aliæ vxores minimè, ſed tantùm certis temporibus vocatæ cum rege cubarent, vt obſeruat ad hunc locum Kimhi. *In auro Ophir*, hoc eſt, ornata auro optimo: Ophir enim (inde obrizum mutatione vnius litterulæ) Indiæ regio ſeu inſula eſt auro optimo abundans: vnde & aurea terra appellata eſt, teſte Ioſepho, lib. 8. Antiq. Iudaic. cap. 2 & auro optimo nomen fecit, vt hîc, & Iob 22. 24. Chaldæus totum hunc verſum ſic interpretatus eſt, *Regiones regnorum venturæ ſunt vt recipiant faciem tuam, & honore afficiant te, quo tempore ſtabit liber Legis iuxta dexteram tuam, & ſcribetur obrizo ex Ophir.*

11 *Audi filia*, &c. Nunc ſubitò Vates ſermonem conuertit ad ipſam ſponſam, ac primariam vxorem, eamque admonet, ſi ſponſum velit amore ſui accendere, neceſſe eſſe, vt ſuæ gentis, ac paternæ domus, eorúmque omnium, quæ antea chariſſima habuit, prorſus obliuiſcatur, ac marito tantùm placere ſtudeat. Hîc quoque figura eſt. Per ſponsā enim ſignificantur ſancti Iſraëlitæ, qui monentur, vt priſtinorum rituum obliti totos ſe Chriſto addicant. *Filia.* Blanda appellatio. *Vide*, hoc eſt, intellige, vt ſæpe. Hunc verſum ſic Chaldæus παραφράζει, *Audi congregatio Iſraël legem oris eius, & vide miracula operum eius, & inclina aurem tuam ad verba Legis, & obliuiſcere opera mala improborum populi tui, & domum idolorum, quæ coluiſti in domo patris tui.*

12 *Et concupiſcet* &c. Senſus, Ac tunc delectabitur tua conſuetudine Rex Meſſias, nec vnquā auelletur à tuo dulciſſimo complexu. *Quoniam ipſe (eſt) dominus tuus.* Rationem adfert, cur ſtudere debeat, vt placeat marito. *Et adora eum.* Referri hoc debet ad poſterius membrum præcedentis verſus, *obliuiſcere populum* &c. *& adora eum*, hoc eſt, ei te ſubiice ac morem gere in omnibus. Sunt eiuſmodi aliquot hyſterologiæ in ſacris litteris. Non erit hyſterologia ſi verteris, *quoniam ipſe (eſt) dominus tuus, adora eum:* ac ſic ו, id eſt, *&*, poſterioris membri, ad explendum tantùm verſum pertinebit.

13 *Et filia Tyri* &c. Senſus, Et Tyrij, ô regia coniunx, ſuppliciter te cum muneribus venerabuntur, ac opulentiſſimi quique populi. Significare vult gentes Eccleſiam honoraturas, ſéque ad illam adiuncturas. *Filia Tyri*, hoc eſt, cœtus Tyri, id eſt, Tyrij; atque idcirco per ſyntheſin adiungitur verbum plurale *deprecabuntur*. Sic *filia Sion* pro Sioniis, Zach. 9. 9. *filia Ieruſalem* pro Hieroſolymitanis, ibidem: *filia Babylonis* pro Babyloniis, pſ. 137. 8. Tyrum autem ſpeciatim nominat, quòd vrbs iſta propter vicinitatem Iudæis eſſet maximè nota, atque illo tempore opulentiſſima. *Diuites populi* in genit. hoc eſt, & quidem ditiſſimi iſtius populi. Vel *diuites populi*, id eſt, necnon diuites cuiuſcumque populi; ita vt in poſteriore membro generaliùs loquatur. Vltimo modò accepit Kimhi, ad cuius mētem tamen aliter diſtinguendus hic verſus, ſic nimirum, *& filia Tyri in muneribus* (ſup. ad te veniet:) *vultum tuum deprecabuntur diuites populi.* Sic Chaldæus quoque, qui ita vertit hunc verſum, *Et habitatores vrbis Tyri in munere venient, & vultum tuum requirent ad domum ſanctuarij tui diuites populorum.*

14 *Omnis gloria filia Regis intus:* &c. Depingit nunc Regis ſponſam, eandem & regis filiam, ſedentem in conclaui, &, vt quondam Perſarum reges, ſub ſpecie maieſtatis domi latentem, ſed non minùs propterea auro, gemmiſque ornatam. Hac figura ſignificare vult myſticæ illius Chriſti ſponſæ, eiuſdemque Dei æterni regis filiæ decorem, ac ſplendorem oculis hominum minimè patuiſſe, ſed totum internum fuiſſe ac ſpiritalem. *Omnis* (vel *Tota*) *gloria.* Alij vertunt *Tota glorioſa.* כְּבוּדָּה *ceuudda*, poteſt eſſe nomen ſubſtantiuum, & adiectiuum. Græcus & Lat. habent *Omnis gloria filiæ* &c. Legerunt, vt apparet, prędictā vocem cum ת in fine pro ה. Cum illis facit Syrus, qui vertit, *Omnis gloria* דברת *duarth*, hoc eſt, *filiæ Regis intus eſt.*

15 *In veſtibus acu pictis* &c. Pompam nunc primariæ ſponſæ, necnon cæterarum virginum ipſius gynæcei ad ſponſum in-

Digitized by Google

gredientium breuiter, ſed magnificè deſcribit. Hac figurâ ſignificare vult ſanctorum Iſraëlitarum, ac poſt illos diuerſarum gentium ad Chriſtum aduentum. *Virgines.* Sic Gentes appellantur, antequam Chriſtum admiſerint, ac cognouerint: ſicuti virgo dicitur, quæ marem nondum admiſit, ac cognouit. Sic ferme Kimhi hanc vocem, ſicut & alia omnia, figuratè exponendam docet de Gentibus. *Sociæ eius,* hoc eſt, eiuſdem thori cum illa ſociæ, ſed ſine vitioſa æmulatione, imò in ſancta æmulatione, mutuóque in Chriſto amore ac charitate. *Tibi,* ô Rex Chriſte. Mutatur ſubitò, vt aliàs ſæpe, tertia perſona in ſecundam: dixerat enim *Regi.*

16 *Adducentur in lætitia,* (heb. ad emphaſim *lætitiis,*) &c. Si de Meſſia, inquit Ezra, ecce ſenſus eſt, venturas illas ſponte, (per ſeipſas) non vi. *In palatium Regis.* Ex gynæceo virgines ac mulieres in regiam perducebantur, hæc aut illa, prout regi videbatur. Sic ex variis orbis terrarum partibus, tam enim patet Chriſti, vt ita dicam, gynæceum, multi vel populi in Eccleſiam quotidie perducuntur, prout viſum eſt Chriſto.

17 *Pro patribus tuis* &c. Promittit Chriſto ſobolem, quæ potentia haud maioribus cedat, ſed per vniuerſum terrarum orbem ſit regnatura. *Pro patribus tuis* ſecundùm carnem, Abraham, Iſaac, Iacob, Dauide, & aliis. *Filij tui* ſecundùm ſpiritum, Apoſtoli, eorúmque ſucceſſores Epiſcopi. *Conſtitues eos Principes* &c. Huc pertinet illud Apoc. 1. *& fecit nos* (Chriſtus) *regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo.* Epiſcopi ſi non ſinguli, omnes tamen principes ſunt ſuper omnem terram. Audiamus D. Chryſoſtomum ad hæc verba *conſtitues eos principes ſuper omnem terram,* & quidem ſuâ loquentem linguâ audiamus: ἆρα ταῦτα ἑρμηνείας δεῖται; οὐχ ἔγωγε οἶμαι, ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἥλιος, ὅτι φαιδρός ἐστι, τὰ δὲ εἰρημένα τούτου φανερώτερα. καὶ γὰρ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ἐπέδραμον οἱ ἀπόστολοι, καὶ πάντων ἀρχόντων ἄρχοντες ἐγένοντο κυριώτεροι, βασιλέων δυνατώτεροι. οἱ μὲν γὰρ βασιλεῖς ζῶντες κρατοῦσι, τελευτήσαντες δὲ καταλύονται. οὗτοι δὲ τελευτήσαντες μᾶλλον κρατοῦσι. καὶ τὰ μὲν τῶν βασιλέων νόμιμα, εἴσω τῶν οἰκείων ὅρων ἔχει τὴν ἰσχύν, τὰ δὲ τῶν ἁλιέων προστάγματα πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἐξετάθη. ὁ Ρωμαίων βασιλεὺς οὐκ ἂν δύναιτο νομοθετεῖν Πέρσαις, οὐδὲ ὁ Περσῶν Ρωμαίοις. οἱ δὲ Παλαιστινοὶ οὗτοι, καὶ Πέρσαις, καὶ Ρωμαίοις, καὶ Θρᾳξὶ, καὶ Σκύθαις, καὶ Ἰνδοῖς καὶ Μαύροις, καὶ πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ νόμους ἔθηκαν, καὶ οὐχὶ ζώντων αὐτῶν ἐκράτησαν μόνον, ἀλλὰ καὶ τελευτησάντων. καὶ μυριάκις ἂν ἕλοιντο οἱ νομοθετήσαντες τὴν ψυχὴν ἀφεῖναι ἢ τῶν νόμων ἀποστῆναι ἐκείνων. Quod Gentianus Heruetus popularis meus latinè ſic expreſſit, *Egéntne hæc interpretatione? Ego quidem minimè exiſtimo, quemadmodum* * *nec quòd ſol ſit lucidus. Quæ autem dicta ſunt, eo clariora ſunt. Vniuerſum enim orbem terrarum peruaſerunt Apoſtoli, & omnibus principibus fuerunt magis propriè principes, regibus potentiores. Reges enim, dum viuunt, dominatum obtinent: ijs autem mortuis, intercidit dominatus. Et regum quidem leges ratæ ſunt & validæ intra eorum fines, iuſſa autem piſcatorum per vniuerſum orbem terræ extenſa ſunt. Imperator Romanorum Perſis non poſſet ferre leges: nec Perſarum rex poſſet ferre leges Romanis. Hi autem Palæſtini & Perſis, & Romanis, & Thracibus, & Scythis, & Indis, & Mauris, & vniuerſo denique orbi terrarum leges dederunt. Nec ſolùm, dum ij viuerent, firmæ & ratæ fuerunt, ſed ijs etiam mortuis confirmatæ ſunt: & qui eas leges acceperunt, mallent animam millies profundere, quàm ab illis deſciſcere.* Hactenus ille. Neque verò præterire debeo id quod habet Kimhi ad hunc locum: Propterea quòd, inquit, regnum ſucceſſione quadam perpetua à Patribus ad ipſum Regem Meſſiam perueniet, (dicamus nos peruenit,) nec ab eius filiis tolletur, idcirco dixit, *pro patribus tuis erunt filij tui.* Ille regnum corporale intelligit, nos regnum ſpiritale intelligamus, & quod non ſit de hoc mundo: ille filios ſecũdùm carnem, nos filios ſecundùm ſpiritum, quos voluntariè genuit verbo veritatis, vt eſſent initium aliquod creaturæ eius. Iacobi 1. Videant qui hunc pſalmum epithalamium Salomonis & filiæ Pharaonis eſſe volunt, num quę in hoc verſu dicuntur, de Salomone vera ſint, cuius poſteri tantùm abeſt, vt per totum orbem imperium propagarint, vt ex duodecim tribubus, quibus imperitabat pater, vix tutari duas potuerint.

* nec ſol, quãdo eſt ſplendidus. Sic Frõto Ducæus, è Societate Ieſu, correxit.

18 *Memorabo nomen tuum* &c. Pollicetur Chriſto vates ſe illius nomen celebraturum ita, vt eius nominis ad omnes ætates futura ſit memoria: quò pertinet & ſequens membrum *propterea populi* &c. *Memorabo,* hoc eſt, celebre reddam. In Græco Μνησθήσομαι: in quibuſdam exemplaribus Latinis *Memor ero:* in pleriſque tamen *Memores erunt,* quod Card. Bellar. probat in ſenſu idem eſſe ac *memor ero. In generatione* &c. Hoc minimè pertinet ad vatem, qui non perpetuò durauit, ſed ad æternam nominis celebritatem, quam ſe vates ſuis laudibus promoturum pollicebatur. Idem eſt ergo *in generatione* &c. atque ad generationem & generationem, hoc eſt, ad omnem æternitatem. *Propter-*

ea, hoc eſt, propter ea, quæ dixi, & deinceps dicturus ſum. *Confitebuntur tibi*, vel *celebrabunt te*, dicentes palàm tuo regno, & potentiæ nullum vnquam ſimile regnum, nullam parem potentiam extitiſſe; téque ſuum regem agnoſcentes. Simile illud quod legitur Gen. 49. 8. *Iuda tu, confitebuntur* (*laudabunt*) *te fratres tui.*

PSALMVS

XLVI. XLV.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI [a] filiis Core, ſuper Alamoth canticum.

2 Deus nobis refugium & [b] virtus: adiutorium in tribulationibus inuentus eſt [c] nimis.

3 Propterea non timebimus dum [d] permutabitur terra, & transferentur montes in cor maris.

4 [e] Sonent & turbentur aquæ eius: [f] contremiſcant montes in elatione eius.

5 Fluminis riuuli lætificabunt ciuitatem Dei, ſanctum tabernaculorum Altiſſimi.

6 Deus in medio eius; non commouebitur: adiuuabit eam Deus manè diluculo.

7 Fremuerunt gentes; [g] inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam; liquefacta eſt terra.

8 Dominus exercituum nobiſcum: arx edita nobis Deus Iacob.

9 Venite, videte opera Domini, qui poſuit ſolitudines [h] ſuper terram.

10 Ceſſare fecit bella vſque ad finẽ terræ: arcum contriuit, & præcidit haſtam, plauſtra combuſſit igni.

11 (Et) [i] vacate, (ait,) & ſcitote, quòd ego (ſum) Deus: exaltabor in Gentibus, exaltabor in terra.

12 Dominus exercituum nobiſcum: arx edita nobis Deus Iacob.

VETVS.

IN finem, filiis Core, pro arcanis, Pſalmus.

2 *Deus noſter refugium, & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.*

3 *Propterea non timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.*

4 *Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine eius.*

5 *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus.*

6 *Deus in medio eius, non commouebitur: adiuuabit eam Deus manè diluculo.*

7 *Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, mota eſt terra.*

8 *Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob.*

9 *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella vſque ad finem terræ.*

10 *Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.*

11 *Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.*

12 *Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob.*

---

a vel *filiorum Core*,
b *fortitudo:*
c *valde.*
d vel *permutabit*
e *Tremant*
f *commoueantur*
g *nutauerunt*
h heb. *in terra.*
i *ceſſate*,

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *APparet hunc pſalmum eſſe ſcriptum poſt inſignes illas Dauidis victorias, quæ deſcribuntur 2. Sam. 8. & 1. Paral. 18. nimirum poſt domitos Allophylos & Moabitas, repreſſum Adareſer, Syróſque ſubactos, qui in eius auxilium venerant, Idumæos denique deuictos, præſidiáque in eorum regione poſita. Vide ad verſ. 10. Fuerit Dauid, ſiue aliquis alius è poſteris Core, huius pſalmi auctor, nihil refert. Quiſquis eſt, inducit Hebræam gentem omnia pericula ridentem, quòd Deum habeat adiutorem, cuius ope tot gentes deuictæ, ac ſubactæ.*

1 *Super alamoth.* עֲלָמוֹת *alamoth*, nomen eſt inſtrumenti muſici, iuxta Raſi & Kimhi: poëſeωs aut cantilenæ iuxta Ezram. Huius poëſeω̃s ſeu inſtrumenti fit mentio 1. Paral. 15. 20.

2 *Deus nobis* &c. Senſus, Deus eſt nobis prę́ſidium, & robur: ídque ſatis ſuperque ſumus in periculis hactenus experti.

3 *Propterea non timebimus* &c. Senſus, Itaque ne ſi quidem ipſa terrę moles ſedibus ſuis conuellatur, & montes à radicibus dehiſcentes in medium mare prę́cipitent, quicquam metuemus. *Si fractus illabatur orbis, Impauidos ferient ruinæ.* *Dum permutabitur*, vel *permutabit* (ſup. locum ſuum) *terra*, hoc eſt, etſi permutetur, vel permutet terra locum ſuum. Hyperbolica locutio: etſi ſunt, vt obſeruat Ezra, qui ſcribant futurum aliquando, vt ibi ſit mare, vbi nunc eſt terra, & econtra; propterea quòd ſol in auge à gradu in gradum, & à ſigno in ſignum mouetur. Verùm ex verſu 9. pſ. 104. nullo negotio refelli poſſunt, *Terminum poſuiſti (quem) non tranſgredientur: non reuertentur ad operiendum terram.* *Transferentur* vel *mouebuntur* &c. Hyperbole. *In cor maris*, hoc eſt, in medium mare. *Cor* Hebręis metaphoricè cuiuſque rei medium & interius ſignificat.

4 *Turbentur.* Aliis *aceruentur*, hoc eſt, fluctus attollant, & intumeſcant in immenſam molem. *Eius* maris. *In elatione eius*, hoc eſt, per intumeſcentes maris vndas. Potes vertere *in ſuperbia eius*: mare enim, dum fluctus attollit, quodammodò ſuperbire videtur.

5 *Fluminis riuuli* &c. Opponit concitati maris æſtibus innoxios & leniter fluentes Geonis riuulos. Geon, ſeu alio nomine Siloë, exiguus erat fluuius, qui vrbem Hieroſolyma perfluebat, hortóſque hinc inde pari voluptate ac vtilitate irrigabat. Interea, inquit, dum aquæ maris horribili cum boatu circumſonant, ciuitas Dei lenibus Geonis riuulis recreata conquieſcit. Sicut autem per aquas maris concitatas, ingen-
A tem vim hoſtium ſubobſcurè videtur notare, ſic per Geonis riuulos, populi Hieroſolymitani, & per ſynecdochen totius regni Iudaici exiguas vires. Fauet locus Eſa. 8. 6. *Pro eo quòd abiecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt quietè*, (in Vulgata *cum ſilentio*) *& gaudium eſt illi cum Raſin, & filio Romeliæ.* *Fluminis riuuli*: ad verb. *Flumen, riui eius*, antecedente vnà cum relatiuo, pro recepta linguæ Hebraicæ conſuetudine.

Ciuitatem Dei, hoc eſt, Hieroſolymam, quæ eſt *ſanctum tabernaculorum Altiſſimi*, hoc eſt, vniuerſæ terræ Iſraëliticæ, quam ſi-
B bi Deus pro domicilio elegit, locus ſanctiſſimus, ideóque *ſanctum tabernaculorũ Altiſſimi.* Græcus & Latinus, qui habent hîc *ſanctificauit tabernaculum ſuum*, aliis punctis, & paulò aliter videntur legiſſe.

6 *Deus in medio eius* ciuitatis; ideo illa *non commouebitur*, ſeu *nutabit* vnquam. Vt alij fortaſſe montes moueri poſſint, certè mons Sion ſemper ſtabit immotus. *Manè diluculo*: Hebræo Fonti propiùs *ad aſpectum mane*, ſeu potiùs *quum reſpiciet mane*, hoc
C eſt, imminente aurora, ante ſolis exortum, quod Latinus hîc non incommodè expreſſit, *manè diluculo*: alibi verò, ſcilicet Exod. 14. 27. *primo diluculo.* Hîc porrò nihil aliud vult ſignificare, quàm Deum ſtatim & maturè vrbi Hieroſolymæ, quippe in qua reſideat, opem laturum.

7 *Fremuerunt gentes* multæ aduerſum nos; ſed *inclinata ſunt* haudque leuiter concuſſa *regna* illarum, earúmque res non parum acciſæ. *Inclinata ſunt.* Latinus fœliciter expreſſit vim vocabuli hebræi מָטוּ *matu*,
D quod propriè ſignificat *nutauerunt, vacillauerunt.* Malè, meo iudicio, q̃ui vertunt *cõmota ſunt regna*, & putant idẽ ſignificare, quod *fremuerunt gentes*: non enim vox hebræa id videtur ferre poſſe. *Dedit vocem ſuam* Deus, hoc eſt, intonuit. Tonitru vox Dei appellatur in ſacris litteris. Vide ad verſum 3. pſ. 29. Deus porrò iratus fulminans ac tonans pingitur. Vide pſ. 18. 4. Nec ſemel iratus Deus immiſſo tonitru hoſtes

Digitized by Google

diſiecit ac proſtrauit. *Liqueſacta eſt* A *terra*, hoc eſt, ipſæ gentes perculſæ metu conciderunt ac conſternatæ ſunt. Dixit emphaticè *terra*, vt ſignificaret totam pene terram fuiſſe hoſtibus oppletam præ multitudine. Porrò autē *liqueſieri* in ſanctis litteris dicitur pro remiſſo eſſe animo & timido: pauor ſiquidē cor veluti diſſoluit. Ioſ. 2. 9. *Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram, & quòd irruit in nos terror veſter, & quòd liqueſacti ſunt* (in Vulgata *elāguerunt*) *omnes habitatores terræ à facie veſtra*. Ibid. verſ. 24. *& liqueſacti (diſſoluti) ſunt*, (in B Vulg. *timore proſtrati ſunt*) *cuncti habitatores terræ à facie noſtra*. Ezra ſic habet, *liqueſacta eſt* contra eius naturam: eſt enim valde ſicca,

8 *Dominus exercituum* &c. Ratio præcedentis verſus. *Deus Iacob*. Vide ad verſ. ſecundum pſ. 20.

9 *Opera Domini*. Nunquam enim tot, támque potentes hoſtes ſuperaſſet Gens Hebræa, niſi Deum habuiſſet adiutorem. *Qui poſuit ſolitudines* &c. tot eius ope trucidatis hoſtibus, vt paſſim in terra reperiantur ciuitates deſertæ ac ſolitariæ. *Solitudines* ſeu *vaſtitates*. Græcus & Latinus C habent *prodigia*: Syrus *mirabilia*. Certè vox Hebræa שַׁמּוֹת *ſchammoth*, ſignificare poteſt *res ſtupendas*, vt Ier. 5. 30. & *vaſtitates*, *deſolationes*, vt pſ. 73. 19. conſentiente Græco & Latino: at poſtrema ſignificatio argumento & contextui pſalmi videtur magis conuenire: eámque hîc ſequuti Chald. Raſi, Ezra, Kimhi, D. Hieron. Pagninus, Felix, & alij.

10 *Ceſſare fecit* &c. Docet hic verſus Iſraëlitas, quando ſcriptus eſt hic pſalmus, ſumma fuiſſe in pace: videlicet poſt ſubactas gentes, quarum facta eſt mentio in argumento, ad bellum vſque cum Ammonitis ob iniuriam Hanon Regis ſuſceptum: quo tractu temporis Dauid ſcribitur 2. Sam. 8. 15. & 1. Par. 18. 14. *regnaſſe ſuper vniuerſum Iſraël, & feciſſe iudicium, atque iuſtitiam cuncto populo ſuo*. Contextus poſtulat vt verba in hoc verſu per præteritum reddantur, etſi in Fonte primū præſentis eſt tēporis, reliqua verò futuri. Crebra eſt heteroſis in ſanctis litteris. *Plauſtra*. Græcus & Latinus habent *ſcuta*. Chald. etiam *ſcuta rotunda*. Verùm ſignificatio *plauſtrorum* magis videtur conuenire verbo *comburendi*: eámque ſequuti ſunt Raſi, Ezra, D. Hieron. Pagninus, Felix, & alij. Ac Raſi quidem & Ezra עֲגָלוֹת *aghaloth*, interpretantur militares currus, ſiue carros, quibus vecti fuiſſent ipſi hoſtes, necnon arma, & cibaria.

11 *(Et) vacate* ſeu *ceſſate*, *(ait,) & ſcitote*, &c. Inducitur ipſe Deus, quò oratio plus habeat vehementiæ, Gentes alloquens, his ſcilicet verbis, Deſiſtite bellum inferre meo populo, & ſcitote me Deum eſſe, qui veſtras regiones vaſtaui, arcus contriui, haſtas concidi, currus ac plauſtra concremaui. Scitote, inquam, me eſſe Deum extollendum in gentibus, extollendum in terris. Nulla enim gens, nulla natio, quæ meam aliquando potentiam non ſit admiratura, ac palàm celebratura. Alij exiſtimant dirigi hunc ſermonem ad Iſraëlitas, quaſi inducatur Deus ſic illos alloquens, Vacate pauliſper, quieſcite, & ſcitote me eſſe Deum, ideóque tandem tandem Gentes omnes malo coactas nomen meum vltro ac palàm eſſe celebraturas. Neceſſariò addendum fuit aliquid ad hunc verſum, vt cum præcedentibus poſſet cohærere.

12 *Dominus exercituum* &c. Repetitur octauus verſus pro epiphonemate.

Digitized by Google

PSALMVS

XLVI. XLVII.

VERSIO

VETVS.

IN finem, pro filiis Core Pſalmus.

2 *Omnes Gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.*

3 *Quoniam Dominus excelſus, terribilis: Rex magnus ſuper omnem terram.*

4 *Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris.*

5 *Elegit nobis hereditatem ſuam, ſpeciem Iacob, quam dilexit.*

6 *Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.*

7 *Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite.*

8 *Quoniam Rex omnis terræ Deus: pſallite ſapienter.*

9 *Regnabit Deus ſuper gentes: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.*

10 *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham: quoniam dij fortes terræ, vehementer eleuati ſunt.*

NOVA.

PRAECENTORI, [a] filiis Core Pſalmus. a vel *filiorum Core*

2 Omnes [b] gentes plaudite [c] manibus: iubilate Deo in voce exultationis. b heb. *populi* c heb. *manus*

3 Quoniam Deus excelſus, terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram.

4 Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris.

5 Elegit nobis hæreditatem noſtram, gloriam Iacob quem dilexit.

6 Aſcendit Deus in iubilo: Dominus in voce tubæ.

7 Pſallite Deo, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite.

8 Quòd rex omnis terræ Deus, pſallite [d] intelligenter. d vel *(quiſque) intelligens.*

9 Regnat Deus ſuper Gentes: Deus ſedet ſuper ſolium ſanctum ſuum.

10 Principes populorum congregati ſunt, populus Dei Abraham: quoniam Dei ſcuta terræ, vehementer eleuatus eſt.

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *SVadet mihi verſus ſextus hunc pſalmum fuiſſe publicè decantatum in ſolemni illa pompa, quum Arca fœderis ex Cariathiarim, vel ex domo Obed-edom Hieroſolymam transferretur. Vide* 2. *Sam.* 6. 1. *Paral.* 13. & 16. *In iſtis locis expreßè dicitur* Dauid & omnis Iſraël luſiſſe coram Domino in omnibus lignis abietum, & citharis, & nablis, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis. *Totus in hoc eſt autor huius pſalmi, quiſquis eſt, vt probet Deum illum Arcæ inſidentem non Iſraëlitarum modò, ſed omnium gentium regem eſſe ac dominum: quò ſcilicet oſtendat non Iſraëlitas ſolùm, ſed etiã omnes populos in hac pompa debere lætari. Neque porrò dubium mihi eſt, quin de victoria, & aſcenſione Chriſti in cœlum myſticè exponendus ſit hic pſalmus: præſertim cùm Arca Chriſti fuerit typus, ac figura. Sancti Patres de Chriſti aſcenſione tantùm hunc pſalmum expoſuerunt. Verùm*

hi pſalmos myſticè ſolùm, non hiſtoricè interpretati ſunt. Kimhi & alij Hebræorum ad tempora Meſſiæ hunc pſalmum pertinere volunt.

2 *Omnes gentes*, heb. *populi* &c. Inuitan- A tur omnes orbis populi, vt plauſu, & lætis vocibus Deum vniuerſæ terræ dominum celebrent.

3 *Dominus excelſus:* ipſe enim eſt ſuper omnia, & omnia ſub manu ipſius. *Terribilis*, ac formidabilis hoſtibus.

4 *Subiecit populos nobis*, &c. Probat hic verſus præcedentem. Nam quomodò tot populos Hebrææ genti potuiſſet Deus ſubijcere, niſi is eſſet, qui deſcriptus eſt verſu ſuperiore? *Subiecit populos nobis:* ad verb. *Adduxit populos ſubtus nos.* Similem phraſim reperies pſal. 18. 48. In hoc & ſequente verſu verba ſunt fut. temp. pro præt. vt aliàs ſæpe. Kimhi, & alij Hebræorum ita expli- B cant hunc verſum, quaſi Deus tempore Meſſiæ populos ab extremis terrarum oris Hieroſolyma, atque adeo in Iſraëlitarum poteſtatem ſit adducturus. Nos de Gentium vocatione poſſumus explicare.

5 *Elegit nobis* &c. Senſus, Ipſe eſt, qui nobis hereditatem aſſignauit: quæ haud mediocris gloriæ materia eſt, vt non ſolùm ab aliis toto orbe celebremur, ſed vt ipſi etiam de noſtra dignitate gloriari poſſimus. *Gloriam Iacob* &c. Hoc per appoſitionem eſt dictum, hoc ſenſu, quæ, ſcilicet hæreditas ab ipſo Deo nobis deſtinata, gloria eſt Ia- C cob &c. *Iacob*, hoc eſt, populi Iacobei ſeu Iſraëlitici. Vide ad verſum ſecundum pſal. 20. *Quē dilexit* perpetuò, ac diligit. Hebræorum quidam putant hoc verſu ſignificari Deum tempore Meſſiæ (quem nondum nouerunt) Iſraëlitas in antiquam poſſeſſionem ac terram reducturum.

6 *Aſcendit*, &c. Hoc illud eſt quod legimus 2. Sam. 6. 5. *Dauid autem, & omnis domus Iſraël ludebant coram Domino* (hoc eſt, arca Domini) *in omnibus inſtrumentis muſicis, & citharis, & nablis, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.* Et ibidem, verſ. 15. *Et Dauid, & omnis domus Iſrael ducebant* D (ad verb. *aſcendere faciebant*) *Arcam Domini in iubilo, & in voce tubæ.* *Aſcendit.* In Fonte hoc verbum eſt præt. temp. pro præſenti. *Deus*, necnon *Dominus*, hoc eſt, Arca teſtamenti ſeu fœderis, quæ quòd ſymbolum ac teſtimonium eſſet diuinæ præſentiæ in populo Iudaico, Dei nomine interdum appellatur. Num. 10. 35. *Quum autem eleuaretur* (heb. *proficiſceretur*) *Arca, dicebat Moſes, Surge Domine*, &c. Verſ. ſequente, *Quum autem deponeretur*, (heb. *requieſceret*) *aiebat, Reuertere Domine* &c. Vide quid dicatur 2. Sam. 6. 2. *vt adducerent inde arcam, cuius vocatum eſt nomen, nomen Domini exercituum ſedentis inter Cherubim ſuper eam.* Scio hunc locum alio modo communiter verti. Verùm noſtram verſionem probabunt Hebræi. Pſal. 24. Arca vocatur *Rex gloriæ, Dominus fortis*, &c. Somniant hîc quidam Hebræorum Arcam tempore Meſſiæ reſtituendam in ſuum locum.

7 *Pſallite* &c. Quinquies repetitur hoc verbum: quod ſignificat Deo non ſemel, ac iterū tātùm, ſed ſæpe & aſſiduè eſſe pſallēdum. *Regi noſtro*, hoc eſt, qui ſolis nobis cognitus eſt, cùm tamen rex ſit vniuerſæ terræ, vt dicitur in ſequente verſu.

8 *Quòd rex omnis terræ* &c. Corrigit quodammodò, quod dixerat in ſuperiore verſu, *regi noſtro*, ſic inquiens, Imò pſallite, palámque canite Deum eſſe regem vniuerſæ terræ. *Pſallite intelligenter*, vt non quæratis, ſicuti hîc habet D. Auguſtinus, ſonū auris, ſed lumen cordis. Aduerte qui pſalmos quotidie legis, nec intelligis. Alijs, *pſallite (quiſque) intelligens*, hoc eſt, omnes canendi periti. Omnium eſt manibus plaudere, ac iubilare: ſed pſallere eorum tantùm, qui canendi modos callent. Ioſeph Kimhi putat מַשְׂכִּיל *maſchil*, ſignificare *erudientem* ſeu *didacticon*, quaſi dicatur, pſallite pſalmum erudientem, qui doceat ſcilicet Dominum ſolum eſſe regem. De hac ſignificatione vide ad titulum Pſal. 32. & 42. Ego illam vocem accipio aduerbialiter. Faciunt mecum Chaldæus, qui interpretatus eſt *in intelligentia bona*, Græcus, qui συνετῶς, Latinus qui *ſapienter*, & alij. Bene Latinus *ſapienter* pro intelligenter: nemo enim, quemadmodum hoc loco ait Caſſiodorus, quicquam ſapienter facit, quod non intelligit.

9 *Deus ſedet* &c. Deus hîc pingitur tanquam rex ſedens in ſolio, ac ius dicens omnibus populis. *Super ſolium* &c. Cœlum intelligit.

10 *Principes populorum* &c. Verſus hic non vno tantùm modo verti poteſt: vel ſic, *Principes populorum congregati ſunt populus Dei* &c. Vel, *Principes populorum aggregati ſunt (ad) populum Dei* &c. Vel, *Principes populorum congregati ſunt, (&) populus Dei* &c. Vel denique legendo cum Græco & Latino עִם, *im, cum*, pro עַם *am*, i. *populus, Principes populorum congregati ſunt cum Deo* &c. Quoquo modo vertas, ſententia pene erit eadem. Si priore, ſenſus eſt, Externos Principes, adeóque populos, qui principum exempla ſequi ſolent, futuros aliquando, tempore Chriſti ſcilicet,

Digitized by Google

populum Dei Abraham. Si ſecundo, ſenſus eſt, Externos quoſque principes ſeſe populo Dei Abraham adiuncturos. Si tertio, Externos principes, adeóque populos, & populum Dei Abraham in vnum Eccleſiæ corpus coalituros. Si vltimo, Externos principes ac populos Deo Abraham ſeſe addicturos. Qui omnes ſenſus in vnum recidunt, & optimè probant id quod intendit præſertim auctor Pſalmi, Deum omnium gentium eſſe Dominum ac regem: quippe qui omnes gentes in vnum Eccleſiæ corpus compulſurus ſit aliquando. B *Congregati* vel *aggregati ſunt*, pro *congregabuntur* vel *aggregabuntur*. Frequens eſt præteritum pro fut. in vaticiniis. Eſt autem hîc vaticinium de vocatione gentium, conſentientibus Hebræis. *Populus Dei Abraham*, hoc eſt, populus qui Deum Abrahæ colit. *Dei Abraham* dicit, quòd Abraham intermiſſum Dei cultum inſtaurarit. Præterea optimè ipſius Abrahæ meminit de Gentium vocatione agens: Abraham enim dictus eſt quaſi *pater multarum gentium*, Gen. 17. 5. hoc eſt, vt explicat D.

A Paulus ad Rom. 4. *pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam: & ſit pater circunciſionis, non iis tantùm qui ſunt ex circunciſione, ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.* *Quoniam Dei* (ad verb. *Deo*) *ſcuta* &c. Epiphonema eſt, quo concludit, quando ad Deum pertinent, eiuſque imperio ſubditi ſunt terræ principes, ipſum quibuſuis poteſtatibus longè eſſe ſublimiorem. *Scuta terræ* vocat Reges, vt vult Ezra, qui ſimile profert ex Pſal. 89. 19. *Quia Domini* (*eſt*) *clypeus noſter, & Sancti Iſraël Rex noſter*. Kimhi quoque per *ſcuta terræ* docet magnates, ac reges ſignificari. Probat ex loco Oſeæ 4. 18. *dilexerunt afferte,* (*date,*) *ignominiā*, hoc eſt, quod valde eſt ignominioſum, *ſcuta eius*, hoc eſt, principes eius, vel, vt eſt in Vulgata, *protectores eius*. Sic autem vocantur reges, ac principes, quòd populo ſint inſtar clypei. Græcus & Latinus ſenſum duntaxat ſecuti ſunt, & verterunt *fortes terræ*.

PSALMVS

XLVII. | XLVIII. A

VERSIO

VETVS.

PSalmus Cantici filiis Core ſecunda Sabbati.

2 *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.*

3 *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.*

4 *Deus in domibus eius cognoſcetur, cùm ſuſcipiet eam.*

5 *Quoniam ecce reges terræ congregati ſunt: conuenerunt in vnum.*

6 *Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt: tremor apprehendit eos.*

7 *Ibi dolores vt parturientis,*

NOVA.

CANTICVM Pſalmi [a] filiis Core.

2 Magnus Dominus & laudabilis [b] nimis in ciuitate Dei noſtri, monte ſancto eius.

3 Pulcher ſitu, gaudium vniuerſæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.

4 Deus in palatiis eius: cognitus eſt in arcem.

5 Quoniam ecce reges congregati ſunt: [c] conuenerunt in vnum.

6 Ipſi [d] videntes ſic admirati ſunt: conturbati ſunt, [e] commoti ſunt.

7 Tremor apprehendit eos ibi: [f] dolores vt parturientis.

a vel *filiorum Core.*
b *valde*
c heb. *tranſierūt pariter.*
d heb. *viderunt,*
e vel *feſtinauerūt* aut *fugerunt.*
f heb. *dolor quaſi parturientis.*

Digitized by Google

8 In ſpiritu Orientali conteris naues Tharſis.

9 Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini exercituum, in ciuitate Dei noſtri: Deus [g] firmabit eam in æternum.

g vel *firmet*

h vel *Conſiderauimus*,

10 [h] Expectauimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui.

11 Secundùm nomen tuum, ſic & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua.

12 Lætetur mons Sion, exultent filiæ Iuda propter iudicia tua.

13 Circundate Sion, & circuite eam: numerate turres eius.

i ad ver. *generationi poſteræ*, ſeu *nouiſſima*.

k vel *Quoniam*

l ad verb. *deducet*

m vel *vſque ad mortem*.

14 Ponite cor veſtrum ad antemurale eius; extollite palatia eius: vt enarretis [i] in progenie altera.

15 [k] Quòd hic (eſt) Deus, Deus noſter in æternum & in perpetuum: ipſe [l] reget nos [m] in ſecula.

in ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.

8 *Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri: Deus fundauit eam in æternum.*

9 *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.*

10 *Secundùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua.*

11 *Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.*

12 *Circundate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus eius.*

13 *Ponite corda veſtra in virtute eius: & diſtribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera.*

14 *Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi: ipſe reget nos in ſæcula.*

COMMENTARIVS.

Argumentū. *Patet ex contextu fuiſſe decantatum hoc carmen poſt ingentem aliquem exercitum à mœnibus Hieroſolymorum diuinitus repulſum. Aliquis ad Ioſaphati regis Iudæ tempora hunc Pſalmum referet, exiſtimans hoc fuiſſe epinicion, quod poſt Moabitas, Ammonitas, eorúmque ſocios diuina ope ſuperatos Ioſaphatus vnà cum vniuerſo exercitu in valle, quæ inde nomen* Benedictionis *inuenit, vel potiùs propter primos verſus, quum Hieroſolymam reuerteretur, Deo cecinit. Qua de hiſtoria vide 2. Paral.* 20. *Verùm ego exiſtimo potiùs ad Ezechiæ tempora pertinere hunc Pſalmum, poſtquam vrbs Hieroſolyma Sennacherib obſidione diuinitus liberata eſt. Nam verſus* 4. 5. 6. 7. 8. 9. *ad hanc hiſtoriam prorſus videntur pertinere, vt ad verſus illos ſingulos ſingillatim dicetur. De hac hiſtoria lege 2. Reg.* 18. *&* 19. *& 2. Paral* 32. *In hoc igitur Pſalmo probat quiſquis eſt, aliquis fortaſſe ex poſteris Core, Deum firmum eſſe Vrbis Hieroſolymæ præſidium; quippe cuius ſolius nutu ac poteſtate eius vrbis obſidio ſoluta ſit. Ac primò quidem miraculum illud ita deſcribit, aut depingit potiùs, vt videre videaris Sennacherib, eóſque qui ab eius partibus ſtabant, ſimul atque iacentia centum & octoginta quinque cadauera in caſtris conſpiciunt, terrore perculſos fugam effuſo curſu arripere. Deinde Dei beneficium prædicat, Iudæos ad hilaritatem excitat, iubétque Hieroſolymæ muros diligenter obire, ac luſtrare, conſiderantes num aliqua deſit turrium, aut alta eius ciuitatis palatia quippiam ſint labefacta: quò ſcilicet poſteris annuntient Deum eſſe perpetuum ſui populi ductorem ac conſeruatorem.*

1 *Canticum Pſalmi.* Non poſſumus, inquit Ezra, canticum pſalmi inter, & pſalmum cantici diſtinguere, ſicut nec inter rupem petræ, Deut. 8. 15. & petram rupis, Deut. 32. 13.

2 *Magnus Dominus* &c. Senſus eſt, Cùm magnum, & omni laude digniſſimum vbique ſe Deus præbeat, tum maximè Hieroſolymis. *In ciuitate Dei noſtri*, hoc eſt, in vrbe Hieroſolyma; quam Arcæ domicilium ac ſedem Deus eſſe voluit.

Monte ſancto eius. Montē Sion intellige inter cæteras illius vrbis partes Deo peculiariter ſacrum, vt in quo depoſita quondam fuiſſet Arca.

3 *Pulcher ſitu*, vel, *climate*, vel, *regione*; ſeu, *termino*. Obiter montem Sion à ſitu commendat, & quòd ſit regia magni regis, Iudæorum

Digitized by Google

Iudæorum ſcilicet. *Situ, vel, climate.* Dones vocem נוף *noph*, *arborem* interpretatur: ita vt mons Sion vocetur *pulcher arbore*, quòd vndique oliuis ſit conſitus. Hanc ſignificationem ſequutus videtur D. Hieron. qui vertit *Specioſo germine*. Non deſunt ex Hebræis, qui יפה נוף *iephe noph*, interpretantur *ſponſam pulchram*, quæ apud vrbes maritimas ſoleat vocari Nympha. Ad horum mentem vertendum eſſet *Pulchra nympha.* Hos ſequutus eſt Felix Pratenſis, qui vertit, *Formoſa nympha.* Iuxta hanc ſignificationem verterem ego potiùs, *Pulcher Nymphis.* Ab iſtorum ſententia non longè diſceſſit Chaldæus, qui interpretatus eſt, *Pulcher vt ſponſus.* Ioſeph Kimhi vocem נוף *noph*, exponit pro *climate*, ac dicit, quiſquis ab vno climate ad aliud tranſit, ob aëris mutationem ægrotare: at terram Iſraëliticam, præcipuéque Hieroſolymam adeo bono fuiſſe climate, temperatóque, ac ſalubri aëre, vt qui eam terram correpti fortaſſe aliquo morbo ingrederentur, priſtinæ ſtatim valetudini reſtituerentur; ideóque fuiſſe gaudium vniuerſæ terræ; atque hoc ſenſu de Hieroſolyma dici Eſa. 33. verſu vltimo, *Nec dicet vicinus*, (vel *habitator*,) *Elâgui*, vel *Ægrotus ſum.* Sic ferè Ioſeph Kimhi. D. Kimhi נוף *noph*, accipit pro regione, hoc ſenſu, Mons Sion pulcherrimus eſt regionis: quaſi diceret, Non eſt illi ſimilis in omni regione, éſtque gaudium vniuerſæ terræ: iuxta illud Thren. 2. 15. *Hæccine* (*eſt*) *vrbs, quam dicebant perfecti eſſe decoris, gaudium vniuerſæ terræ?* Significationem regionis probat ex Ioſ. 17. 11. *Tres* הנפת *hannapheth, termini.* Ad huius ſententiam vertendum erit *Pulcher* ſeu *Pulcherrimus regionis.* Sed meliùs, vt puto, vertetur, *Pulcher ſitu*, vel *climate*, vel etiam *regione*, vt ſenſus ſit, Sionis montem eſſe amœniſſimum, voluptatémque omnibus adferre. *Latera Aquilonis*, hoc eſt, mons Sion ſpectans Aquilonarem vrbis partem. Habes ſimile Eſa. 14. 13. *& ſedebo in monte conuentus, in lateribus Aquilonis.*

4 *Deus in palatiis eius:* &c. Propoſitio eſt Pſalmi, quam ſequentibus verſibus luculentè probat. *Deus in palatiis eius*, hoc eſt, Aliarũ vrbium arces & propugnacula ideo valida ſunt, quòd firmis, & altis muris cincta ſint: at vrbis Hieroſolymæ palatiis, ac propugnaculis maius eſt robur, quòd nimirum Deus in iis reſideat perpetuò agens excubias. *Cognitus eſt in arcem.* Perinde eſt ac ſi dicat, Quid dico Deum eſſe in palatiis eius? Imò recenti experimento didicimus Deum ipſum veluti huius vrbis quandam eſſe arcem ac propugnaculum, quippe quo ipſa tuta ſit. Atque hoc accipiendum quemadmodum illud Prou. 18. 10. *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum curret iuſtus, & exaltabitur.* Potes hunc verſum ſine diſtinctione legere, hunc in modum, *Deus in palatiis eius cognitus eſt in arcem*, & interpretari ſic, Cognitum eſt Deum eſſe pro arce palatijs eius vrbis. Fauet huic interpretationi Syrus, qui habet, *Deus in turribus eius notum facit robur ſuum.*

5 *Quoniam ecce reges* &c. Hic & ſequentes verſus continent luculentam probationem præcedentis verſus. *Reges.* Non dubium quin cum Sennacherib amici & ſtipendiarij reges ad obſidendã Hieroſolymam venerint. *Conuenerunt in vnum.* Heb. *tranſierunt pariter* ad bellum, vt explicat Raſi.

6 *Ipſi videntes*, heb. *viderunt*, Sennacherib, & qui erãt cum illo, quum ſummo diluculo ſurrexiſſent, horribilem ſtragem in caſtris: poſtquàm ſcilicet Angelus nocte caſtra Aſſyriorũ aggreſſus centum & octoginta quinque hominũ millia letho dedit. Vide 2. Reg. 19 35. *Sic.* Habet emphaſim hæc particula, & videtur quaſi rem digito monſtrare. *Admirati ſunt* atque obſtupuerunt attoniti. *Conturbati ſunt*, ac territi tantæ, támque inopinatæ ſtragis ſpectaculo. *Commoti ſunt.* Raſi נחפזו *nechpazu*, vernaculè interpretatur *furent eſtourdis.* Chaldæus vertit *fugerunt*, alij *feſtinauerunt*, metuentes ſimile exitium. Quoquo modo vertas, eódem ſenſus redit. Hoc reſpondet verſui 36. cap. cit. 2. Regum, *Et recedens abiit, & reuerſus eſt Sennacherib* &c. Si ad Ioſaphati tempora hæc vis referre, expone hunc in modum, *Ipſi*, ſcilicet Moabitæ, Ammonitæ, & habitatores montis Seir, *viderunt* ac ſenſerunt occultam vim Numinis pro Iſraëlitis propugnãtis, ſeſéque in mutuam cædem armantis. Vel ſimpliciter *viderunt* ſe in ſe inuicem armari. Vide 2. Paral. 20. ver. 22. & ſeq.

Admirati ſunt ſic ſe in ſuos ferri. *Conturbati ſunt, commoti ſunt*, ipſa re, & Deo terrorem, & ſtuporem inijciente. In hoc argumento caue vertas *fugerunt*, aut *feſtinauerunt*, ſiquidem nemo tunc prorſus cladi ſuperfuerit, vt eſt loco cit. verſu 24.

7 *Ibi*, vbi antea nobis erant terrori, hoc eſt, in ipſis illorum caſtris, circa vrbem: vel dicit *ibi*, monſtrando locum, quòd ſub oculis eſſet. *Dolores vt parturientis.* Heb. *dolor quaſi parturientis*, vel, ſi vis, *parturientem.* Elegans figura, quâ ſignificat vehementem ac ſubitum dolorem.

8 *In ſpiritu* ſeu *vento Orientali* &c. Apoſtrophe eſt ad Deum epiphonematica,

Digitized by Google

ri pene loci ſunt, vbi vici ſeu pagi, aut minores vrbes primariæ vrbis filiæ nominantur. Vide Num. 32. 42. Ioſ. 17. 16. Iud. 1. 27. Vrbs econtrà primaria 2. Sam. 20. 19. mater appellatur. Sic Latinis ſunt metropoles, quæcunque colonias deduxerunt. Chaldæus pro *filiabus Iuda* reddidit *congregationes domus Iuda. Propter iudicia tua*, quibus pœnas ab hoſtibus perſequutus es. Quid ſignificet *Iudicium*, vide ad verſ. 5. pſal. 33. necnon ad verſ. 7. pſal. 36.

13 *Circundate Sion*, &c. Senſus, Luſtrate, ô ciues, vrbis mœnia, & videte quàm illæſa manſerint. *Sion* pro Ieruſalem, cuius erat pars præcipua. *Numerate turres eius*, ac videte num quæ ariete percuſſa corruerit: num deſideretur aliqua. Reſpondet hoc prophetiæ Eſaiæ, quæ legitur 2. Reg. cap. iam ſæpe citato, *Quamobrem hæc dicit Dominus de Rege Aſſyriorum, Non ingredietur vrbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec effundet iuxta eam aggerem.*

14 *Ponite cor veſtrum*, hoc eſt, Conſiderate, & intendite omnem cogitationem. *Antemurale.* חֵל *chel*, ſi credimus Kimhio ad hunc locum, murus eſt paruus circùm ambiens murum magnum. Raſi ad verſum 8. 2. Threnor. definit etiam ſubmiſſum murum è regione muri ſublimis. Ezra ibidem dicit eſſe locum circùm murum. Ralbag ad verſ. 15. cap. 20. 2. Sam. exiſtimat eſſe murum interiorem. Locus hic videtur poſtulare, vt ſit potiùs exterior murus, & ſenſus ſit, Recognoſcite num vel tãtillùm exterior murus labefactus ſit. Alij tamen putant voce prædicta ſignificari foſſam, quæ eſt in vrbis circuitu. Iuuat horum ſententiam, quòd Chaldæus גֵּיא *ge*, hebraicum, quod *vallem* ſignificat, interpretari ſolet חֲלִתָּא *chelta. Extollite palatia eius*, hoc eſt, iuxta Ezram & Kimhi, aſpicite & videte ſublimia illius palatia. Qui perpendit quàm aliquid ſit celſum, illud quodammodo videtur extollere. *Vt*

A *enarretis* &c. hunc Deum eſſe, ac perpetuò futurum Deum noſtrum, nobíſque ſemper adfuturum: hócque ſignificat verſus ſequens, *Quòd hic (eſt) Deus*, &c.

15 *In ſecula.* Sic Menachem עַלְמוּת *almuth*, interpretatur. Ezra quoque vult hanc vocem ſignificare *æternùm* ſeu *perpetuò*: dicítque hunc eſſe ſenſum huius verſus, Quòd ipſe æternùm ac perpetuò perſtabit, æternùm quoque ac perpetuò erit ductor noſter. Sic quoque Græcus & Latinus accepere. Author Maſſoreth, à quo Kimhi haud diſcedit, vult eſſe duas voces עַל־מוּת *al-muth*, hoc eſt, *vſque ad mortem*
B noſtram. Moſes, & alij vocem prædictam interpretantur pro *pueritia* ſeu *iuuentute*; ſuppleríque volunt כ ſimilitudinis, vt hæc ſententia ſit, ducet nos, ſicuti nos duxit tempore noſtræ pueritiæ, quum primùm ſcilicet nos ex omnibus populis ſelegit. Ad horum mentem vertendum, *(ſecundùm) pueritiam*, vel *(ſicut in) pueritia*. Hoc modo accepit Chaldæus, qui vertit *in diebus pueritiæ noſtræ*. Pueritia porrò in ſacris litteris interdum tempus egreſſionis ex Ægypto ſignificat, quando Iſraëlitæ veluti pueri re-
C ligionis, legúmque myſteriis cœperunt initiari. Habes exemplum Ier. 3. 4. *dux pueritiæ meæ tu (es:)* quod Chald. reddidit, *tu redemptor meus, qui à ſeculo.* Id quod volumus, probat euidentiùs locus Oſeæ 2. 15. *& canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ, & iuxta diem aſcenſionis ſuæ de terra Ægypti:* vbi Chaldæus pro *iuxta dies iuuentutis ſuæ*, habet, *iuxta dies antiquos.* Nec refert quòd aliqui vocem, de qua ſermo eſt, vt duas ſcribant. Nam quæ-
D dam ſunt dictiones quæ vt duæ ſcribuntur in ſacris litteris, cùm tamen vt vna explicandæ ſint, ſicuti ad hunc locum obſeruat Kimhi: putà Ierem. 46. 20. יְפֵה־פִיָּה *iephe-phiia*, hoc eſt, *elegãs* ſeu *formoſa*. Pſal. 123. 4. לִגְאֵי־יוֹנִים *lighe-ionim*, hoc eſt, *ſuperbis*. Eſ. 61. 1. פְּקַח־קוֹחַ *pekach-koach*, *apertio plena*.

PSALMVS

XLIX. XLVIII.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI, [a] filiis Core Pſalmus.
2 Audite [b] hæc omnes [c] gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem.
3 Etiam filij hominis, etiam filij viri: ſimul diues, & pauper.
4 Os meum loquetur [d] ſapientiam, & meditatio cordis mei [e] prudentiam.
5 Inclinabo [f] in parabolam aurem meam: aperiam in cithara ænigma meum.
6 Cur timebo in diebus mali: (&) iniquitas [g] calcanei mei circundabit me?
7 (Eorum) qui confidunt in opulentia ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur;
8 Fratrem non redimendo redimet quiſquam: non dabit Deo pretium redemptionis [h] eius.
9 Et pretioſa eſt redemptio animę ipſorum: & deſinet in æternum,
10 Vt viuat (quis) vltrà in æternum: non videat [i] interitum.
11 Quia (quilibet) videt, ſapientes morientur, ſimul inſipiens & ſtultus peribunt: & relinquent [l] alienis diuitias ſuas.
12 [m] Sepulchra eorum, domus illorum in æternum, tabernacula eorum in progeniem & progeniem: vocauerunt de nominibus ſuis terras.

a vel *filiorum Core*
b heb. *hoc*
c heb. *populi*
d ad verb. *ſapientias*,
e *prudentias*.
f heb. *ad*
g heb. *calcaneorum meorum*
h vel *ſua*.
i ad verb. *foueam*.
l vel *alijs*
m heb *Sepulchrum*, vel *intimũ*

VETVS.

IN finem, filiis Core Pſalmus.
2 Audite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.
3 Quique terrigenæ, & filij hominum: ſimul in vnum diues & pauper.
4 Os meum loquetur ſapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.
5 Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in pſalterio propoſitionem meam.
6 Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.
7 Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.
8 Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem ſuam.
9 Et pretium redemptionis animæ ſuæ: & laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.
10 Non videbit interitum, cùm viderit ſapientes morientes: ſimul inſipiens, & ſtultus peribunt.
11 Et relinquent alienis diuitias ſuas: & ſepulchra eorum domus illorum in æternum.
12 Tabernacula eorum in progenie, & progenie: vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.

Digitized by Google

13 *Et homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

14 *Hæc via illorum ſcandalum ipſis: & poſtea in ore ſuo complacebunt.*
15 *Sicut oues in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos.*
16 *Et dominabuntur eorum iuſti in matutino: & auxilium eorum veteraſcet in inferno à gloria eorum.*
17 *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me.*
18 *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo: & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.*
19 *Quoniam cùm interierit, non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria eius.*
20 *Quia anima eius in vita ipſius benedicetur: confitebitur tibi cùm benefeceris ei.*
21 *Introibit vſque in progenies patrum ſuorum: & vſque in æternum non videbit lumen.*
22 *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

13 Et homo in honore non pernoctabit: [n] comparatus eſt iumentis (quæ) intereunt. n *ſimilia*
14 Hæc via illorum ſtultitia ipſis: & poſteri illorum in ore ipſorum [o] complacebunt. o vel *currrent.*
15 Sicut oues in [p] inferno poſiti p vel *ſepulchro*
ſunt, mors [q] depaſcet eos, & domi- q vel *paſcet*
nati ſunt eorum recti in matutino:
& [r] figura eorum veteraſcet in [ſ] in- r vel *robur*
ferno ab habitaculo [t] eorum. ſ vel *ſepulchro* t vel *ſuo.*
16 Verùm Deus redimet animam meam de manu [u] inferi, quum acceperit me. u vel *ſepulchri.*
17 Ne timueris quum diues factus fuerit homo: quum multiplicata fuerit gloria domus eius.
18 Quoniam quum interierit, non ſumet omnia: neque deſcendet [x] cum eo gloria eius. x heb. *poſt eum*
19 Quia animæ ſuæ in vita ſua benedicit: & laudant te, quum benefeceris tibi.
20 Introibit vſque in [y] progenies patrum ſuorum, (qui) vſque in æternum non videbunt lumen. y heb *progeniem*
21 Homo (qui) in honore, & non intelligit, [z] comparatus eſt iumentis (quæ) intereunt. z *ſimilia*

COMMENTARIVS.

Argumētum. *PSalmus hic eſt διδακτικὸς, in quo autor pſalmi, quiſquis eſt, docet opes eſſe contemnendas; quòd nemo, quantumuis diues, ſuam, nedum alterius vitam poſſit redimere, ac multò minùs immortalitatem ſibi comparare: mortem enim cunctis, ſiue ſapientibus, ſiue ſtultis, eſſe communem, ac nihil aduersùs vim fati diuitias valere, quas ad alios etiam ignotos poſt mortem transferri neceſſe eſt, nulla re diuitibus ipſis præter anguſtum ac vile ſepulchrum, in quo æternùm iacebunt, reliqua, & inane fortaſſe nomen, quod ad faſtum, & falſam quandam immortalitatis ſpeciem ſuis domibus ac terris æternùm ipſorum opinione duraturis indiderint: nihil quippe morientes ſecum reportaturos, nihil priſtini ſplendoris in ſepulchrum relaturos, ſed beſtiarũ, quarum nulla poſt mortem ſpes eſt, ſimilem exitum habituros. Hæc, inquit, illorum ſors eſt, & exitus, qui quidem ſtultitiam ipſis exprobrat: & tamen poſteri nihilo parentibus ſapientiores illorum præceptis atque exemplo adhæreſcunt. Addit mox, quod non parua voluptate probos afficere debet, inſipientes illos diuites poſt mortem in infernum detrudendos, eorúmque potiorem partem fore ſepulchrum, &, vt in hac vita probis fuerint ſuperiores, in altera profectò fore inferiores. Deinde ſe ſuique ſimiles ſolatur, dicens, Deum ſperare ſe ab inferorum poteſtate, imò ab ipſo ſepulchro quodammodò vindicaturum; dum ſibi pro mortali vita immortalem vitam donabit. Seipſum igitur, aut quemlibet alium hortatur, , ne ob cuiuſquam opes, & ſplendorem animo frangatur, ſiquidem nihil diues relaturus ſit moriens, neque extinctum vlla gloria ſequetur, qui opibus, dum viueret, ad*

luxum & delicias abuſus ſit, ſed ipſe poſt mortem ad miſeros cedet parentes, qui in denſis inferorum tenebris nullâ vnquam fruentur luce.

2 *Audite hæc omnes gentes:* &c. Auctor pſalmi, quiſquis eſt, auaritiam, atque opum cupiditatem reprehenſurus, omnes orbis incolas, tum ignobiles, tum nobiles, tum diuites, tum pauperes compellat. Nulla enim ſub cœlo gens, ac nullum hominum genus, quod auaritiæ non laboret infamia.

3 *Filij hominis.* Ignobiles & obſcuros homines ſignificat, ſi credimus Ezræ & Kimhi, quos *terræ filios* vocant Latini: vnde hîc in Græco, & Latino *terrigenæ.* *Hominis.* Heb. אָדָם *adam,* quæ vox hominem, vt è terrâ factum, ideóque vilem & abiectum, ſignificat. Vide ad verſ. 5. pſal. 8. *Filij viri*, hoc eſt, ex nobili & clara ſtirpe orti, aut aliqua dignitate inſignes, iuxta Ezram, & Kimhi, qui ad probationem adfert illud Iud. 7. 14. *Non (eſt) hoc, niſi gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraëlitæ.* Vide ad verſ. 3. pſal. 4.

4 *Os meum loquetur* &c. Artificium rhetoricum. Quò auditores attentos reddat, ac præparet, promittit ſe de rebus maximis, ac neceſſariis, & in quibus ſumma ſapientia poſita ſit, dicturum. *Os meum loquetur ſapientiam,* hoc eſt, dicturus ſum de rebus, quæ vos ſapientes efficere poſſunt. *Sapientiam.* In Fonte *ſapientias* in numero multitudinis, emphaticè, quaſi diceret, variam ſapientiam. *Et meditatio cordis mei prudentiam,* ſup. *loquetur.* Nolite exiſtimare, inquit, me temere, & impræmeditatè dicturum quicquid in buccam venerit, ſed ex longa præmeditatione locuturum me putatote. Meditatio cordis ſeu animi propriè non loquitur, ſed ori ſuppeditat quod loquatur. *Prudentiam.* In Fonte *prudentias,* emphaticè quoque, hoc eſt, variam prudentiam. Hac poſtrema voce ſignificare vult ſe non dicturum de rebus, quæ in ſola contemplatione poſitæ ſint, ſed in exercitatione præſertim, & actione conſiſtant. Poſtrema pars huius verſus ex mente Raſi aliter reddenda, ſic, *& meditatio cordis mei prudentia,* ſeu *prudentiæ.* Ad mentem Ezræ, & Kimhi, ſic, vt opinor, eſſet vertenda, neque incommodè, *& meditationem cordis mei prudentiam,* ſup. os meum loquetur: prudentiam ſcilicet, vel ſi mauis, intelligentias, quas meditatum fuerit cor meum. Eódem ſemper redit ſententia.

5 *Inclinabo in (ad) parabolam* &c. Senſus, Etiam ego inclinabo aurem meam ad parabolam, ac meipſum erudiam. Sic Ezra. At Kimhi idcirco vult hîc dici, *Inclinabo ad parabolam aurem meam,* quòd pſalmi decantarentur nablo, & cithara: quaſi diceret, Inclinabo aurem meam ad citharam, quum in ea Cithariſta hanc parabolam decantabit. *Inclinabo aurem meam,* hoc eſt, audiam cum attentione, atque aurem propiùs admouebo. *Parabolam* ſeu *prouerbiũ.* Nomen hebręum מָשָׁל *maſchal,* propriè ſignificat ſermonem figuratum, adeóque obſcurum, ſeu inſignem aliquam ſententiam figura aliqua ornatam, quæ tanquam peculiare ornamentum in oratione emineat, ac veluti dominetur: vnde & nomen inuenit à verbo מָשַׁל *maſchal,* quod *dominari* ſignificat. *Aperiam* &c. Significat ſe ipſum etiam carmen ſuum luſurum in cithara: vt ſenſus ſit huius verſus, Diligenter auſcultabo alios, dum canent hoc meum carmen, ipſe etiam interim in cithara ludens. *Aperiam,* hoc eſt, in apertum proferam, & publicè proponam, *in cithara,* hoc eſt, adhibita etiam cithara. Quum parabolam & ænigma dicit, ſignificat ſe de rebus ſublimibus, & longè poſitis extra conſpectum rationis dicturum, videlicet de opum contemptu. Præterea ſignificat ſe ſuam ſententiam verborum inuolucris, & figuris, quæ ænigma decent, inuoluturum.

6 *Cur timebo in diebus mali:* &c. Nunc aggreditur parabolam, & ænigma. *Cur,* inquit, *timebo* & ſollicitus ero *in diebus mali,* hoc eſt, diebus huius ſeculi? Sunt enim mali ei, qui mundo addictus eſt. Cur, inquam, ſollicitus ero de diuitiis & opibus, in quibus huius mundi gloria poſita eſt? Nam ſi ſollicitus ſim de bonis huius ſeculi, & ea ſequutus fuero, *iniquitas calcaneorum meorum circundabit me,* hoc eſt, etſi initio arrideant illa bona, tandem tamen diſplicebunt, tandémque extremo vitæ tempore inueniet me iniquitas. Propterea quòd autem calcaneus extrema pars eſt corporis, finis cuiuſcunque rei *calcaneus* appellatur. Intelligi poteſt per *calcaneos* ſeculum venturum, quod eſt ſeculum ac mundus præmij & pœnæ: præmium autem & pœna ſunt in fine operis. Sic poſtrema pars habebit hunc ſenſum, etiamſi bonis præſentibus fruar toto vitæ tẽpore ad diem mortis vſque, non fruar tamen in altera vita, quę mortem ſequitur, quæque eſt veluti calcaneus, quòd ſit finis operis: nullum enim opus, nulla ſciẽtia in altero ſeculo, quod eſt Eccl 9. 10.
ſeculum præmij & pœnæ: ſed ibi *circũdabit me iniquitas,* hoc eſt, pœna mihi debita, quòd præter modum de opibus ac præſentibus bonis fuerim ſollicitus toto vitæ tem-

Digitized by Google

pore. Sic ferè Kimhi exponit hunc verſum. A Placet Ezra, qui hoc ſenſu accipit: *Cur timebo* (curabo) *de diebus mali:* &c. Senſus eſt, Cur operam dabo comparandis diuitiis metu ſenectutis? Tempus ſenectutis ſignificant *dies mali* hoc loco, vt & Eccleſiaſtis 12.1. *Et memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniant dies mali, & appropinquent anni,* &c. *Iniquitas calcaneorum meorum* &c. Coniungenda hæc pars iſti *Cur timebo* &c. ſic, Cur adeo de comparandis diuitiis ſollicitus ero: cur per fas, & nefas opes quæram: cur diuitiarum B amor à recto tramite me abducet, & ſic *iniquitas calcaneorum* ac pedum *meorum circundabit me*, hoc eſt, iniquitas, quam ex viuendi ratione contraham, perpetuò circum me erit, nec vnquam me deſeret? Friget Raſi, qui ſic habet, Cur ego neceſſe habeo timere in *diebus mali*, hoc eſt, in die viſitationis iniquitatis? Propterea quòd *iniquitas calcaneorum meorum circundabit me*, hoc eſt, iniquitates, quas ego meis calcaneis calco, hoc eſt, quas paruipendo, quòd videãtur leues, ipſæ me condemnaturæ ſunt in iudi- C cio. Quantò igitur magis diuites timere debent, *Qui confidunt in opulentia ſua*, &c. Quæ autem vtilitas in illorũ opibus? Annon frater poterit redimere fratrem ſuum ſuis opibus? Sic ille conatur, ſed nimis violenter aptare hos verſus ſuæ interpretationi.

7 (*Eorum*) *qui confidunt* &c. Vt hic verſus cohæreret cum ſequente, ſupplendũ fuit latinè, *Eorum*. *Opulentia*. Græcus & Latinus habent *virtute*. Sanè vox hebraica eſt ambigua. Verùm ſequens membrum opulentiæ ſignificationem videtur approbare: etſi D. Hieron. & Felix Pra- D tenſis cum Vulgato verterunt, ille *in fortitudine ſua*, hic *in virtute ſua*.

8 *Fratrem non redimendo* &c. Quid proſunt illis diuitiæ tẽpore mortis? Non enim quiſquam illorum quantiſcunque opibus fratrem ſuum à morte poteſt redimere, neque dare Deo pretium redemptionis eius: Deo, inquam, à quo eſt vita & mors. Neque etiam ipſi ſeipſos redimere poſſunt: id quod apertè ſignificat ſequens E verſus. *Pretium redemptionis eius*. Potes vertere, *pretium redemptionis ſuæ*, hoc ſenſu, Tantùm abeſt vt quis alterum poſſit redimere, vt nemo ſeipſum poſſit. *Pretium redemptionis*. Vox hebraica כֹּפֶר *copher*, pretiũ ſignificat, quod quis dat, vt vel iudicis animũ expugnet, vel hoſtis irã, ac vitam redimat, aut periculũ præſens ac certum euitet. Græcis eſt λύτρον, & ἄποινον. In Græco & Latino ad ſenſum *placationem ſuam*. Alludere autem fortaſſe vult ad pretium illud, quo in vetere Lege, ſi taurus aliquis hominem occidiſſet, dominus qui ſciret beſtiæ vitium, & non conſuluiſſet, ſe redimebat, quantum accuſator popoſcerat, vel lapidabatur, vt legitur Exo. 21. 30.

9 *Et pretioſa eſt* &c. hoc eſt, Pretioſior eſt quibuſcunque opibus, vel omni pretio charior eſt vitæ redemptio. Sic ex Raſi. Simile eſt Eſa. 13.12. *Pretioſiorem faciam hominem auro, & hominem auro obrizo*. Cuius quidem loci ſenſus eſt ex Kimhi, Ponam homines auro pretioſiores: q. d. Si voluerit quiſpiam eos redimere, ne interficiantur, non accipient pro illis Medi & Perſæ aurum, vt eorum vitæ parcant. Kimhi ad eundem ſenſum explicat, *& pretioſa erit*, pro, non erit, neque inuenietur; & probat exemplo ex 1. Sam. 3.1. *& ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis, non erat viſio manifeſta*, quod idem, inquit, valet, ac ſi dixiſſet nullum tunc temporis fuiſſe verbum prophetiæ. Verùm *pretioſus* iſto in loco Sam. vt ex mox ſequentibus apparet, pro raro tantùm ſumi videtur. *Et deſinet in æternum*, ac nuſquam fiet illa redemptio: vel fiet nunquam, *Vt viuat* (*quis*) &c. vt mox dicetur.

10 *Vt viuat* &c. Expone repetendo ex præcedente verſu, *pretioſum eſt*, *& deſinet in æternum*, hoc eſt, fiet nunquam, vt illorum aliquis perpetuò viuat. Niſi mauis cum Kimhi poſtremam duntaxat partem præcedentis verſus cum hoc verſu ſic coniungere, *& deſinet in æternum, vt viuat* (*quis*) *vltrà* &c. Hunc verſum Kimhi de prorogatione vitæ in longum tempus duntaxat intelligit, vt ſenſus ſit, *vt viuat adhuc in ſeculum*, hoc eſt, ad longum tempus, & *non videat* adhuc *foueam*. Sed melius eſt propter ſequentem verſum, in quo dicitur neminem eſſe immortalem, de immortalitate hunc verſum accipere. *Vt*: Quòd ו *ve*, quod aliàs copula eſſe ſolet, vſum habeat interdum cauſatiuæ, *vt*, patet exemplo 1. Reg. 18.44. *Liga* (*currum*) *& deſcende*, וְלֹא *velo, vt non occupet* (*detineat*) *te pluuia*. De hac re videndi ſunt Grammatici, vbi agunt de litteris ſeruilibus. Neque enim huius loci eſt exempla multa adducere, & paginas implere.

11 *Quia* (*quilibet*) *videt*, &c. Senſus eſt, Vident omnes, & experientia omnium ſeculorum docet moriendum eſſe cunctis, ſiue ſapientibus, ſiue ſtultis, opéſque nimio labore partas tandem eſſe relinquendas. Sapientes hoc loco dicuntur morituri, inſipiens verò & ſtultus, hoc eſt, qui huius mundi delicias ſequuntur, perituri, quòd etſi ſapientum corpus moritur, anima eo-

Digitized by Google

rum non moritur, nec illorum ſpes perit; qui verò mundana amplectũtur, & quoad corpus & quoad animã moriuntur; quippe quibus nulla poſt mortem ſpes eſt, iuxta illud Prou. 10. 28. *ſpes autem impiorum peribit:* necnon Prou. 11. 7. *Mortuo homine impio, nulla erit vltrà ſpes:* &c. Sicuti enim, dum viuunt, beſtiarum inſtar nihil intelligunt, ſic itidem vt beſtiæ moriuntur, aut potiùs omnino pereunt, ipſáſque diuitias, quarum ſtudio, dum in vita ſunt, tam auidè tenentur, aliis, vel etiam alienis relinquunt. Quid illis ergo diuitiæ proſunt? Contrà, *expectatio iuſtorum lætitia:* & ſapientia, cui operam dant, proderit illis poſt mortem. *Non proderunt diuitiæ in die vltionis*, ſeu *iræ: iuſtitia autem liberabit à morte*, vt eſt Prou. 11. 4. *Quia videet* ſupq uilibet. Gallicè *l'on void.* *Morietur* vel *moriuntur*, vt ſit futurum pro præſenti, vt ſæpe in generalibus ſententiis. Sic *peribũt* vel *pereũt*. *Alienis.* Meliùs *alijs*. Chaldæus hîc habet, *& relinquent iuſtis diuitias ſuas.*

12 *Sepulchra* (heb. *Sepulchrum*) *eorum, domus* (in plur.) *illorum* &c. Ezra ſcribit eſſe qui dicant קִרְבָּם *Kirbam*, eſſe per metatheſin pro קִבְרָם *Kiuram*, hoc eſt, *ſepulchrum eorum:* ſepulchrum autem vocari *domum æternitatis* Eccleſiaſtis 12. 5. atque hæc verba *vocauerunt nominibus ſuis terras*, hanc habere ſententiam, ædificauerunt ædificia ſuper ſepulchra ſua. Kimhi obſeruat quoque eſſe qui in voce prædicta metatheſin admittant, hoc ſenſu, Sepulchrum domus eſt illorum in æternum. Chaldæus etiam metatheſin agnouit, qui interpretatus eſt, *In domo ſepulchri ſui habitabunt in æternum, & non ſurgent de tabernaculis ſuis in generationes generationum.* Sic profectò acceperunt Græcus & Latinus: hæcque interpretatio optimè quadrat ad poſteriorem partem præcedentis verſus, quaſi dicat, illi morientes relinquunt aliis diuitias ſuas, ipſiſque nihil eſt reliqui præter ſepulchrum, in quo æternùm iacebunt: Verùm probare non poſſum illorum, quos citat Ezra, interpretationem ad hæc verba, *vocauerunt de nominibus ſuis terras:* ſed horum verborum hunc ſenſum eſſe puto, nihil poſt illorum mortem præter nomina, quæ terris ſuis, aut domibus indiderunt, ſupereſſe. Raſi accipit prædictam vocem ſine metatheſi, ſícque explicat hunc verſũ, *Intimum eorum domus illorum in æternum*, hoc eſt, Cogitationes eorum ſunt de ædificandis ſibi domibus, quæ æternùm durent. *Vocant de nominibus ſuis terras*, hoc eſt, domos ſuas, quas ipſi extruunt, quò aliquam ſui memoriam relinquant:

A ſicuti dicitur Gen. 4. 17. *& ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius vrbis ex nomine filij ſui Henoch.* Antiochus extruxit Antiochiam, Seleucus Seleuciam. Sic ille. Alij ſunt, qui accipiant prædictam vocem eodem modo, ſed ſuppleant *in*, ſic, *(In) intimo eorum*, hoc eſt, In cogitatione eorum, q. d. Cogitant domos ſuas æternùm permanſuras. Sunt qui bis ſupplendo *in*, hunc ſenſum efficiant, (*In*) *intimo eorum*, hoc eſt, Eſt in cogitationibus illorum, quòd permanſuri ſunt *(in) domibus ſuis in æternum.* Ezra exiſtimat ſupplendam hîc eſſe B litteram, ב, id eſt, *in*, & ſenſum eſſe, *(In) medio eorum*, hoc eſt, aliorum, quibus relinquunt diuitias ſuas, ſunt *domus illorum in ſeculum.* Si ſic accipias, ſenſus erit, Penes alios ſunt illorum domus, & diu quidem manent: ſed nihil propterea illis eſt reliqui, niſi quòd vulgò dicitur, Iſta eſt domus talis, & iſtam turrim ædificauit talis, quod ſignificatur his verbis, *vocant de nominibus illorum* (caue in hoc ſenſu vertas *ſuis*) *terras:* atque hoc omne nihil proderit. Obſcurus eſt hîc Kimhi, & friget.

C 13 *Et homo in honore* &c. Senſus, Homo, abſoluta huius mortalis vitæ peregrinatione, in opibus & ſplendore, qui illas ſequitur, haud pernoctabit: quaſi dicat, Mortuus opes illas haud ſecũ auehet, ſed aliis relinquet. *Non pernoctabit*, poſt confectum ſcilicet huius vitæ iter: vel, quod eódem recidit, non morietur, iuxta Kimhi, qui obſeruat mortem *pernoctationem* vocari, ſicuti vocatur *ſomnus:* ex. gr. Ierem. 51. 39. *& dormient ſomnum ſempiternum.* Daniel 12. 2. *Et multi de his qui dor-* D *miunt in terra pulueris, euigilabunt.* *Pernoctabit.* In Græco, & Latino *intellexit*, ex יָבִין *iauin*, (quod occurret verſu 21. cum iiſdem fermè vocabulis, quæ ſunt hîc) pro יָלִין *ialin.* *Cõparatus eſt* &c. Senſus, ſicuti beſtiæ intereuntes nihil ſecum deferunt, ſic nec homo, qui ſeculi vanitates eſt ſecutus. *Intereunt.* Verbo propiùs *ſucciduntur;* quo modo Kimhi vocem hebraicam נִדְמוּ *nidmu*, explicari poſſe docet: etſi ipſe affirmat quoque ſignificare poſſe *ſimiles ſunt:* ita vt idem bis dicatur. Nec obſtat diffi- E dium numeri, quod percrebrum eſt in ſacris litteris, præſertim in conſtructione verbi pluralis cum nomine ſingulari collectiuo, quale hîc eſt *homo.* Vltimo modo acceperunt Græcus & Latinus, qui correxerunt enallagen numeri, & aliquid explicationis gratia addiderunt. Neque verò putes temere ab illis additum verbum *inſipientibus:* nam & illud vocabulum ſententiam facit illuſtriorem, ac pleniorem; iſto enim vocabulo homo arguitur, qui cùm, ſi

Digitized by Google

ſapiens fuiſſet, longè bruta animantia dignitate ſuperaſſet, ſuâ inſipientiâ ſimilem illis ſe præſtitit, ideóque ſimilem exitum habuit. Deinde vox hebraica, de qua mox diximus, ſignificare fortaſſe poteſt *ſtulta*, ſeu *inſipientia ſunt*, & hoc ad ipſa iumenta referri. Iſtius ſignificationis auctorem habeo Chaldæum, qui Oſeæ 4. 6. prædictam vocem chaldaicè reddidit אִטַּפְּשׁוּ *ittappaſchu*, hoc eſt, *obbrutuerunt*, ſeu *inſipientes facti ſunt*. Quòd ſi illi, vt puto, ad hanc ſignificationem reſpexerunt, dicendum prædictæ vocis duplicē ſignificationē ſimul exprimere eos voluiſſe, quod aliàs ab illis factum, vt videre eſt ad verſum 2. Pſal. 22. Chaldæus totum hunc verſum ſic παραφράζει, *Et homo peccator in honore non pernoctabit cum iuſtis: ſimilis eſt beſtiæ, quæ æſtimatur* (vel *ponitur*) *in nihilum.*

14 *Hæc via illorum* &c. Senſus, Hæc eſt ſors & exitus impiorū, qui ipſis ſtultitiā exprobrat, atque arguit ipſos neſcire prorſus quid agāt, dū opes nimio ſtudio cōquirunt. *Viam* hîc ſumo pro termino viæ, hoc eſt, exitu: quo modo pſ. 1. 6. etiam accipitur, *Nouit Dominus viam iuſtorum: & iter* (*via*) *improborū peribit*. *Stultitia*. Syrus, Græcus, & Latinus *ſcandalum* verterunt: quam ſignificationem non à כֶּסֶל *ceſel*, ſed à verbo כָּשַׁל *caſchal*, quod eſt *impingere*, mutuati eſſe videntur. Chaldæus hanc partem reddidit, *Hæc via illorum in cauſa eſt ſtultitiæ ipſis*. *Et poſteri illorum* &c. Senſus eſt: eorum filij parentum præceptis atque exemplo delectabuntur. *In ore ipſorum*, hoc eſt, præceptis ac mandatis ipſorum. Hoc ſenſu accepit Ezra. Sic autem coniunge poſtremam hanc partem cum præcedente: Talis eſt ſors & exitus improborum, qui quidem ipſis ſtultitiam exprobrat: ac nihilominus tamen illorum filij parentum præceptis imbuti ad eorum mores conſuetudinéque feruntur. *Complacebunt*. Ad mentem Kimhi, & aliorum vertendum *current*, hoc ſenſu, & filij eorum current atque incedent iuxta illorum præcepta: & pro eo, quod audierunt à ſuis parentibus gloriantibus de diuitiis, ipſi ſe gerent, eandémque, atque illi, current & ingredientur viam. Hæc interpretatio in priorem recidit. Non incommodè in hoc ſenſu, pro, *in ore ipſorum*, vertes ex Hebræorum quorundam ſententia, *ſicut ipſi*. Chaldæus hanc vltimam partem ſic interpretatus eſt, *& in fine ſuo in ore ſuo dabunt peccatum ſuum*, (id eſt, dabunt pœnas peccati ſui) *in ſeculo venturo*. Obſcura ſanè interpretatio, nec Hebræo, vt mihi videtur, reſpondens.

15 *Sicut oues* &c. Senſus, Interim dū filij

A exemplo parentum viuunt, miſeri parentes, quaſi ouili grex, ſepulchro concluſi, atque in infernum gregatim coniecti, ſuæ ſtultitiæ pœnas luunt. *In inferno*, iuxta Raſi: *in ſepulchro*, iuxta Kimhi. *Poſiti ſunt* vel *ponuntur*. Raſi verbum hebraicum שַׁתּוּ *ſchattu*, hanc vim habere vult, vt ſignificet, *poſiti ſunt* in medio שָׁתוֹת *ſchathoth*, hoc eſt, *fundamentorum* inferni ad inferiorem gradum. Eandem vim habere vult etiam illud verbum pſal. 73. 9. *Poſuerunt in cœlum os ſuum*, quaſi ibi diceretur,
B Altè defixerunt in cœlum maledicam ſuam linguam. *Mors depaſcet eos*. Simile eſt Iob 18. 13. *Deuorabit vectes cutis eius: deuorabit vectes* (hoc eſt, membra) *eius primogenitus mortis*. Potes vertere *paſcit eos*, hoc ſenſu, ſicuti paſtor oues ſub noctem in ouile colligit, ſic illos mors, vbi vitæ veſpera aduenit, cogit in ſepulchrum. *Et dominati ſunt eorum recti* tandem. Impij in hac vita ſuperiorem locum obtinent, inferiorem verò iuſti: neque eſt qui impios, dum viuunt,
C poſſit deprimere, propter illorum diuitias, ac potentiam: verùm poſt mortem ſuperiores ſunt, qui pietatem coluerint, iuxta illud Malach. 4. 3. *Et calcabitis impios cùm fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum, in die qua ego facio*, &c. Status porrò beatorum poſt mortem *matutinum* ſeu *mane* hîc vocatur, quòd tunc lux beatis illuceſcat poſt triſtes ac denſas huius vitæ tenebras. Etſi enim pij in hac vita aliqua fruuntur luce, nihilominus tamen lucerna
D illa lucet in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & lucifer ac ſol Iuſtitiæ Chriſtus oriatur. 1. Pet. 1.
Et figura eorum veteraſcet in inferno ſeu *ſepulchro*: ad verb. *& figura eorum* ſup. ita comparata eſt, *vt corrupturus ſit* ſub. eam *infernus*. Quòd Græcè & Latinè eſt *auxilium eorum*, vbi verſum eſt à nobis *figura eorum*, ferri poteſt, ſumendo *auxilium* pro *robore*, quod ſignificare hîc poteſt ex Kimhi ſententia vox hebræa צוּר *tſur*, quaſi diceretur, tandem omnem illorum potentiam conſumpturus eſt
E infernus vel ſepulchrum. Aquila prædictam vocem vertit χαρακτὴρ: Symmachus τὸ χαράταιον. *Ab habitaculo eorū* vel *ſuo*, hoc eſt, figura ſeu potentia illa ab habitaculo, ac ſplendido loco ad ſepulchrum anguſtum, & vilem locum abrepta, ibi corrumpetur, ac conſumetur. *Eorum*, ad verb. *ei*, hoc eſt, eorum cuilibet, diſtributiuè, vt aliàs ſæpe. Verti poteſt *ſuo* reciprocè. Ezra in hoc verſu per *rectos* intelligi vult quatuor elementa, quæ improbis poſt mortem dominantur, dum in illorum diſſolutione, quod ex igne eſt compoſitum, rectà in

Digitized by Google

ignem redit, quod ex aëre, in aërem, quod A ex aqua, in aquam, oſſa denique, quæ terreſtris ſunt naturæ, in terram. In hoc ſenſu *manè* erit pro citò & maturè, & antequam in honore pernoctauerint. Illud quoque *ab habitaculo eorum*, nihil aliud erit, quàm ab habitaculo, in quo ſinguli habitant, hoc eſt, ab eorum corpore omnis corruptionis principio. Sic puto intelligendum eſſe Ezram ad hunc locum. Verùm nimis eſt argutus & ſubtilis.

16 *Verùm Deus* &c. Illos qui id vnum in vita agunt, vt diuitias congerant, Deus B poſt mortem in inferorum carcerem detrudit, atque æternæ morti, adeóque veluti ſepulchro in perpetuum mācipat: me verò, & quotquot rectam viuendi rationem ſequuntur, ab inferorum poteſtate, vti ſpero, imò ab ipſa morte, ac ſepulchro pro ſua benignitate redimet, qui me ab hac vita, quæ mors potiùs eſt, quàm vita, ad beatam atque immortalem vitam excitabit. *Verùm* vel *Profectò*. *Redimet.* Vis eſt in hoc verbo: eo enim ſignificatur nos in inferorum, atque æternæ mortis poteſtate eſ- C ſe, vt neceſſe ſit Deum nos redimere. *Animam meam.* Accipe, vt ſonat: vel expone *me*. *De manu*, hoc eſt, poteſtate. *Inferi* vel *ſepulchri*. *Quum acceperit me*, hoc eſt, mori me, atque ex hac vita migrare voluerit. Gallicè *quand il m'aura pris.* Similis locutio reperitur Pſal. 73. 24. *& poſtea cum gloria accepiſti me.* Ezech. 24. 16. *Ecce ego tollo* (*accipio*) *à te deſiderium oculorum tuorum*, hoc eſt, vxorem tuam, ſicuti explicant Raſi & Kimhi: quod quid ſignifi- D cet mox declaratur, verſu nimirum 18. his verbis, *Locutus ſum ergo ad populum manè, & mortua eſt vxor mea veſpere.* Ionæ 4. 3. *Nunc ergo Domine tolle,* (*cape,*) *quæſo, animam meam à me: quia melior eſt mihi mors, quàm vita.* Kimhi citat illud Geneſ. 5. 24. *& non apparuit,* (Heb. *& non ipſe,*) *quia tulit* (*cepit*) *eum Deus.* Verùm D. Paulus ad Heb. 11. initio capitis, quo modo hoc ſit accipiendum docet, quum ait, *Henoch tranſlatus eſt ne videret mortem*, &c. necnon Eccleſiaſticus cap. 44. vbi dicit, *Henoch placuit Deo, &* E *trāſlatus eſt in Paradiſū*, &c. Vbi obſerua in Græco deeſſe *in paradiſum.* Ex Hebræis etiam nonnulli locum Geneſ. citatum accipiunt, ſicuti D. Paulus, & Eccleſiaſticus. Et Chaldæus τò *tulit*, interpretatus eſt *non mori fecit.* Sed hæc quæſtio non eſt huius loci.

17 *Ne timueris* &c. Vel ſeipſum hortatur, qui initio dixit, *Inclinabo in parabolam aurem meam*: vel alium quemlibet ſapientem. Ne, inquit, frangaris animo, neque ſpem abiicias, ſi videris impios creſcere opibus, & gloria.

18 *Quum interierit, non ſumet omnia,* hæreditaturus tantùm ſerpentes, & beſtias, & vermes. Eccleſ.10. Dixerat initiò opes neminem à morte vindicaturas: nunc poſt mortem nil profuturas docet. *Non omnia*, id eſt, nil quicquam. Sic Num. 11. 6. *Ac nunc anima noſtra arida eſt, nihil quicquam,* ad verb. *non omne*, qui eſt hebraiſmus. 2. Sam. 12. 3. *Pauperi verò non erat quicquam*, ad verb. *non omne.*

19 *Quia animæ ſuæ in vita ſua benedicit*, ad verb. *benedicet*, hoc eſt, benedicere ſolet, nimirum vir ille diues. Ratio eſt in hoc verſu, cur ille diues, de quo ſermo eſt, nihil ex opibus poſt mortem reportet: quoniam, dum viuit, opibus ad luxum abutitur, nihil animo ſuo denegans, ſed in omnibus blandiens, ac dicens animæ ſuæ, ſicut diues ille apud Lucam cap. 12. *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* *Animæ ſuæ benedicere*, nihil aliud hoc loco eſſe videtur, quàm ſibi blandiri, adeóque genio obſequi, ac indulgere. Par phraſis occurrit Deut. 29. 19. *Quúmque audierit verba maledictionis huius, benedicat ſibi in corde ſuo, dicens, Pax erit mihi,* &c. *Et laudant* (ad verb. *laudabunt*) *te* eiuſmodi homines. Mutatur numerus ſingularis in pluralem per ſyntheſin, vt ſæpe aliàs, quum quod dicitur, non de vno tantùm, ſed de multis eſt intelligendum. Quanquam ſi pro יודוך *iodhucha* legas יודך *iodecha*, (v pro ‿) habebis in ſingulari numero *laudabit te.* *Quū benefeceris tibi*, hoc eſt, quum ipſorum exemplo genio ac voluptatibus indulſeris. Docet hoc quid ſit *animæ benedicere.* *Tibi.* In Græco & Latino *ei* ex לו, pro לך. Raſi priorem quidem partem huius verſus accepit eo ſenſu, quo diximus: poſteriorem verò partem alio: ſic enim habet ad hunc verſum, Impius benedicit animæ ſuæ in vita ſua, ac dicit, Pax ſuper te, ô anima mea, nil quicquam mali tibi accidet: at verò alij non ſic de illo dicunt. *Et laudabunt te, quum benefeceris tibi.* Ac ſi tu attenderis quid omnes dicant, laudabunt te quum benefeceris animæ tuæ, vitam rectè inſtituendo. Sic ille, ad cuius mentem ita breuiter totum verſum interpretor, Impius ſibi placet opum ſuarum fiducia, & genio ac voluptatibus libenter indulget: at alij econtrà te (ſeipſum vel quemuis alium per apoſtrophen alloquitur) laudabunt, quum vitam præclarè inſtitueris.

20 *Introibit vſque in progeniem* &c. Sen-

Digitized by Google

ſus eſt, Aggregabitur ille poſt mortem ad maiores ſuos, quorum ſtultitiam imitatus eſt in vita. *Introibit* ſup. anima illa: verbum enim in Fonte eſt fœm. gen. *(Qui) vſque in æternum non videbunt lumen*, ſed in inferorum tenebris æternùm erunt. Non videbunt vnquam lumen illud, quo beati in cœlo fruuntur. Hoc, inquit Ezra, præmium eſt, & deliciæ animæ, vt à luce Domini ſui lucem accipiat, qui ipſam dedit, ipsámque abſtulit. Obſeruat idem Ezra filium Gorionis lumen venturi ſeculi lumen magnum vocare. Cur porrò beatorum præmium lumen appelletur, vide ad verſ. 10. pſ. 36.

21 *Homo (qui) in honore*, &c. Epiphonema eſt, quo concluditur, hominem vtcunque opibus & honoribus auctum, ſi vera ſapientia careat, perinde atque beſtias interire, atque extincto corpore omnibus bonis in perpetuum ſpoliari. *(Qui) in honore, & non intelligit*, hoc eſt, cui à Deo ampla fortuna contigit, eâque ipſe ad luxum & delicias abutitur, non recogitans quem ad vſum eſſe debeant fortunæ bona. *Per honorem* igitur intelligit hoc loco, vt & ſuprà, verſu 13. externum illum ſplendorem atque honorem, qui opum comes eſſe ſolet. Non valde placent illi, in quibus Kimhi, qui per honorem intelligi volunt animam rationalem, quæ interdum gloria vocatur, vt alio loco obſeruatum eſt: ſic enim ſenſus non tam aptè cum præcedentibus cohærebit, nec tam bene cum argumento congruet.

PSALMVS

XLIX. L.

VERSIO

VETVS.

PSalmus Aſaph. Deus deorum Dominus locutus eſt: & vocauit terram,

2 *A ſolis ortu vſque ad occaſum: ex Sion ſpecies decoris eius.*

3 *Deus manifeſtè veniet: Deus noſter & non ſilebit.*

4 *Ignis in conſpectu eius exardeſcet: & in circuitu eius tempeſtas valida.*

5 *Aduocabit cælum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum.*

6 *Congregate illi ſanctos eius: qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.*

7 *Et annuntiabunt cæli iuſtitiam eius: quoniam Deus iudex eſt.*

NOVA.

PSALMVS Aſaph. Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram, à ſolis ortu vſque ad occaſum eius.

2 Ex Sion perfectione decoris Deus ſplenduit.

3 Veniet Deus noſter, & non ſilebit: ignis [a] in conſpectu eius vorabit, & in circuitu eius tempeſtas valida.

[a] coram

4 Aduocabit cœlum deſurſum, & terram, ad iudicandum populum ſuum.

5 Congregate, (inquiet,) mihi [b] ſanctos meos, percutientes fœdus meum ſuper ſacrificio.

[b] pios

6 (Annuntiabunt autem cœli iuſtitiam eius: quoniam Deus iudex eſt.)

Digitized by Google

7 Audi populе mi, & loquar ; Iſ-
raël, & conteſtabor : Deus, Deus
tuus ego (ſum.)
8 Non in ſacrificiis tuis arguam te:
nam holocauſta tua in conſpectu
meo (ſunt) ſemper.
9 Non accipiam de domo tua iu-
uencum, (neque) de [c] ſeptis tuis
hircos.
10 Quoniam [d] meæ (ſunt) omnes
feræ ſyluarum, iumenta in monti-
bus mille.
11 Cognoui omnia [e] volatilia
montium : & fera agri mecum
(eſt.)
12 Si eſuriero, non dicam tibi:
meus (eſt) enim orbis (terræ,) &
plenitudo eius.
13 Nunquid manducabo [f] carnes
taurorum, & ſanguinem hircorum
potabo ?
14 Immola Deo [g] laudem, & red-
de Altiſſimo vota tua.
15 Et inuoca me in die tribulatio-
nis : eruam te, & honorificabis
me.
16 Peccatori autem dixit Deus,
[h] Quare tu enarras ſtatuta mea, &
aſſumis [i] teſtamentum meum [l] per
os tuum ?
17 Tu verò odiſti diſciplinam, &
proiecisti ſermones meos [m] retror-
ſum.
18 Si vidiſti furem, cucurriſti cum
eo: & cum adulteris portio tua.
19 Os tuum mittis in malum : &
lingua tua concinnat [n] dolos.
20 [o] Sedens aduersùs fratrem tuum
loqueris : aduersùs filium matris tuæ
[p] ponis probrum.
21 Hæc feciſti, & tacui ; exiſti-
maſti quòd ero tui ſimilis : arguam
te, & ſtatuam [q] contra faciem
tuam.
22 Intelligite nunc [r] hæc, qui obli-
uiſcimini Deum : ne fortè rapiam, &
non ſit qui eripiat.

c *caulis*
d heb. *mi-
hi omnis
fera ſylua,*
e heb. *om-
ne volati-
le*
f heb. *carnem*
g vel *con-
feſſionem*,
h heb. *Quid tibi
vt enarres*
i heb. *pa-
ctum*
l heb. *ſuper*
m heb. *poſt te.*
n heb. *do-
lum.*
o heb. *Se-
des*, ad
verb. *Sede-
bis*, & a-
lia ſimili-
ter.
p *das*
q heb. *in
oculis tuis.*
r heb. *hæc*,

8 *Audi populus meus, & loquar;
Iſraël, & teſtificabor tibi: Deus Deus
tuus ego ſum.*
9 *Non in ſacrificiis tuis arguam te:
holocauſta autem tua in conſpectu meo
ſunt ſemper.*
10 *Non accipiam de domo tua vitu-
los, neque de gregibus tuis hircos.*
11 *Quoniam meæ ſunt omnes feræ
ſyluarum, iumenta in montibus & bo-
ues.*
12 *Cognoui omnia volatilia cæli: &
pulchritudo agri mecum eſt.*
13 *Si eſuriero, non dicam tibi: meus
eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius.*
14 *Numquid manducabo carnes tau-
rorum? aut ſanguinem hircorum pota-
bo?*
15 *Immola Deo ſacrificium laudis:
& redde Altiſſimo vota tua.*
16 *Et inuoca me in die tribulationis:
eruam te, & honorificabis me.*
17 *Peccatori autem dixit Deus: Qua-
re tu enarras iuſtitias meas, & aſſu-
mis teſtamentum meum per os tuum?*
18 *Tu verò odiſti diſciplinam: & pro-
iecisti ſermones meos retrorſum.*
19 *Si videbas furem, currebas cum
eo: & cum adulteris portionem tuam
ponebas.*
20 *Os tuum abundauit malitia: &
lingua tua concinnabat dolos.*
21 *Sedens aduerſus fratrem tuum
loquebaris, & aduerſus filium matris
tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti,
& tacui.*
22 *Exiſtimaſti inique quòd ero tui
ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra
faciem tuam.*
23 *Intelligite hæc qui obliuiſcimini
Deum: nequando rapiat, & non ſit
qui eripiat.*

24 *Sacrificium*

Digitized by Google

ſ vel *confeſſionem* t iuxta aliã lectionem, & *illic iter (quo) oſtẽdam* &c.

23 Sacrificans ſ laudem honorificabit me, t & ponens (ſuper cor) viam: oſtendam illi ſalutare Dei.

24 *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quò oſtendam illi ſalutare Dei.*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum.

PSalmus hic duas habet partes. In prima Deus ipſe non tam impium quàm ſuperſtitioſum ac ſtolidum hominum genus damnat, qui ſeſe egregiè functos officio ſuo putabant, ſi externa ſacrificia, aliòſque Legales ritus diligenter obiiſſent, laborantes parum de interna & vera pietate, ad quam alendam & excitandam ſacrificia, aliæque legales cæremoniæ fuerant inſtitutæ. In altera parte, in Scribas, Legiſque peritos acerbè inuehitur; qui, cùm præcepta Dei ſemper in ore haberent, aliiſque quotidie exponerent, ea minimè obſeruabant. Accipe totius pſalmi ſeriem. Primo loco Autor Pſalmi ponit Deum, quaſi ſupremum aliquem iudicem, ſolemni, ac publico edicto omnes terræ incolas ex Sione regia ſua, & ſede totius orbis pulcherrima ad ſuum tribunal citaſſe. Hoc poſtquam dixit, Ergo, inquit, veniet mox Deus noſter minimè mutus futurus, præeuntibus, quaſi ſatellitibus, voracibus flammis obuios quoſque rebelles conſumpturis, & tempeſtatibus vndique circunſonantibus. Cœlos ipſos & terram iudicij aduerſùs ſuos inſtituti teſtes ſpectatoréſque adeſſe iubebit. Quæ vbi comparuerint, partes ipſas, Iſraëlitas ſcilicet, citabit: ad quos, Deus, inquiet, veſter ſum qui loquor, & de ſacrificijs ſic ſtatuo, Nihil morari me veſtra ſacrificia, quæ plus ſatis quotidie intueor. Num eum me eſſe arbitramini, cui petendi ſint è caulis veſtris & ſeptis iuuenci aut hirci, ſi fortè opus habeam? Quaſi verò neceſſe mihi ſit quicquam à vobis mutuari, cuius ſunt omnes beſtiæ, volucres, & quicquid ferarum in agris degit? Non, ſi eſurire poſſem, à vobis panem efflagitarem: meus namque eſt orbis, mea quæcumque eius ambitu continentur. Nunquid neceſſe habeo veſci taurorum carnibus, aut bibere hircorum cruorem, vt idcirco hoſtias à vobis videar expetere? Vultis ergo ſcire, quæ ſacrificia poſtulem? Immolate Deo laudem: ſacrificate Deo ſeriâ peccatorum confeſſione, vota interim religioſè exoluentes. Quod ſi facitis, audacter tunc ac ſecurè in rebus aduerſis meam opem implorate nunquam vobis defuturam. Mox ad Scribas, aliòſque Legis peritos conuerſus ſic loquitur. Vóſne Leges meas ac ſcita exponere, atque enarrare? Vóſne fœdus meum ore iſto ſacrilego audere recenſere, qui omnes obiurgationes meas aſpernamini, qui minas meas ac verba vobiſcum ridetis? Annon enim ſi quem furtis addictum conſpicamini, illico eius ambitis ſocietatem: adulterorum commercia vltro quæritatis: os veſtrum ad probrum, linguam ad dolos inſtruitis: in fratres, vterinos etiam, maledicta conijcitis. Hæc tot ac tanta ſcelera cùm admiſeritis, diſſimulaui: at vos lenitatem meam perperam interpretati me veſtri ſimilem eſſe, veſtrorumque ſcelerum approbatorem, aut illa me latere putauiſtis. Nunc igitur de ijs vobiſcum expoſtulo. Quamobrem hæc ſedulò conſiderate, quotquot eſtis mei immemores, ne ſi vos ſemel abripuero, nemo ſit qui eripiat. Audite denique quale ſacrificium à vobis petam: Qui laudem ac confeſſionem mihi offert, vitámque rectè inſtituit, is demum mihi gratum ſacrificium offert: eáque certiſſima eſt ad æternam fœlicitatem via.

1 *Pſalmus Aſaph.* Etſi parum refert, an Aſaph auctor fuerit huius pſalmi, an verò à Dauide traditus ei ſit; vt decantaretur, nihilominus mihi veriſimile fit ipſi Aſaph tribuendum eſſe hunc pſalmum. Quod vt credam, facit id quod legimus 2. Paral. 29.30. *Præcepitque Ezechias Rex, & Principes Leuitis, vt laudarent Dominum verbis Dauid, & Aſaph Videntis*, hoc eſt, Pſalmis à Dauide, & Aſaph Propheta editis. Vide. Habes ex eo loco Aſaph non modò Pſalmorum autorem fuiſſe, ſed etiam Prophetam. Chaldæus probat noſtram coniecturam, qui interpretatus eſt *per manus Aſaph.*

Deus deorum &c. Deũ ait ex omnibus ac remotiſſimis orbis terrarum partibus mor- A tales omnes conuocaturum, quò ſolemni, quod de ſacrificiis præſertim inſtituit, iudicio ſpectatores, imò teſtes interſint.

Deus potens facere iudicium: vox enim hebraïca אֵל *el*, Deum vt fortem, ac potentem ſignificat. Eódem pertinet ſequens nomen *Deus*, (ita enim verti poteſt) pro quo Hebraicè eſt אֱלֹהִים *Elohim*, quod B Deum vt iudicem ſignificat. יְהֹוָה, Deum ſignificat, quatenus habitat æternitatem *Eſa.57.15.* nulli obnoxius mutationi. Hęc ex Ezra. Ad mentem Kimhi vertendum *Deus deorum*: quod ipſe interpretatur, Iudex iudicum, & potens ſuper omnes potentes. Certè nomen *Elohim* & Deum & Iudices in ſacris litteris ſignificat. Chaldæus interpretatus

Digitized by Google

eſt, *potens Deus Dominus.* *Locutus eſt,*
& vocauit terram, &c. hoc eſt, omnes or-
bis incolas adeſſe iuſſit : vel, quod eódem
recidit, Angelis miniſtris ſuis edixit, vt
omnes terræ incolas conuocarent. Deus
de ſacrificiis pronuntiaturus mortales om-
nes adeſſe vult teſtes, & ſpectatores iudicij.

A ſolis ortu &c. Habitabilem terram
vult ſignificare : ſiquidem terra ab Orien-
te in Occidentem tota ferme eſt habitabi-
lis, ſicut ad hunc locum obſeruat Ez-
ra.

2 *Ex Sion* regia ſua. *Ex Sion*, quæ in me-
dio terræ habitabilis eſt, inquit Ezra, tam
ratione longitudinis, quàm latitudinis.
Perfectione decoris, hoc eſt, perfectiſſimæ
pulchritudinis. *Splenduit*, hoc eſt, vi-
ſus eſt non ſine maieſtate, & maximo ſplen-
dore.

3 *Veniet Deus noſter*, &c. Senſus, Mox
ergo prodibit ad iudicium, *& non ſilebit*,
ſed acriter ac ſeuerè ſuperſtitioſos primùm,
improbos deinde Iſraëlitas redarguet:
ignis in conſpectu eius vorabit aduerſantes
quoſque, &c. Deum verã numinis colendi
rationem præſcripturum, Legémque quæ
perperam à quibuſdam accipiebatur, inter-
pretaturum depingit hîc Propheta igneis
flammis, horrendáque tempeſtate, quaſi
ſatellitibus, ſtipatum & circundatum, ſi-
cuti fuit, quum primò Legem in monte
Sinai tulit, eiúſque Legis tabulas Moſi de-
dit, vt legere eſt Exodi 19.

4 *Aduocabit cœlum* &c. Explicat quod in
primo verſu breuiùs dixerat, & ad quem
finem cœlum, & terram conuocaturus ſit
Deus apertè declarat, nempe vt ſolenne in
Iſraëlitas iudicium edat. *Cœlum*, hoc eſt,
Angelos, iuxta Chaldæum, Ezrã, Kimhi, &
alios. *Et terram*, hoc eſt, terræ incolas, ſeu
homines, iuxta Ezrã, & Kimhi. Aduocabit
Angelos & homines, vt corã iis in ſuos cùm
praua ſuperſtitione imbutos, tum malè
moratos publicum iudicium ferat, quò per-
tinet quod mox ſequitur, *ad iudicandum
populum ſuum.* Ad maiorem iudicij cele-
britatem Deum dicit Angelos, & morta-
les ſimul conuocaturum. Vſitatum eſt in
ſacris litteris, cùm de magna aliqua re, &
graui agitur, cælum & terram teſtes adhi-
beri. Moſes Deuter. 32. graue atque inſi-
gne carmen ſic exorditur, *Audite cæli, & lo-
quar, & audiat terra verba oris mei.* Eſaias
ſuam prophetiam ſic incipit, *Audite cæli, &
auribus percipe terra :* quod Chaldæus ſic
[illegible], *Audite cæli, qui commoti ſunt,
quum dedi Legem populo meo, & auribus
percipe terra, quæ contremuit à verbo meo.*
Ex qua paraphraſi ſic allegoricè præ-
ſentem locum interpretor, vt dicatur

A Deus Legem interpretaturus cælos ipſos
ac terram citare, eóſque teſtes ac ſpectato-
res adhibere, qui inuſitatis atque inſolitis
motibus, tum quum primùm Lex data eſt,
ſuam erga illam reuerentiam teſtati ſunt.
Addo & hoc, Deus pro tribunali errores
correcturus, ac ſuperſtitiones, quæ in Le-
gem irrepſerant, teſtes ſuæ ſententiæ adeſ-
ſe iubet cælos & terram, quos Moſes ad-
uersùm deficientes à Lege olim appellaue-
rat his verbis, *Teſtes inuoco contra vos hodie
cælum & terram, citò perituros vos eſſe* &c.

B 5 *Congregate*, (ſup. *inquiet*,) &c. Conuo-
caris cælitibus ac mortalibus, Deus appa-
ritoribus iubet vt Iſraëlitas iudicio ſiſtant.
Sanctos (ſeu *pios*) *meos*, hoc eſt, Iſraëlitas,
qui populus ſanctus ſunt Domino Deo
ſuo, vt legere eſt Deut. 14. 2. Etſi enim non
omnes Iſraëlitæ erant ſancti, (nam maxi-
ma multitudo erat impia) nihilominus à
meliori parte totum Iſraëlitarum corpus
ſanctum ſeu pium denominatur, ſicut Ec-
cleſia dicitur ſancta à potiori parte. Vide
plura de hac re ad verſ. 1. Pſal. 111. Sunt qui
C vocem חָסִיד *chaſidh*, hîc, & aliàs quando
ad Deum refertur, non *pium*, ſeu, *probum*,
ſed *eum, cui Deus bene vult, & benefacit*,
ſignificare arbitrentur. Itaque illorum opi-
nione vertendum & exponendum eſſet
pios (ſeu *benignos*) *meos*, paſſiuè, quaſi di-
ceret, Siſtite mihi illos, quos præ cæteris
populis ſingulari benignitate ac fauore dig-
natus ſum. Intelliget Iſraëlitas, quos ele-
gerat, vt eſſent ſibi in populum peculiarem
de cunctis Gentibus, quæ ſunt ſuper ter-
D ram, vt eſt Deut. 14. 2. Prior explicatio
magis arridet. *Percutientes fœdus* &c.
vel verbo propiùs *percuſſores fœderis
mei* &c. Periphraſis Iſraëlitarum apta huic
loco, vbi peruerſa quorundam ex illis circa
ſacrificia opinio diſceptanda ac diiudican-
da eſt. *Percutientes fœdus meum* (*pro me-
cum*) *ſuper ſacrificio*, hoc eſt, iuxta Raſi,
qui Legem receperunt adhibito fœdere &
ſacrificio, iuxta illud Exodi 24. 7. *Aſſu-
ménſque volumen fœderis, legit audiente po-
pulo :* &c. verſu ſequente, *Ille verò ſum-
E ptum ſanguinem* (vitulorum ſcilicet, quos
iuniores Iſraëlitarum immolauerant) *re-
ſperſit in populum, & ait, Hic eſt ſanguis
fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſu-
per cunctis ſermonibus his.* Eodem modo
accipit Kimhi. Meliùs & ad argumentum
magis appoſitè Ezra, qui *pios meos*, &c.
Iſraëlitas interpretatur, qui percuſſerunt
cum Deo fœdus *ſuper ſacrificio*, hoc eſt, de
rebus ad ſacrificia pertinentibus. *Per-
cutientes* (ad verb. *ſcindentes*) *fœdus* &c.
Nota phraſis, cuius origo inde tracta eſt,
quòd, vt videre eſt Gen. 15. 10. & Ierem.

Digitized by Google

34.18. & 19. in fœderibus iungendis, quò illis maior accederet religio & fides, fiebant mactationes victimarum, & diſſectiones pecorum: quâ cæremonia innuebant, qui fœdera inibant, imprecari ſibi, vt qui prior violaſſet *fœdus*, ſic feriretur, vt animal fœderi adhibitum feriebatur: tantóque magis feriretur, quantò magis poſſet, polleréque Deus quem teſtem appellabant. Qui mos etiam obtinuit apud Ethnicos, (ſcilicet à Iudæis ad hos fuit tranſlatus) vt fœdus & pacem cum hoſtibus facturi porcum vel porcam ſaxo ſilice ferirent: ſicuti conſtat ex Liuij lib. 1. & illo Maronis verſu, *Stabant, & cæsâ iungebant fœdera porcâ.*

6 *Annuntiabunt autem* &c. Hoc mihi videtur per parentheſin dictum, quaſi poſtquam auctor pſalmi Deum ipſum quaſi iudicem Iſraëlitas citantem induxerit, nunc hoc obiter, & per parentheſin dicat, Cœlos ipſos teſtes fore æquitatis ac iuſtitiæ, quam Deus in ferenda ſentẽtia adhibebit. *Annuntiabunt autem.* In Fonte *Et annuntiauerunt*, quod Kimhi vult eſſe pro futuro. Chaldæus etiam, Syrus, Græc. & Lat. per futurum expreſſerunt. *Cæli*, hoc eſt, Angeli, iuxta Chaldæum & Ezram. Nominat cœlos potiùs quàm terram, propterea quòd cæli, inquit Kimhi, eorúque exercitus æternùm duraturi ſint, non item terræ exercitus: ſiquidem generatio præterit, & generatio aduenit: ita vt qui nouit quæ ſuo fiunt tempore, ea, quæ præterito tempore facta ſunt, ignoret. *Quoniam Deus* &c. Optima ratio æquitatis iudicij: Deus enim iniquus eſſe non poteſt.

Eccl.1.4.

7 *Audi popule mi*, &c. Quædam hîc ſunt ſupplenda: ex. gr. hæc, Atque vbi comparuerint Iſraëlitæ, tum ſic Deus ad illos, *Audi popule mi*, &c. *Deus, Deus tuus.* Vis eſt in hac repetitione, quaſi dicat, Qui Deus ſum omnis creaturæ, tibi peculiariter Deus ſum. Hic verſus præfatiuncula eſt ad ſequentia, quibus ſuperſtitio, de qua dictum eſt in Argumento, non ſine graui malè ſentientium obiurgatione definitur: ſicuti illa verba, *Ego (ſum) Dominus Deus tuus*, &c. Exodi 20. 2. præfatio ſunt ad Decalogi præcepta.

8 *Non in (ſuper) ſacrificijs tuis arguam te:* &c. Senſus iuxta Raſi, Si tu mihi non offers ſacrificia, neque coram me holocauſta tua ſemper, nihil iſtud moror, aut curo. Iuxta hanc expoſitionem ſic vertendum eſſet, *Non in ſacrificijs tuis arguam te, & (quòd non) holocauſta tua in conſpectu meo (ſunt) ſemper.* Non eſt nouum negandi particulam ex priore membro ad poſterius acceſſi. Ezra ſic ferè hunc verſum interpretatur, Nunc non arguam te ſuper ſacrificiis tuis, ſi ea mihi non obtuleris: ſacrificia quippe tua, ſacrificia ſunt expiationis, & pro peccato: *holocauſta autem tua (eſſe deberent) in conſpectu meo ſemper.* Hoc ſenſu accepit Kimhi, Non reprehendam te de omiſſis ſacrificiis. Namque ea non ſunt adeo magni momenti apud me, nec in præceptis Decalogicis habentur: ſed arguam te peccatorũ in fide & operibus: *melior eſt enim obedientia quàm victimæ.* Sic ille, ad cuius mentem poſterius membrum vertendum eſſet, ſicuti in expoſitione Raſi. Verùm poſterius membrum ſic potiùs vertendum puto, *&* (pro *nam*, vt aliàs,) *holocauſta tua in conſpectu meo (ſunt) ſemper*, hoc ſenſu, Nihil moror tua ſacrificia: iam enim illa habeo, ac mihi ſunt in promptu. Hunc ſenſum probant ſequentes verſus. Hæc tamen ſententia ex iſtis verbis effici poteſt, nimis enim illa quotidie intueor, & mihi perpetuò ob oculos verſantur vſque ad faſtidium, & nauſeam: quo ſenſu Eſaiæ 1. 11. ſcribitur, *Quò mihi multitudo victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus* (heb. *ſatur*) *ſum* &c. Verſ. 14. *Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odio habuit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinendo.* Mal. 1. 10. *Quis etiam in vobis qui claudat oſtia, vt non incendatis altare meum fruſtra?* Quidni eodem ſenſu vertas? *& (in* vel *ſuper) holocauſtis tuis, (quæ) in conſpectu* &c. Non negandum interim Deum ſacrificiis veteris Legis delectatum, ſed magis ſyncera fide, & bonis operibus, imò ſacrificia abſque fide & operibus odio habuiſſe: quo ſenſu Dominus apud Eſaiam cap. cit verb. 13. ait, *Ne offeratis vltrà ſacrificium mendax; incenſum abominatio eſt mihi. Sacrificium mendax*, hoc eſt, ſacrificium abſque fide & operibus, rectáque mente. Idem confirmant mox citati loci.

1 Sam. 15. 22.

9 *Non accipiam* &c. Senſus, Non tua ſunt iſta, ſed mea: neque ſi eiuſmodi rebus opus haberem, à te acciperem, aut è tuis armentis, & caulis peterem: omnia enim mea ſunt, quod tres ſequentes verſus ſignificant. *Iuuencum. Hircos.* Hæ ſunt maiorũ animalium, adeóque hoſtiarum ſpecies.

Septis ſeu *caulis*. Raſi vernaculè interpretatur *parc*. Græcus & Lat. ad ſenſum verterunt *de gregibus*. Sic etiam Chaldæus & Syrus.

10 *Quoniam meæ ſunt* &c. Senſus, Quid opus mihi erit quicquam à te mutuari, cùm beſtiæ etiam in ſyluis, ac montibus paſſim errantes, quæ tuæ poteſtati haud ſubiacent, meæ ſint. *Iumenta in montibus mille*, hoc eſt, per mille montes vbique errãtia ac paſcentia. Numerus certus pro incerto. Sunt

qui exponant, *in montibus mille* ſup. milliarium, hoc eſt, vaſtis & immanibus: vel *mille* ſup. iuuencorum. R. Moſes exiſtimat hîc אלף *aleph*, *bouem* ſeu *boues* ſignificare, vt *in montibus boum* idem ſit quod in montibus plenis boum. Syrus, Græcus, Latinus hãc ſignificationem ſecuti ſunt: & quidem Syrus prorſus vt Græcus & Lat. habet, ſic nimirum, *& bellua quæ eſt in montibus, & boues*: quæ interpretatio ex Hebræo haud incommodè effici poteſt.

11 *Cognoui omnia volatilia montium*, hoc eſt, Mihi, non item tibi, omnes montium volucres exploratę ſunt, ideóque facilè vti illis poſſum, quoties voluero. Tam, imò magis in promptu habeo vniuerſas, quæ in montibus degunt, volucres, quàm tu, quæ in tuis ſunt armentis. *Montium*. In Syro, Græco, & Lat. *cæli*, hoc eſt, aëris pro Hebraïcæ linguæ conſuetudine. Chald. interpretatus eſt, *Manifeſtæ ſunt coram me omnes ſpecies auium, quæ volant in aëre cæli*. *Et fera agri mecũ eſt*, hoc eſt, quicquid ferarum in agris degit, meum eſt, ac veluti apud me. *Fera*. זיז *ziz*, putat Kimhi vniuerſale nomen eſſe ad beſtias agreſtes, Raſi ſignificare reptile. Græcus & Latinus verterunt non ſatis ad rem, *pulchritudo*: quam ſignificationem obtinet prædictum verbum ex Hebræorum ſententia Eſa. 66. 11. niſi malis pro זיז *ziz*, legiſſe זיו *ziu*, quæ vox apud Targum ſignificat *ſplendorem*.

12 *Si eſuriero*, &c. Senſus, Si quemadmodum homo mortalis eſurirem, ſcilicet neceſſe eſſet vt à te peterem panem ego vniuerſi terrarum orbis Dominus. *Non dicam tibi*, vt mihi des panem. Placet quod habet hîc R. Moſes, Si quemadmodum homo opus haberem aliqua re, non peterem vt daret mihi de ſuo, quod valde eſt exiguum, cùm in manu mea ſint omnia. Quantò minùs, cùm nulla re egeam?

13 *Nunquid manducabo* &c. Senſus, Num, putas, idcirco volui mihi offerri ſacrificia, quòd cibo & potu indigerem? Num neceſſe habeo, aut habebo vnquam veſci taurorum carnibus, aut ſanguinem hircorum bibere? Sacrificia vobis proſunt, non mihi: nam partim ſacerdotibus, partim offerentibus vſui & emolumento ſunt: holocauſtum autem, quod totum aræ imponitur, omnino abſumitur igne, éxque eo nihil ad me redit.

14 *Immola Deo laudem*, ſeu, *gratiarum actionem*, aut *confeſſionem*. Senſus, Vi'n dicam ergo quæ ſacrificia à te poſtulem, Lauda Deum, eíque gratias age de beneficiis acceptis. Porrò vera laus & gratiarũ actio ore & corde perfici debet, fruſtráque eſt Deum verbis laudare, quod impij faciunt,

A niſi vitâ laudetur. Apage iſtos, qui Deum ore adeunt, labiíſque honorant, ſed animo & corde ab ipſo procul diſcedunt, Eſ. 29. 13. duntaxat eum colentes ac verentes ex humanæ doctrinæ diſciplina, & importuna ineptáque ſuperſtitione. Sic ex Raſi & Kimhi hoc expone, Confitere de operibus tuis malis, & conuertere ad me, neque vltrà redi ad ſcelera: hoc enim eſt ſacrificium, quo delector. Huius loci eſt illud Oſ. 14. 2. & ſeq. *Conuertere Iſraël ad Dominum Deum tuum: quoniam corruiſti in iniquitate tua.* B *Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum: dicite ei, Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum* cor, aut melius quod dare poſſumus, nimirum peccatorum confeſſionem, *& reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, hoc eſt, ex Kimhi, pro vitulis reddemus tibi confeſſionem labiorum: quia tu magis delectaris verbis pœnitentiæ: non enim oblationes proſunt abſque confeſſione peccatorum; & de omnibus oblationibus dictum accipi debet illud Leuit. 5. 5. *& confeſſus fuerit id ſuper quo peccauit*: ac de hirco emiſſario vbi agitur, ſolùm mẽtio fit C confeſſionis ore & verbis: nihil enim illius hirci ſuper altare offerebatur: tantùm applicatis eius capiti ambabus manibus cõfitebatur Sacerdos omnes iniquitates ac culpas filiorum Iſraël, &c. Leuit. 16. 21. Sic ferè Kimhi ad iſtud Oſeæ. Ac de hoc in tranſcurſu tantùm. Redeo igitur. Chaldęus interpretatus eſt primam huius verſus partẽ, *Subige concupiſcentiam malam, & reputabitur corã Domino inſtar ſacrificij eucharistici. Et redde Altiſsimo vota tua.* Ego nõ tibi pręcipio, vt voueas: ſed ſi voueris ſacri- D ficiũ, redde ipſũ Altiſſimo, qui ſupra te eſt, & quẽ non poteris ſubterfugere, ſi ei mentiaris. Neque verò hoc tibi dico, quòd ſacrificiis egeam, ſed vt intelligas ſeruanda tibi eſſe promiſſa, homini etiam, ac multò magis mihi. Sic Kimhi, cum quo ſic ſentio, ſacrificia quidem per ſe ſola ad pietatem, ac religionem nihil, aut parum pertinuiſſe, niſi quis fortè voto teneretur: tunc enim pietatis fuiſſe id Deo præſtare, quod promiſſum fuiſſet. Quid ſi poſtremum membrum ſic explices? ac poſtquam E te peccatorum pœnituerit, ſolue vota, quæ Deo nuncuparis: tunc enim grata futura ſunt. Sic ex Raſi.

15 *Et inuoca me*, &c. Senſus, Si ita ſacrificaueris, & Deo vota perſolueris, ſcito me tibi opem imploranti in rebus aduerſis nunquam defuturum. *Et honorificabis me*. Senſus, ac tuum tunc erit me celebrare, quum meam opem expertus fueris. Raſi poſtrema hæc verba ſic accipit, vt dicat Deus, *& honorificabis me*, hoc eſt, & hoc

mihi honori erit ac gloriæ: gloriæ enim duco opem ijs ferre, qui ad me confugiunt. Chald. interpretatus eſt, *eruam te, quoniam honorabis me.*

16 *Peccatori autem dixit Deus,* &c. *Peccatori.* Vox hæc oſtendit aliud iam hominum genus redargui. *Dixit* pro *dicet,* more prophetico, maioris certitudinis ergò. Nam quòd futuri temporis verbum hîc eſſe debuerit, clarum eſt ex præcedentibus, quæ iudicium nondum factum, ſed fututurum ſignificant. Hæc ergo altera pars Pſalmi, in qua Deus, damnata quorundam hominum ſuperſtitione, de qua dictum in Arg. in alterum genus hominum inuehitur, Scribas videlicet, ac Doctores, alióſque legis peritos, qui Deum eiúſque legem perpetuò in ore habent, at nihil minùs in animo: docent, ſed non faciunt, cùm exemplo Chriſti oporteat facere & docere: *profitentur* (vt eſt ad Tit. 1.) *ſe noſſe Deum, factis autem negant: cùm ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Quorum *vox quidem, vox Iacob, manus autem, manus Eſau,* quod in prouerbij conſuetudinem abiit apud Hebræos, de eo, cuius facta verbis non reſpondent. Præterire non poſſum quod habet hoc loco Kimhi: Qui operam dat Legi, nec ſecundùm Legem ſe gerit, is profectò peccat, & cauſa eſt aliis peccandi. Nam quotquot ipſum vident ſtudere Legi, neque tamen Legem ſequi; eius exemplo viuunt, ſic dicentes apud ſe, Annon qui iſta facit, Legis eſt ſtudioſus? Quòd ſi hæc, quæ facit, mala eſſent coram Deo, nunquam feciſſet: eſt enim vir ſapiens, & Legis peritus. Ergo & iſte peccat, & ſuo exemplo imponit plebeculæ Legis ignaræ. Quamquam autem ſunt, qui ſciant mala eſſe illius opera, & contra Legem, nihilominus propter ipſum Legem auerſantur, & videtis, inquiunt, talem qui Legis peritus eſt, quàm turpiter viuat. Præterea mali cauſſa eſt, maledicítque patri ſuo, ac præceptoribus: vulgò enim dicitur, Maledictus qui hunc genuit: maledictus qui hunc docuit, atque educauit. Sic ferè ille. *Statuta mea,* in Vulg. *iuſtitias meas,* hoc eſt, iuſta mea decreta ac leges. *Aſſumis teſtamentum,* heb. *pactum* &c. hoc eſt, audes fœderis mei mentionem facere? Chald. *aſſumis* interpretatus eſt *recordaris.*

Gen. 27. 22.

Pactum, hoc eſt, Decalogum. Vide ad verſ. 14. pſal. 25.

17 *Odiſti diſciplinam,* ſeu *correctionem* meã, hoc eſt, Securè peccas, libenter auertens animum, tanquam à re moleſta & odioſa, à meis reprehenſionibus, & pœnis, quæ à me in Legis tranſgreſſores conſtitutæ ſunt: quod ſignificat etiam ſequens

A membrum *& proieciſti* &c. Per *diſciplinam* hoc loco Kimhi intelligit præcepta, quæ ad mutua inter homines officia pertinent.

18 *Si vidiſti furem,* &c. Vide. Occultas, & quæ ſecretiores eſſe ſolent, actiones hoc & ſequentibus verſibus taxat, non publicas, & quæ in hominum oculis fiunt, quas paulò qui ſunt prudentiores, rectæ rationi conformes eſſe ſtudent. *Si vidiſti furem,* &c. hoc eſt, Si quem furtis addictum videas, ſtatim in eius ſocietatem præceps ruis, quò faciliùs, amborum communicatis conſiliis, diteſcas. *Cucurriſti cum eo.* Alij vertunt *voluiſti* (*ire* ſup. vel *ſociari,* vel *eſſe*) *cũ eo:* ac ſic Raſi, Kimhi, & Ezra, qui tamen priorem interpretationem præfert, & probat adducto loco ex Ezech. 1. 14. vbi verbum רצוא *ratſo, currere* ſignificat. Chaldæus cum illo facit, qui interpretatus eſt, *Si vidiſti furem, cucurriſti poſt eum.* D. Hieron. vertit *conſentiebas ei.* *Et cum adulteris* &c. hoc eſt, ijs ſocius adhæres. Græcus & Latinus ſuppleuerunt verbum *ponendi.* Sic etiam Chaldæus.

B

19 *Os tuum mittis in malum,* hoc eſt, Os tuum adhibes maledicentiæ: ſtudes maledicentiæ. Verbo *mittendi* putat Ezra ſignificari maledicentiam, aut probrum in abſentes, ſeu, vt ipſe loquitur, in eos qui non ſunt propinqui, quos interpretor abſentes.

C

Et lingua tua concinnat ſeu *nectit dolos,* hoc eſt, arte paras ac componis fraudulenta verba.

20 *Sedens,* heb. *Sedes* cum aliis in compitis, vel, conciliabulis. Reſpicit ſcilicet ad garrulorum & obtrectatorum morem, qui ſedendo otia, imò & bonas horas in maledicentia conſumunt. *Aduersùs fratrem tuum* eodem patre ortum *loqueris,* addit Chaldæus *mendacium.* Ego *loqui aduersùs aliquem* ſimpliciter accipio pro maledicere, obtrectare. *Aduersùs filium matris tuæ* &c. etiamſi nulla inter vos ſit contentio de hæreditate, quippe diuerſâ. Sic ad hoc Raſi & Kimhi. Solet profectò controuerſia de hæreditate inter fratres magnas turbas & diſſenſiones interdum concitare: atque hæc ſola, aut præcipua inter fratres diſcordiæ origo: inter fratres autem vterinos nulla talis in veteri Lege ex laudatis Rabbinis odij aut rixæ cauſſa: quò magis mirum erat, ſi infeſtis animis inter ſe diſſiderent, ſéque mutuis conuitiis lacerarent. Ideo hîc amplificandi gratia additur, *aduersùs filium matris tuæ* &c. Accipio ſimpliciùs *aduersùs filium matris tuæ* &c. quaſi dicat, vel fratri vterino non parcis, quem aliòqui propenſiore beneuolentia & amore deberes complecti: ſolent enim vterini fratres magis inter ſe amare. Hinc eſt quòd

D

E

Deut. 13. 6. dicatur, *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ*, hoc eſt, frater tuus vterinus, qui nimirum plus poteſt apud te: non enim de nihilo ibi additur *filius matris tuæ*, ſed quò detur intelligi nullius quantumuis chariſſimi blanditiis cedēdum, vt à veri Dei cultu ad idololatriam abſtrahamur: vnde ſubiicitur mox, *aut filius tuus, vel filia, ſiue vxor quæ eſt in ſinu tuo*, ad verb. *ſinus tui*, (emphaticè) *aut amicus quem diligis vt animam tuam, clàm dicēs, Eamus, & ſeruiamus diis alienis*, vel, *colamus deos alienos*, &c.

21 *Hæc feciſti, & tacui.* Senſus, Hæc tanta, ac tam multa facinora cùm in te admiſeris, diſſimulaui, ac tuli, & tanquā prorſus ignorarem, me geſſi, expectans ſi fortè reſipiſceres, & benignitas mea te ad pœnitentiam adduceret. *Tacui.* Chal explicat, *expectaui vt conuerttereris.* *Exiſtimaſti (quòd) ero (ſum) tui ſimilis*, hoc eſt, iuxta Raſi, cogitas me tui ſimilem eſſe, tuiſque maleficiis delectari. Verùm hoc potiùs cum Ezra & Kimhi ſic explico, quoniam in tua ſcelera non ſtatim animaduerti, exiſtimaſti me tui eſſe ſimilem, méque occulta latēre. *Ero* vel *ſum*: ad verb. *eſſendo ero*, hoc eſt, certè ero: maiorem quippe certitudinem importat eiuſdem verbi repetitio in conſuetudine Hebraici ſermonis. *Arguam te, & ſtatuam* (propriè *ordinabo*) *contra faciem tuam*, in Fonte, *in oculis tuis*. Senſus, nunc igitur, vt intelligas me renum tuorum teſtem, cordis tui ſcrutatorem verum, & linguæ tuæ auditorem nihil latere, te arguo, proponóque tibi ſigillatim ob oculos omnia ſcelera, quæ vnquam admiſiſti. Futuri temporis verba hoc loco præſentis vim habent, vt ſæpe: *arguam*, hoc eſt, arguo, *ſtatuam*, hoc eſt, ſtatuo. Kimhi audiuiſſe ſe dicit à quodam ſene aliam huius verſus expoſitionem, hanc videlicet: Hæc mala diſſimulanter tuli: verùm quòd exiſtimaſti me corporeum eſſe, ſicuti es, de eo arguam te, & diſponam in oculis tuis, ſiquidem hoc omnium ſcelerum maximum eſt.

Ad Rom. 2.

Cap. 1.

22 *Intelligite* &c. Senſus, Hæc conſiderate, & reſipiſcite à peccatis. *Qui obliuiſcimini Deum.* Fures, adulteros, & maledicos intelligit, qui nunquam eſſent qui ſunt, niſi Dei prorſus eſſent obliti. *Ne fortè rapiam*, &c. certum enim mihi eſt pœnam veſtris ſceleribus debitam non differre diutius. *Ne fortè rapiam*, tanquam leo aliquis famelicus, qui prædam arreptam non patitur ſibi à quoquam eripi.

23 *Sacrificans laudem*, vel *confeſſionem* &c. Poſtquàm redarguit Deus Doctores, legiſque peritos de varijs ſceleribus, illos

A nunc quoque docet quid & quomodò Deo ſit ſacrificandum. Non deerant enim ex illis etiam, quibus ſatis videretur externa ſacrificia, aliáſque legales cæremonias obire. Nunc ergo dicit, *Sacrificans laudem*, vel *confeſſionem* &c. hoc eſt, Qui mihi offert ſacrificium pœnitentiæ, & confeſſionis ſuorum delictorum, ipſe honorificabit me. Vel iuxta Kimhi, Qui ſacrificium facit cum confeſſione delictorum, & ab iis reſipiſcit, ipſe honorificabit me. Non externo, ſed interno & ſpiritali cultu, atque, vt loquitur D. Paulus ad Rom. 12. rationabili obſequio Deus afficitur ac delectatur.

B Chald. interpretatus eſt, *Qui ſacrificat concupiſcentiam malam, inſtar ſacrificij euchariſtici imputabitur ei, & honorat me.* Vertendo *laudem*, ſenſus erit idem atque verſ. 14. Græc. & Lat. pro *Sacrificans laudem* habent *Sacrificium laudis.* Legerunt enim alijs punctis, זוֹבֵחַ *zoueach*, pro זֹבֵחַ *zeuach*, haud præter ſenſum. *Et ponēs* ſub. ſuper cor *viam* ſuam, repete *honorificabit me.* *Ponens ſuper cor viam*, hoc eſt,

C conſiderans diligenter quam ingrediatur viam, vir probus ſcilicet, qui diligenter ſibi cauet, ac proſpicit ne peccet. Verbum שׂם *ſum*, *ponendi*, hoc loco ſumitur, teſte Ezra, quomodò Eſaiæ 41. 20. *Vt videant, & ſciant & ponant (ſuper cor,) & intelligant* &c. Integra aliàs locutio eſt *ponere ſuper cor.* Exemplum habes Eſa. 57. 1. *Iuſtus perit, & non eſt qui ponat ſuper cor.* Chald. τὸ *ponens viam* interpretatus eſt, *qui amouet viam malam.* Raſi exponit, *&*

D *ponens viam* peccatoribus, vt ad me conuertantur, hoc eſt, vt interpretor, qui ſua pœnitentia aliis eſt pœnitentię exemplum.

Oſtendā illi &c. hoc eſt, faciam vt talis homo æterna fœlicitate aliquando fruatur. *Salutare Dei*, emphaticè, prò ſalutare meum. Sic Exod. 24. 1. *Moyſi quoque dixit, Aſcēde ad Dominum*, hoc eſt, ad me. In omnibus Verſionibus, quas vidi, aliter hic verſus diſtinguitur, quàm à nobis, ex. gr. hunc in modum, *Sacrificans laudem honorificabit me: & qui ponit (ſuper cor) viam, oſtendam*

E *illi* &c. Chald. ſic diſtinxit. Ego propter Athnach accentum regium, qui eſt cum voce ſignificante *viam*, puto diſtinguendum eſſe, ſicuti diſtinximus: niſi excipias in quibuſdam exemplaribus vocem, quam diximus, legi cum accentu miniſtro Munach. Sic eſt in Theſauro Pagnini, radice שׂוּם, *ſum*, ad Kal. Græc. & Lat. habēt, *& illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei*, Græc. μοδ. Vterque enim legit שָׁם *ſcham*, hoc eſt, *illic*, non שָׂם *ſam*, hoc eſt, *qui ponit*, שׁ pro שׂ. Sanè ſic reperi in quibuſdam codicibus, & ita legendo, ſenſus planus eſt. Non ſic ta-

Digitized by Google

men legit D. Hieron. qui vertit, *& qui ordinat viam*, &c. neque Hebræi interpretes, quos legi, niſi fortè allegorici quidam, quorum autoritatem nihili facio, quòd ni-

A hil non ſibi interdum permittant, dum ſuos ſenſus probent, & efficiant id, quod cupiunt.

PSALMVS

L. LI.

VERSIO

VETVS.

IN finem; Pſalmus Dauid.

2 Cùm venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethſabee.

3 Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

4 Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

5 Ampliùs laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

6 Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

7 Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

8 Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

9 Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

10 Asperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

NOVA.

PRAECENTORI, Pſalmus Dauid.

2 Quum venit ad eum Nathan Propheta, poſteaquàm intrauit ad Beth-ſabee.

3 Miſerere mei, Deus, ſecundùm miſericordiam tuam: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele [a] iniquitatem meam.

[a] ad verb. *rebelliones* ſeu *præuaricationes meas.*

4 Multùm laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

5 Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum coram me (eſt) ſemper.

6 Tibi, ſoli tibi peccaui, & malum [b] coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, purus ſis in iudiciis tuis.

[b] heb. *in oculis tuis*

7 Ecce in iniquitate [c] conceptus ſum, & in peccato concepit me mater mea.

[c] *genitus*

8 Ecce veritatem, (quam) voluiſti, in renibus: & in occulto [d] ſapientia inſtruxit me.

[d] vel *ſapientiam inſtruxiſti me.*

9 [e] Aſperge me hyſſopo, & mundabor: laua me, & ſuper niuem dealbabor.

[e] heb. *Expia.*

10 Audire fac me gaudium & lætitiam: exultent oſſa (quæ) contriuiſti.

11 Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

f ad ver. mihi

12 Cor mundum crea [f] in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

13 Ne proiicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

14 Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ: & ſpiritu ſpontaneo confirma me.

g heb. præuaricatores

h heb. peccatores

15 Docebo [g] iniquos vias tuas: & [h] impij ad te conuertentur.

16 Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: cantabit lingua mea iuſtitiam tuam.

17 Domine, labia mea aperi: & os meum annuntiabit laudem tuam.

i ad verb. holocauſtū non vis.

18 Quoniam non vis ſacrificium, & dabo? [i] holocauſtis non delectaris.

19 Sacrificia Dei, ſpiritus contritus: cor contritum & confractum, Deus, non deſpicies.

20 Benefac in bona voluntate tua Sion: ædifica muros Ieruſalem.

l ad verb. oblationem & holocauſtum

m heb. offerent

21 Tunc acceptabis ſacrificia iuſtitiæ, [l] oblationes & holocauſta: tunc [m] imponent ſuper altare tuum vitulos.

11 *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.*

12 *Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.*

13 *Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.*

14 *Ne proiicias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*

15 *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.*

16 *Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.*

17 *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.*

18 *Domine, labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.*

19 *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.*

20 *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

21 *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem.*

22 *Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.*

COMMENTARIVS.

Argumentū.

OCcaſionem ſcribendi pſalmi indicat verſus ſecundus, quum nimirum Dauidem Nathan Propheta de ſtupro Beth-ſabeæ, ac cæde mariti eius Vriæ grauiter obiurgaſſet, malàque multa ipſi, eiúſque familiæ, Dei verbis denunciaſſet, ſecurum tamen eſſe iubens de venia ob pœnitentiam. Mihi ergo veriſimile ſit, & authorem habeo Kimhi, Dauidem, poſtquam ab ipſo abiiſſet Nathan, rem, vti inter ambos geſta fuerat, hoc carmine deſcripſiſſe: in quo à Deo petit, vt pro infinita miſericordia miſereatur ſui. His autem argumentis Dei miſericordiam nititur excitare: quòd ſe culpæ pœniteat: quòd in peccato originali natus ſit, & procliuitate peccandi: quòd nihil in rebus ad fidem ac Legem pertinentibus deliquerit. Inſtat inde, & non ſine orationis vehementia Deum orat, vt ſe à ſordibus expurget: vt animum ac corpus iræ diuinæ metu perculſum recreet: ne vltrà peccata intueatur, ſed omnino è tabulis expungat: petit, inquam, cor purum ſibi refingi, donis Sancti Spiritus adiuuari, in priſtinā gratiam reſtitui, bonam mentem ſibi dari. Quod ſi impetret, pollicetur ſuo ſe exemplo alios edocturum quàm Deus ſit clemens, ac ſic ad pœnitentiam adductu-

Digitized by Google

rum. Mox cruentæ cædis crimen, adeóque pœnam mortis deprecatur, promittens prædicaturum ſe Dei iuſtitiam & laudes, qui ſi vellet ſacrificia, daturum ſe illi quidem libenter affirmat, verùm ſcire ſe ſacrificia Deo grata animum eſſe peccatorum ſenſu attritum, & seriò delicta ſua lugentem. Denique Deum rogat, vt ſolito fauore Hieroſalymam vrbem proſequatur: pollicetúrque ſe ſuóſque tunc ſacrificia iuſtitiæ oblaturos, & victimis altare oneraturos. De hiſtoria, cuius in titulo mentio fit, vide 2. Sam. 11. & 12.

2 *Quum venit ad eum Nathan* &c. Lege hanc hiſtoriã 2. Sam. 12. *Poſtquam intrauit.* Honeſta locutio *intrare* ſeu *venire ad mulierem*, familiaris ſacris litteris.

3 *Miſerere mei, Deus, ſecundùm miſericordiam tuam*, non ſecundùm opera mea.

Dele iniquitatem meam, in Fonte *præuaricationes meas*, hoc ſcilicet ſcelus, & alia, quæ admiſi. Vel numero multitudinis vtitur, quòd in iſto peccato duo eſſent, adulterium ſcilicet cum Beth-ſabee, & cædes Vriæ.

4 *Multùm laua me* &c. Id quod macula eſt veſti, illud eſt peccatũ ipſi animæ: ac propterea metaphoricè vtitur verbo *lauãdi* & *mũdandi*. Potes vertere, *Multiplica lauare me*, quod nihil erit aliud, quàm multùm laua me. Verti poteſt, *Multiplica, laua me ab iniquitate mea*, hoc ſenſu, iuxta Kimhi, *Multiplica* miſericordias tuas, & *laua me* &c. Sed hoc eſt longinquum: ac neque Kimhi negat poſſe exponi, *Multùm laua me*: & ſic Chaldæus interpretatus eſt.

5 *Quoniam iniquitatem meam*, heb. *præuaricationes meas ego cognoſco*, hoc eſt, fateor atque agnoſco me peccaſſe, neque dico, *Neſcio*, ſicuti Cain, Gen. 4. 9. Ille verè peccatum agnoſcit, quem pœnitet peccaſſe. *Soli illi*, inquit Caſſiodorus, *probantur agnoſcere peccata ſua, qui ea videntur propria execratione damnare. Perfecta enim pœnitentia eſt futura cauere peccata, & lugere præterita.* *Et peccatũ meum* &c. hoc eſt, ſemper me peccati pœnitet, ac de illo perpetuò non ſine animi dolore cogito. Quid ſi poſterius membrum ſic explices? fœda peccati imago mihi ante oculos aſſiduè obuerſatur.

6 *Tibi, ſoli tibi peccaui*, ac propterea tuum eſt ignoſcere: quódque ipſi Vriæ mali feci, tibi feci, qui cauiſti ne quis alteri mortem inferret. Hoc ſenſu accepit Raſi. Kimhi verò ſic ferè explicat, *Tibi, ſoli tibi*: peccatũ enim omnes latuit, nec illud quiſquam reſciuit præter te. Nam etſi in acceſſenda Vriæ vxore vſus fuerim famulorum opera, ipſi tamen meum conſilium ignorabant Quòd etiam ad Vriam attinet, nemo præter te ſcire poteſt, cur illum iuſſerim interfici. Etſi enim, addit idem Kimhi, dediſſet litteras ad Ioabum de Vria, (vt ſcilicet iniquo pugnæ loco obiectum hoſtibus interficiendum curaret) nihilominus,

A re fortè palàm factâ, in ſuſpicionem venit Vrias neglecti regij mandati, propter quod in ipſum fuiſſet animaduerſum. Tu verò vtraque in re mentem & conſilium meum perſpectum habuiſti. Neque ego culpam diffiteor. Sic ferè ille, qui hanc quoque ex Saadia adfert expoſitionem, *Tibi, ſoli tibi peccaui*, &c. perinde eſt ac ſi diceret, Tibi, ſoli tibi confiteor, ac dico, *Peccaui, & malum in oculis tuis feci*. Reperi, inquit Kimhi, quod iuuet hanc expoſitionem, il-
B lud ſcilicet quod veteres Hebræorum Doctores dicunt, Scriptum eſt Prouer. 28. 13: *Qui tegit ſcelera ſua, non proſperabitur*: alio verò loco legitur, Pſal. 32. 1. *Beatus cuius remiſſa eſt præuaricatio, cuius tectũ eſt peccatũ.* Quo igitur pacto iſta duo cõciliare oportet? Illud, inquiũt, *Qui tegit ſcelera ſua, non proſperabitur*, de peccatis, quæ homo in hominem admittit, eſt intelligendum: de peccatis verò hominis in Deum accipiendum hoc, *cuius tectum eſt peccatum*: ac vul-
C gò dici ſolet, *Impudens eſt ille homo, qui ſua peccata palã facit.* Kimhi laudat etiam patrem ſuum ſic ferè explicantem, *Tibi, ſoli tibi peccaui*: namque ſi Vrias viueret, peccatum ad te, & illum pertineret: nunc verò, illo mortuo, *tibi, ſoli tibi peccaui*: confiteor ego tibi peccatum: totum enim ad te iam ſpectat: neque mihi, niſi à te, petenda venia eſt, & adulterij, & homicidij. Audiuiſti Hebræos. Audi nunc Nicolaum de Lyra: *Tibi ſoli peccaui*, ſcilicet tanquam
D iudici & punire potenti: peccauerat enim contra Vriam, & alios occaſione huius interfectos: tamen quia erat rex, non habebat iudicem & ſuperiorem, qui poſſet eum punire, niſi Deum. Eodem ferme modo Caſſiodorus: De populo, inquit, ſi quis errauerit, & Deo peccat & Regi. Nam quando Rex delinquit, ſoli Deo reus eſt: quia hominem non habet, qui eius facta diiudicat. Meritò ergo Rex Deo tantùm ſe dicit peccaſſe: quia ſolus erat qui eius po-
E tuiſſet admiſſa diſcutere. Et quia illum vbique eſſe nouerat, iure coram ipſo malum ſe feciſſe deplorabat, arguens dementiam ſuam, qui non expauit tanto iudice præſente peccare. Sic ille. In eandem ſententiam accepit Arnobius Afer, qui ſic habet: *Tibi ſoli peccaui.* Omnis qui ſub iudicio viuit, cùm deliquerit, peccat Deo, peccat & legibus mundi. Hic autem Rex ſub nullo

Digitized by Google

alio niſi ſub Deo ſolo agens, ipſum ſolum ſuper poteſtatem ſuam metuens, Deo ſoli peccauit. Sed ad reliquam partem verſus. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*, ad verbum, vt hodie ſunt puncta, *in loquendo te*; hoc eſt, in iis quæ tu loquutus es ac dixiſti: quem ſenſum Græc. & Lat. fœliciter expreſſere. Sic hoc coniunge cum præcedentibus, Miſerere mei, qui culpam non diffiteor, & quem peccaſſe pœnitet, *vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*, hoc eſt, vt tu, qui reſipiſcentibus veniam es pollicitus, verax appareas: tu, inquam, qui dixiſti ipſi Cain, *Nonne ſi bene egeris, recipies*, vel, *erit venia*? Gen. 4. 7. & Moſi, *Dominus Dominus Deus, miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis, ac verax, cuſtodiens miſericordiam millibus, auferens iniquitatem, & ſcelera, atque peccata.* Exo. 34. verſ. 6. & 7. Refer huc illud Ezech. 18. verſu 21. & 22. *Si impius egerit pœnitentiam* (heb. *auerſus fuerit*) *ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt*, &c. *Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor:* heb. *Omnes præuaricationes eius quas fecit, non commemorabuntur ei:* &c. Eódem videtur ſpectare id quod ſequitur, *purus ſis*, hoc eſt, irreprehenſibilis ſis, *in iudicijs tuis*, ad verb. *in iudicando te*, me videlicet, hoc eſt, dum tu me iudicas: ac nemo exprobrare poſſit, non ſtetiſſe te promiſſis, nec mihi ius ſeruaſſe. Sententia ergo huius verſus: Quando veniam reſipiſcentibus à peccatis es pollicitus, ignoſce peccato meo: feci quod debui: fac quod promiſiſti; & eſto æquus iudex. Huc pertinet illud 1.ª Ioan. 1. *Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Hoc ferme ſenſu acceperũt hanc partẽ Ezra, & Kimhi. Raſi aliter, ad iſtum ferè modum: *vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*, &c. Si mihi culpam condonaris, iuſtus eris in iudicio tuo aduerſus omnes improbos, qui non reſipiſcunt: non enim poterunt dicere, Si egiſſemus pœnitentiam, nihil nobis profuiſſet. Adfert Raſi aliam expoſitionem, quam omitto. Græcus & Lat. pro *purus ſis in iudiciis tuis*, verterunt, ille, ϗ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε; hic, *& vincas quum iudicaris:* תִזְכֶּה *tizce*, nimirum, quod vertimus *purus ſis*, interpretati ſunt ex Syrorum conſuetudine, apud quos זְכָא *zecha*, eſt *vincere*. Porrò D. Paulus Græcam verſionem ſecutus eſt Rom. 3. Sed, vt dicam aliquid de Græca illa & Lat. verſione, mihi venit in mentẽ ſuſpicari fortè (fortè dico) κρίνεσθαι accipiendum pro verbo medio, actiuè, *& iudicaris*, pro iudicaueris, hoc ſenſu, *vt*, ſi nimirum mihi culpæ veniam

A dederis, *vincas*, ſeu conuincas, quum pro tribunali ſedebis, quotquot ex ſceleratis & peccatoribus reſipuerint: non enim poterunt dicere, Si egiſſemus pœnitentiam, nihil nobis profuiſſet: in quam ſententiam accipere Raſi obſeruatum.

7 *Ecce in iniquitate conceptus*, vel, *genitus ſum*, &c. Senſus, Et quomodò non peccarem, cùm procreationis meæ principium ſit concubitus, ex quo multa naſcuntur peccata? Vel, cùm procreationis meæ principium à mare ſit & fœmina, qui toti pleni B ſunt iniquitate. Sic Raſi. Audi nunc Ezram: *Ecce in iniquitate* &c. Propter concupiſcentiam in corde hominis plantatam, perinde eſt ac ſi in iniquitate genitus eſſem. Significare vult tempore partus prauam concupiſcentiam in hominis corde plantari. Sic ille, qui præterea obſeruat eſſe qui dicant reſpicere hoc loco Dauidem ad Euam, quæ, niſi poſtquam peccaſſet, non peperit. Ioſeph Kimhi hunc in modum explicat: Hoc dicit vt à ſe amoueat culpam, C aut certè excuſet: ac formatus ſum, inquit, ex principio iniquitatis, quam admiſi, hoc eſt, ſemine, ex quo me mater concepit. Sicuti quando quis granum aliquod amarum ſolo ingerit, arbor & fructus, quæ ex illo grano naſcuntur, amara ſunt naturâ: & omnia ſuum principium atque originem ſequuntur: ita eſt de homine ex ſemine procreato: & quanquã in ea re (habet ad verb. iniquitate) eſt licitum & vetitum, ſi tamen homo in ea re errauerit, naturæ & modo procreationis tribui debet: neque adeo maD gnum eſt, ſi ea in re homini concupiſcentia præualuerit. Verùm furtum, homicidium, & aliud quoduis peccatum non proficiſcuntur à natura, neque illorum vllum ineſt in homine principium: ideóque magis quis peccat, ſi in eiuſmodi rebus peccat: econtrà ſi iuſtus quiſpiam in re ſuprà dicta cupiditatem regat ac moderetur, maius eſt, quàm ſi ſibi temperet, ne furtum faciat, aut homicidium, aut aliud quippiam ſimile perpetret: ſiquidem illud naturale eſt, hoc verò non. Sic ferè ille. Sed hæc expoſitio veE reor vt incidat in illud Comici,

Iam id peccatum primùm magnum, at humanum tamen: *In adelphis.*
Fecere alij ſæpe, item boni.

Ioſeph ben Iechaiæ de actuali parentum peccato ſeu libidine hunc verſũ accipit, qui non tantùm procreandorum liberorum, ſed libidinis causâ actum matrimonij peregerint. Sed hic iniuriam facit Dauidis parentibus, qui haud dubiè pij fuere, nec libidini obſequentes. Meliùs quàm iſti D. Hieron. qui hîc per *iniquitatem* peccatum originale intelligit: Hic verſiculus, inquit,

Digitized by Google

cap. 15. & 25.

totius generis humani caſum exponit, ſicut A in Iob: Nec ſi vnius diei ſit ſuper terram, poteſt eſſe mundus à ſorde peccati. Concipitur autem & naſcitur in originali peccato, quod ex Adam trahitur, ſed Baptiſmo per gratiam Chriſti purificatur. Optimè Lyranus, & aptè ad contextum: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*: quia homo deſcendens ab Adam per carnalem generationem, in vnione animæ ad corpus contrahit originale peccatum, quod eſt ad peccata actualia inclinatiuum ratione fomitis remanentis etiam in illis, qui mundati ſunt B ab originali, quantùm eſt culpa. Genebrardus hunc quoque verſum de peccato & corruptela originaria Hebræos nobiſcum intelligere affirmat. Sed non puto idem Hebræis eſſe יֵצֶר הָרַע *ietſer hara*, id eſt, *concupiſcentiam prauam*, quod nobis peccatum originale: Hebræis enim concupiſcentia praua nihil eſt aliud, quàm fomes peccati, & pronitas ac procliuitas peccandi, quæ cum homine naſcitur & moritur. De illa veteres Hebræorum Doctores allegoricè explicant in Midras illud Eccleſiaſtis 4. 13. *Melior eſt puer pauper & ſa-* C *piens Rege ſene & ſtulto, qui neſcit admonitionem recipere ampliùs*: verſ. 14. *Quòd è domo vinctorum egreſſus ſit ad regnandum*: &c. hunc in modum, *Melior eſt puer pauper & ſapiens*: Hæc eſt bona concupiſcentia, quæ *puer* appellatur, quòd anno ſolum decimo tertio in homine eſſe incipiat: *pauper*, quòd illi membra non obtemperent, ſicuti concupiſcentiæ malæ: *ſapiens*, quòd hominem rectè agere doceat: *Rege*, hoc eſt, concupiſcentia mala, quæ mem- D bris omnibus imperat: *ſene*, quòd ex quo natus eſt puer, in illo exiſtat: *& ſtulto*, quòd homines ſtultos aut ſtultis ſimiles faciat: *qui neſcit admonitionem recipere ampliùs*, quantumuis ſenuerit: *quòd è domo vinctorum*, hoc eſt, è loco immunditiei & fœtoris, *egreſſus ſit* &c. Quorſum hæc? Vt intelligas non idem apud Hebræos eſſe concupiſcentiam malam, quod apud nos peccatum originale. Nam quomodò, quæſo, peccato originali conuenire poteſt, quod illic de praua concupiſcentia di- E cũt? Omitto alia. Nũc ad ſingulas voces. *In iniquitate*. In Fonte בְּעָוֹן *beauon*, cum ו cholem pleno, per quod datur intelligi, vti dicit R. Acha, etiam qui iuſtiſſimus ſit, non omnino carere iniquitate. Sed hoc eſt ſubtilius. *Concipit me*: ad verb. *calefecit me*, id eſt, calore concepit me: vel *calefecit ſe de me*, quod idem ſignificat. Sic verbum יחם *iacham*, Geneſ. 30. non ſemel accipitur. *Mater mea*. Dicit *mater mea*, inquit Kimhi, quòd mulier magis ſit cauſa maris, quàm vir, ſicuti vulgò dici ſolet, *Mulier ſeminificans primò gignit marem.*

8 *Ecce veritatem, (quam) voluiſti*, &c. Senſus eſt: Etiamſi peccaui, nil tamen animo ac mente à veritate ac fide deflexi: idque tu vis atque exigis ab homine. *In renibus*, hoc eſt, in intimis, atque in animo.

Et in occulto &c. Repetitio eſt eiuſdem ſentẽtiæ, quaſi diceret, intus & in corde tuæ Legis ſapientia me ſemper inſtruxit. Potes cum Ezra interpretari, *& in occulto ſapientiã inſtruxit* ſeu *docuit me* ſẽper veritas illa.

In occulto, hoc eſt, in corde, iuxta Raſi, Ezram, & alios. Chald. habet *in occulto cordis*. Sic quoque hunc verſum explicare poſſumus, *Ecce veritatem, (quam) voluiſti*, &c. Senſus, Ecce ego fateor veritatem, id quod vis tu maximè, peccaſſe me, & quidem non ore tantùm, ſed corde etiam, & ex intimis præcordiis confiteor.

Et in occulto ſapientiam inſtruxiſti me, hoc eſt, & in corde quod latet, & occultum eſt, docuiſti me atque inſtruxiſti, vt confiterer peccatum, quæ ſumma eſt ſapientia. Gallicè, *vous m'auez inſpiré dans le cœur de confeſſer mon peché*. Hoc ſenſu accepit Raſi. Priores ſenſus magis mihi placent.

9 *Aſperge* (ad verb. *Expia*) *me hyſſopo*, &c. Senſus, Cùm ita ſit, expia me. Repetit propoſitionem pſalmi. In Lege veteri leproſi aſpergebantur à Sacerdote faſciculo hyſſopi ſanguine paſſeris delibuto, vt legere eſt Leuit. 14. Qui immundi erant ex contactu cadaueris aſperſione hyſſopi in aquam intinctæ luſtrabantur, ſicuti videre eſt Num. 19. Dauid igitur ad hos ritus reſpiciens, quòd intelligeret ſe peccato, quaſi lepra, & contactu cadaueris, infectum, & contaminatum, ait, *Expia me hyſſopo*, &c. Vnde & Chald. ſic [illegible], *Aſperge ſuper me, ſicuti ſacerdos qui aſpergit hyſſopo ſuper immundum aquam aſperſionis de cinere vaccæ*. *Laua me* aqua tuæ gratiæ. Gratia Dei aquæ mundæ in Scripturis comparatur: ex. grat. Ezech. 36. 25. *Et effundam (ſpargam) ſuper vos aquam mundam, & mundabimini: ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos*. Reſpicit hîc quoque ad aquam aſperſionis, de qua Num. mox cit. cap. *Et ſuper niuem* &c. Sic Eſa. 1. 18. *ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur; ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana erunt*. Peccata cum rubro colore conferuntur, quòd quemadmodum rubri coloris macula ſemel veſti aſperſa ita tenaciter adhæret, vt nulla lotione elui queat, vti ad locum Eſaiæ cit. obſeruat Kimhi; ſic macula animæ ex peccato impreſſa nulla naturæ vi abſtergi po-

Digitized by Google

teſt, ſed tantùm Dei gratia: iuxta illud Ierem. 2. 22. *Quòd ſi laueris te nitro, & multiplicaueris tibi borith, maculata eſt,* (vel potiùs *impreſſa* ſeu *inſculpta eſt*) *iniquitas tua coram me, dicit Dominus Deus,* hoc eſt, Licet lacrymis, aſpero cultu, ac victu, & ſimilibus nitaris peccatorum ſordes eluere, nihil proficies, niſi vera pœnitẽtia, adeóque mea gratia, quæ illius & cauſſa, & effectus eſt, acceſſerit.

10 *Audire fac me gaudium & lætitiam,* hoc eſt, remiſſionem peccati. Sic Raſi. Kimhi prolixiùs, ſed eodem ſenſu: *Audire fac me* per Prophetam condonaſſe te mihi peccatum, eritque gaudium & lætitia animæ meæ dolenti, & lugenti peccatum. *Exultent oſſa*. Simile eſt hoc iſti ſentẽtiæ Prou. 15. 30. *nuntium bonum impinguat oſſa.* Hic ergo verſus hanc habet ſententiam, Exhilara me iucundiſſimo nuntio veniæ & remiſſionis peccatorum. Reſpicit ad illud nuntium, quod poſtquam Prophetæ Nathan dixiſſet, *Peccaui Domino*, ex ipſius ore accepit, his verbis, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum; non morieris.* 2. Sam. 12. 13. *Oſſa*. Oſſa cùm dicit, ſignificare vult tam ingentem fuiſſe animi & corporis angorem ex metu iræ diuinæ acceptum, vt ad ipſa etiam oſſa, ſenſus licet expertia, penetrarit. Vel *oſſa* hîc accipe cum Kimhi pro corpore, vt Prouer. loco mox cit. (*Quæ*) *contriuiſti* metu tuæ iræ ac vindictæ.

11 *Auerte faciem tuam* &c. Figuratè hoc dictum, pro, Obliuiſcere, vel potiùs oſtende te oblitum peccatorum meorum: ne, quæſo, ne ampliùs peccata mea intuere: noli ampliùs mihi iraſci propter peccata: noli vltrà in me animaduertere. Sic Eſa. 38. 17. dicitur *proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea*, pro, condonaſti mihi omnia peccata, ac veluti deſiiſti eorum meminiſſe, ſicuti ea facilè è memoria elabuntur, quæ à tergo ſunt. *Et omnes iniquitates* &c. *Salutari compendio quicquid accuſari poterat, remitti ſibi vna venia poſtulabat*, vt ait Caſſiodorus. *Dele* ex anima mea iis, quaſi maculis, pollutã: vel, quod cum priore membro meliùs conſentit, è tabulis tuis.

12 *Cor mundum* &c. Dixit ſupra, *Ecce in iniquitate,* hoc eſt, cum fomite peccati, vel in originali peccato, *conceptus ſum:* nunc ait, *Cor mundum crea in me* (heb. *mihi*) *Deus,* quaſi dicat, Fac ne fomes ille peccati, in quo natus ſum, mihi deinceps præualeat; ac ſic *cor mundum*, culpæque expers, & veluti à peccato immune *crea in me.* Verbo *creandi* ſignificat nihil mundi prorſus eſſe in ſuo corde, vnde Deus munditiem in illo effi-

A ciat. *Et ſpiritum* (hoc eſt, animum) *rectum innoua* &c. Idem repetitur. Simile quid huic verſui reperitur Ezech. 36. 26. *Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* Verſ. 27. *Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis,* &c. Quem ad locum per cor ac ſpiritum nouum Kimhi cor obediens, & animum diuini verbi capacem intelligit: per *cor carneum*, cor tenerum ac molle, & paratum ad bonum. B Raſi cor nouum exponit concupiſcentiam ſeu affectum innouatum in bonum. Chaldæus cor nouum interpretatur *cor timens*; ſpiritum nouum, *ſpiritum timentem*; cor lapideum, *cor improbum forte inſtar lapidis*; cor carneum, *cor timens coram me ad faciendam voluntatem meam.*

13 *Ne proijcias me à facie tua,* tanquam hominem odioſum & abominatum, ſed aſpice me oculo miſericordiarum & amoris. Sic Kimhi, qui tamen hoc de ſpiritu ſancto ſeu prophetico (nil enim moror diſcrimen, C quod ipſe cum aliis Hebræorum ponit inter ſpiritum ſanctum & Prophetiam) accipi poſſe docet, vt idem priore quod poſteriore membro ſignificetur. Probat autem ſpiritum illum ſanctum in Dauide fuiſſe, ex 2. Sam. 23. 2. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius ſuper linguam meam.* Lyranus poſtremæ interpretationi fauet, qui explicat, *Ne proijcias me à facie tua*, ſubtrahendo à me tua ſecreta. Dicitur Deus aliquem proijcere à facie ſua, quum ab aliquo ſolitum fauorem ſubtrahit. D *Et ſpiritum ſanctum tuum* &c. Chaldæus, & alij Hebræorum, necnon Lyranus hoc de ſpiritu prophetico intelligunt, quem Kimhi à Dauide poſt peccatum fuiſſe ſublatum autumat: ideóque τὸ *ne auferas* interpretatur ne auferas in perpetuum; quò pertinere vult, quod mox ſequitur, *Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ,* hoc eſt iuxta illum, ſpiritum prophetiæ, qui animæ gaudium eſt & ſalus. In eadem ſententia eſt Lyranus, qui ad illud, *ne auferas à me*, ſic habet, mihi non reſtituendo, E quia adhuc tunc carebat: ideo ſubditur, *Redde mihi* &c. Hugo à Sancto Victore *ſpiritum ſanctum* ſpiritum prophetiæ interpretatur, vel donum Spiritus Sancti, quo peccatũ ſuum Dauid cognoſceret, confiteretur & pœniteret: ac per hoc, *ne auferas à me*, docet petere Dauidem perſeuerantiam, & præſentiam Spiritus Sancti continuam. Optimè ſanè.

14 *Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ*, hoc eſt, iuxta Raſi & Kimhi, ſpiritum ſanctum, qui receſſit à me. *Et ſpiritu ſponta-*

neo

Digitized by Google

neo &c. Per ſpiritum ſpõtaneum Kimhi intelligi vult ſpiritum ſanctum ſeu propheticum, qui ſponte in Dei laudes erumpit. Chald. quoque *ſpiritum propheticum* interpretatus eſt. Verùm hunc verſum ſimplicius acciperem: *Redde mihi lætitiam* &c. quaſi dicat, Reſtitue nunc pœnitenti illam lætitiam, quam mihi in tua gratia exiſtenti ſpes certa tuæ ſalutis ac æternæ beatitudinis afferebat. Ab hac interpretatione non abeſt Ezra, qui ſic habet: *Redde* &c. Propterea quòd ipſe, priuſquam peccaſſet, lætus fuerat, quòd à diebus ſuis (hæc ſunt eius verba) non peccaſſet, idcirco ait *Redde*. *Et ſpiritu ſpontaneo confirma me*, id eſt, fac vt ſponte deinceps, & alacri animo tuæ voluntati obtemperem. Intellige, ſi vis, per Spiritum ſpontaneum ſiue liberalem, gratiam & donum Spiritus ſancti, qui liberaliſſimus ac munificentiſſimus eſt, cùm ſit fons omnium donorum. Verti poteſt poſterius membrum, *& ſpiritus ſpontaneus confirmet me*. *Spontaneo*. Lat. habet *principali*, Græcus ἡγεμονικῷ. Hebræis נְדִיב *nadhiu*, *ſpontaneum* ſiue *liberalem* ſignificat, & per Metonymiam *principem*, quòd præ cæteris debeat eſſe liberalis & munificus. Hinc illi verterunt *principali*. Mirum D. Hieron. Hebraicæ linguæ peritiſſimum in priore membro vertiſſe, *Redde mihi lætitiam Ieſu tui*, cùm nominibus propriis pronomina, quæ vocant affixa, nunquam competant.

15 *Docebo iniquos*, heb. *præuaricatores* &c. Si mihi condonaueris culpam, docebo meo exemplo peccatores *vias tuas*, hoc eſt, quàm ſis miſericors, quàm lenis, & facilis ad ignoſcendum, quàmque verax & fidelis in promiſſis præſtandis. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*, &c. Pſal. 25. 10. *Vias tuas*, hoc eſt, tuam agendi rationem cum peccatoribus, qui reſipiſcunt, & delictorum pœnitentia ducũtur. *Et tunc impij ad te* &c. vt ſicuti ego à te miſericordiam conſequutus fuero, ſic ipſi conſequantur.

16 *Libera me de ſanguinibus*, ne moriar gladio in pœnam Vriæ occiſi. Sic Raſi. Kimhi autem ſic ferè, *Libera me de ſanguinibus* Vriæ, neque me punito propterea. Eodem ſenſu accepit Ezra. In explicatione ipſius Raſi vox, *ſanguines*, pro pœna mortis, quam timebat, videtur ſumi: in poſtrema verò expoſitione pro cæde ſumitur, quam cõmiſerat. Priorem ſignificationem ſequutus eſt Chal. qui interpretatus eſt, *Libera me à iudicio mortis*. Profectò mortem ob peccatum valde metuebat Dauid, quòd ei dixiſſet Nathan, *Nunc igitur non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum*. Idcirco agnoſcentem culpam idem propheta Nathan his ſolatus eſt verbis, *non morieris*. 2. Sam. 12. 13.

Sanguinibus. Sanguis, inquit Kimhi, dicitur & in numero ſingulari, & in numero multitudinis. In numero multitudinis exemplum habes illuſtre Geneſ. 4. 10. *Vox ſanguinis*, in Fonte *ſanguinum fratris tui clamat ad me de terra*. Kimhi notat huius rei Ezram adferre hanc rationem, quòd vna ſit res, vſurpari in numero ſingulari; quòd ſubiectum ſit quatuor (humorum,) vſurpari in numero plurali. Si *ſanguines* accipias pro cæde à Dauide iuſſâ, dicere poſſis, neque abſurdè, data opera hoc loco vſurpatum eſſe à Dauide numerum pluralem: quò ſignificaret ſe non vnius Vriæ mortis duntaxat reum eſſe, ſed & eorum, qui cum illo occubuerant: *ceciderunt* autem *de populo, de ſeruis Dauid*, vt ſcribitur 2. Sam. 11. 17. Videtur Lyranus hoc ſenſiſſe, qui habet, *Libera me de ſanguinibus*, id eſt, à pœna mortis, quam incurri propter effuſiones ſanguinum Vriæ, & aliorum occaſione eius interfectorum. *Deus* iudex: in Fonte enim eſt אֱלֹהִים *Elohim*. *Deus ſalutis meæ*, qui me potes ſeruare: à quo expecto meam ſalutem, & liberationem. *Cantabit lingua mea* &c. cùm mihi pœnitenti peperceris, tuámque adeo in ſeruandis promiſſis fidem ac iuſtitiam oſtenderis. *Cantabit* propriè cum iubilo & exultatione: vnde Latinus vertit *exultabit* actiuè: Græcus ἀγαλλιάσεται. Quid ſi Latinè reponeres *exaltabit?*

17 *Labia mea aperi*, id eſt, Præbe mihi materiam cantici, & gratiarum actionis, ignoſcendo peccato meo. *Et os meum* &c. Non dicit ſacrificia ſe oblaturum: ſtatímque rationem reddit, *Quoniam non vis ſacrificium*, &c.

18 *Quoniam non vis ſacrificium*, &c. Senſus, Si te ſcirem velle ſacrificium propter hoc peccatum, darem profectò. Verùm ſcio magis delectari te corde contrito. Deus præceperat quidem ſacrificia vnà cum confeſſione & pœnitentia, ſi quis imprudens peccaſſet. Verùm Dauid prudens & ſciens peccauerat. Igitur nihil illi profutura erant ſacrificia, ſed ſola pœnitentia in corde contrito & confracto. Sacrificia porrò imprimis erant inſtituta, vt per ea docerentur homines frangendum eſſe cor, atque appetitum ſenſitiuum & carnalem prorſus ex animis eradicandum, ac veluti

Digitized by Google

Deo mactandum. Combuſtione pecudum hoc peculiariter ſignificabatur, brutales & irrationales concupiſcentias eſſe prorſus deſtruendas, atque extirpandas. Sic ex Hebræis ferè. *Et dabo?* Perinde ac ſi dicat, cur igitur dabo? Poſſes vertere, *Quoniam non vis ſacrificium; & dabo:* vel *& darem:* abſque interrogatione: perinde ac ſi dicat, quòd ſi velles, darem equidem. Sic, credo, ad mentem Raſi vertendum eſſet. Hanc ſententiam optimè expreſſit Latinus Interpres, *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique:* ſed *holocauſtis non delectaberis*, pro delectaris. Quàm pulchrum illud Hugonis à S. Victore? *Si peccat homo, non ideo eſt bos puniendus, ſed homo.*

19 *Sacrificia Dei*, &c. Senſus, Sacrificia, quibus Deus delectatur, ſunt ſpiritus contritus. *Cor contritum* &c. Sacrificium tu deſpicis, vbi non adeſt cor contritum: at cor contritum etiam abſque ſacrificio haud deſpicis. Sic ferè Kimhi. Addo ego ex Caſſiodoro, Deo magis placere ſacrificium, ex quo lacrymarum fluenta decurrunt, quàm illud vnde ſanguis egreditur.

20 *Benefac in bona voluntate tua Sion.* Benefac ædificando domũ Sanctuarij tui in medio eius tẽporibus filij mei Salomonis. Sic Raſi. Ioſeph filius Iechaię eodem ſenſu, & hoc ferè modo, Ne ſtet per mea peccata, quominùs benefacias Sioni, & ibi aut per me, aut per aliquem ex filiis templum tibi extruatur. Optimus ſenſus. Scilicet hoc precabatur, metuens ne maleficia principis nocerent ciuitati. In hac ſententia explico *ædifica muros* &c. fac vt vrbs Hieroſolyma mœnibus cingatur: quod à Salomone factum legimus 1. Reg. 3. 1. Obſeruat Ezra quendam eſſe ex ſapientibus Hiſpanis, qui dixerit hunc & ſequentem verſum additos fuiſſe à pio aliquo viro in captiuitate Babylonica, dum fortè hoc pſalmo oraret. Atque, inquit Ezra, neceſſe fuit hoc dicere, propterea quòd, niſi extrema Dauidis ætate, non fuerit cognitum Sionem locum fuiſſe electum, hoc eſt, Templo deſtinatum. Verùm hæc ratio haud probatur, quòd fieri potuerit, quemadmodum aliàs ex Kimhi obſeruauimus, vt vetere quadã traditione receptũ fuerit apud Hebræos in Sione aliquando habitaturum Deum. Non dubium profectò, quin hoc

A Dauidi fuerit exploratum ex quo à Propheta Nathan Dei verbis accepit Salomonem filium Templum ædificaturum: qua de re legendum cap. 7. 2. Sam. verſu 13. Sed multò ante illud tempus ſcripſerat Dauid hoc carmẽ. Ezra putat poſſe etiã hos verſus explicari tanquam dictos propheticè. Kimhi dicit ex duobus his verſibus apparere ſpiritum ſanctum (propheticum) ad Dauidem reuerſum, dum adhuc hoc Pſalmo oraret. Sunt enim, inquit, hi verſus prophetia ventura: videbat ſiquidem diuino

B afflatus numine futuram domum Sanctuarij, ac primam & ſecundam ob peccata deſtruendas. Et quanquam oblata ſemper fuerint ſacrificia, illa tamen propter crebra ſcelera Deus deſpexit, & Sanctuarium deuaſtari voluit. At temporibus Meſſiæ grata erunt ſacrificia: ſiquidem tunc Iſraelitæ omnes vno conſenſu & animo Deo ſeruient. Propterea dicit *Benefac in bona voluntate tua Sion:* &c. Sic ille. Ego, vt quod ſentio dicam, ad ætatem Dauidis exiſtimo accommodari poſſe, quod his verſibus dicitur, hoc modo, Ne propter mea

C ſcelera deſine Sioni fauere, & Hieroſolymorum muros, vt cœpiſti, exſtruere atque amplificare: hoc ſi tu feceris, ſicque me tibi planè reconciliatum oſtenderis, *Tunc acceptabis ſacrificia* &c. vt eſt in ſequente verſu.

21 *Tunc acceptabis* &c. Facile eſt hunc verſum cum ſuperiore coniungere in quouis ſenſu. Atque in poſtremo quidem, hoc videtur velle dicere, Tu nunc repudiares ſacrificia ab homine adulterij & homicidij reo: vbi autem ex ſolito erga iſtam vrbem

D fauore te mihi prorſus placatum eſſe intellexero, enimuerò tunc ſacrificia tibi offerã, ac, ſpero, ea habebis grata & accepta. Nunc voces explicemus. *Sacrificia iuſtitiæ* opponit ſacrificiis mendacij, hoc eſt, ſacrificiis abſque fide & operibus, quæ abominatio ſunt Deo. Ezra per *ſacrificia iuſtitiæ* intelligit ſacrificia pacifica. Kimhi vult idem eſſe עוֹלָה *ola*, & כָּלִיל *calil*, nimirum *holocauſtum:* vel certè vltima voce ſignificari oblationem ſacerdotis. Poſtremum putat Ezra: priore autem voce ſignificari

E iuge holocauſtum. *Tunc imponent*, ſcilicet Sacerdotes, (quam vocem ſupplet Chaldæus) vel populares mei, quos, vt meo nomine grates tibi referant, adhortabor.

Digitized by Google

PSALMVS

LI. LII.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Intelle-
ctus Dauid,
2 *Cùm venit*
Doeg Idumæus, & nuntiauit Sauli: Venit Dauid in domum
Achimelech.
3 *Quid gloriaris in malitia, qui potens*
es in iniquitate?
4 *Tota die iniuſtitiã cogitauit lingua*
tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum.
5 *Dilexiſti malitiam ſuper benignita-*
tem; iniquitatem magis quàm loqui æqui-
tatem.
6 *Dilexiſti omnia verba præcipitatio-*
nis, lingua doloſa.
7 *Propterea Deus deſtruet te in finem:*
euellet te, & emigrabit te de tabernaculo
tuo; & radicem tuam de terra viuen-
tium.
8 *Videbunt iuſti, & timebunt, & ſu-*
per eum ridebunt, & dicent:
9 *Ecce homo, qui non poſuit Deum*
adiutorem ſuum:
10 *Sed ſperauit in multitudine diui-*
tiarum ſuarum: & præualuit in vani-
tate ſua.
11 *Ego autem, ſicut oliua fructifera*
in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei
in æternum, & in ſæculum ſæculi.
12 *Confitebor tibi in ſæculum quia fe-*
ciſti: & expectabo nomen tuum, quo-
niam bonum eſt in conſpectu ſanctorum
tuorum.

NOVA.

PRAECENTORI,
Didacticon Dauid:
2 Quũ venit Doëg
Idumæus, & annun-
tiauit Sauli, & dixit ei,
Venit Dauid in domum Achime-
lech.
3 Quid gloriaris de malitia, ô po-
tens? miſericordia Dei omni die.
4 [a] Iniuſtitiam cogitauit lingua — a heb. *Contritiones, Damna, Prauitates*
tua: ſicut nouacula acuta faciens do-
lum.
5 Dilexiſti malitiam præ bonitate:
mendacium (magis) quàm loqui
[b] æquitatem. — b heb. *iuſtitiam.*
6 Dilexiſti omnia verba abſorptio-
nis, * lingua doloſa. — * in Vocandi caſu iuxta Ezram: *linguam doloſam* iuxta Kimhi.
7 Etiam Deus deſtruet te in æter-
num, euellet te, & transferet te de
tabernaculo: & eradicabit te de ter-
ra viuentium.
8 Et videbunt iuſti, & timebunt: &
ſuper eum ridebunt, (& dicent,)
9 Ecce vir, (qui) non [c] poſuit — c vel *ponit*
Deum robur ſuum: ſed [d] ſperauit in — d vel *ſperat*
multitudine diuitiarum ſuarum;
[e] roboratus eſt in prauitate ſua. — e vel *roboratur*
10 Ego autem (ero) ſicut oliua vi-
rens in domo Dei: ſperaui in miſeri-
cordia Dei (in) ſæculum & æter-
num.
11 Confitebor tibi in ſeculum, quia
feciſti: & expectabo nomen tuum,
quoniam bonum (eſt) in conſpectu
ſanctorum tuorum.

Digitized by Google

ram, qui huc pertinere vult id quod ſequi- A
tur.

7 *Etiam Deus deſtruet te* &c. Sicuti tu deſtruxiſti, & euelliſti Sacerdotum familiam è tabernaculo Domini, ſic deſtruet te Deus, éque tuo vel Domini tabernaculo abreptum euellet, atque è terra viuentium radicitus tollet. *Et eradicabit te* &c. hoc eſt, tollet te ex hac vita, vel, iuxta alios, ex altera, quæ vera vita eſt. Ego puto his verbis velle ſignificare, Deum non modò Doeg è viuis ſublaturum, ſed ſicuti ille omnem Achimelechi familiam deleuit, ſic totam etiam ipſius familiam Deum deleturum. Hoc videtur ſignificare τὸ *eradi-* B
cabit te, quaſi idem ſit, ac, non relinquet radicem, hoc eſt, liberos, ne repullulare aut creſcere iterum familia poſſit. Hoc ſenſu accepit Raſi. Hanc interpretationem iuuat, quòd Chaldæus illud Mal. 4. 1. *non derelinquet eis radicem & ramũ*, exponit *non relinquet eis filium, & filium filij*, hoc eſt, nepotem. Vbi notat Kimhi priorem filium eſſe veluti radicem, ex eo autem oriundum inſtar rami. *Et eradicabit te.* Græcus & Lat. habent *& radicem tuam:* legerunt enim וְשֹׁרְשְׁךָ *veſchorſchecha*, pro וְשֵׁרֶשְׁךָ C
veſchereſchca, aliis duntaxat punctis.

8 *Et videbunt iuſti*, &c. Videbunt iuſti quas pœnas Deus de te ſumet ob effuſum Sacerdotum ſanguinem, túncque maiorem in modum Deum timebunt, atque irridebunt Doëg, eiúſque familiam, *Ecce vir*, inquient. &c. Elegans eſt paronomaſia in verbis יִרְאוּ *ijru, videbunt*, & יִירָאוּ *ijrau, timebunt*, quæ latinè non potuit reddi. Aliàs iam occurrit, ſi bene memini.
Super eum. Subitò mutatur ſecunda per- D
ſona in tertiam.

9 *Ecce vir*, &c. Senſus, En virum, qui magnis ſuis opibus ac malitia fretus noluit ab vno Deo pendere, nec Deum vltorem reueritus eſt. Videte quis illius exitus.
Ecce δεικτικῶς & emphaticῶs. *Vir.* Emphaſim habet loco conuenientem. Nam גֶּבֶר *geuer*, virum propriè ſignificat viribus præcellentem, ac potentem. *In prauitate ſua*, hoc eſt, ſua truculentia ac malitia,

A iuxta Kimhi. Saadias exponit *in opibus ſuis*, ita vt idem repetatur, & בְּהַוָּתוֹ *behauuatho*, idem ſit quod *in eo* הֹוֶה *hahoue, quod ſibi eſt.* Gallicè diceremus *en ſon auoir.* Chald. vertit *in opibus ſuis.* In hoc verſu duo ſunt verba fut. temporis, cuius vſus eſſe ſolet in generalibus ſententiis. Quò fit vt videatur non de Doëgo modò accipiendus eſſe hic verſus, ſed tanquam generalis ſententia, hoc modo, Ecce quomodò contingere iis ſolet, qui, ſicuti hic Doëg, omnes ſuas ſpes in opibus collocare ſolent.

10 *Ego autem (ero) ſicut oliua* &c. Tu ſcele-
B rate defflues, ſicut deffluit folium ex mortua arbore: ego verò, quem nunc tantopere perditum cupis, tandem ſaluus euadam, eróque inſtar virentis oliuæ, cuius nunquam decidunt folia: neque ego tantùm, ſed mei quoque liberi, ac nepotes. Quare? Quia *ſperaui in miſericordia Dei*, non autem tu, ſed in opibus, neque Deum reueritus es.

11 *Confitebor tibi* &c. Prophetam hîc agit Dauid, & vt Prophetæ ſolent, rem futuram tanquam factam ſignificat, ac de beneficio,
C quod tantùm, ſed certò ſperat, gratias Deo agit, quaſi iam acceperit. *Quia feciſti*, hoc eſt, certiſſimè facies id quod his verſibus euenturum prædixi, ideóque pro eo hunc mihi eſt, ac ſi iam à te eſſet factũ. *Et expectabo nomen tuum*, hoc eſt, tuam opem deinceps ſemper implorabo, atque expectabo, quæcumque ſuperueniant. Vel ſenſus eſt, ac ſpero te tantum Doëgi facinus vlturum. *Quoniam bonum (eſt,)* ſcilicet nomen tuum, id eſt, præſens eſt, ac propitium nu-
D men tuum hominibus piis. *Nomen Dei* pro Deo. Vide ad verſ. 2. pſ. 20. Vel *quoniam bonum (eſt)* expectare nomen tuum.
In conſpectu ſanctorum tuorũ. Refer hoc ad *Confitebor tibi* &c. & *expectabo nomen tuum.* Vel ad *quoniam bonum (eſt,)* vt ſenſus ſit, bonum eſt nomen tuum piis hominibus: vel bonum eſt ac ſalutare piorum iudicio tuum nomen expectare. *Sanctorum* ſeu *piorum tuorum*, hoc eſt, illorum, qui te ſanctè ac piè colunt.

Digitized by Google

PSALMVS

LIII. LII.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI ſuper Machalath, Didacticon Dauid.
2 Dixit inſipiens in corde ſuo, Non (eſt) Deus: corrupti ſunt & [a] abominabiles facti ſunt in iniquitatibus; non (eſt) qui faciat bonum.

a heb. abominandam fecerunt iniquitatem.

3 Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat [b] ſi eſt intelligens: requirens Deum.

b heb. an

4 Omnes declinauerunt, ſimul fœtuerunt, non eſt qui faciat bonum: non (eſt) [c] vſque ad vnum.

c heb. etiam vnum.

5 Nonne ſcient (omnes) qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, (ſicut) deuorant panem: Deum non inuocant?

6 Illic timebunt timore, (vbi) non erit timor; certè Deus diſſipabit oſſa obſidentis te: pudore afficies, quoniam Deus ſpernet eos.

7 Quis dabit ex Sion ſalutes Iſraël? quum conuerterit Deus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, lætabitur Iſraël.

VETVS.

IN finem, pro Maëleth intelligentiæ Dauid.
2 Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.
3 Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus: non eſt qui faciat bonum.
4 Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum: vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

5 Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.
6 Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam vt cibum panis?
7 Deum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.
8 Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.

9 Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël? cùm conuerterit Deus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſraël.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *HIc Pſalmus ferè eſt idem atque decimus quartus, & iiſdem pene conſtat verbis, ita vt haud longo admodum egeat commentario. Cur bis ſcriptus ſit, non eſt facile conijcere: niſi fortaſſe putes decimum quartum de Nabuchodonoſore, & Babylonijs à Dauide prophetico ſpiritu afflato fuiſſe dictum, hunc verò de Antiocho, Illuſtri præſertim, qui Hieroſolymam deſtruxit, & multa mala Iudæis intulit: cuius de hiſtoria legendi libri Machabæorum. Quòd porrò hic pſalmus ad illius Antiochi tempora referendus videatur, haud ob-*

Digitized by Google

ſurè apparebit ex illis verbis verſus 6. diſſipabit oſſa obſidentis te, *quæ non leguntur pſalmo 14. videntúrque hîc datâ operâ adhibita.*

1 *Super Machalath.* Machalath aut nomen eſt inſtrumenti muſici, aut initium vulgaris cantilenæ, ad cuius tonum decantabatur hic pſalmus.

2 *Inſipiens.* Is eſt Antiochus *radix peccatrix*, vt eſt 1. Mach. 1. 11. *Non (eſt) Deus.* Hoc verè dictum de Antiocho, qui verum Deum ſe ignorare oſtendit, quum *ædificauit abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei*, ſicuti legitur 1. Mach. 1. 57. *Corrupti ſunt*, &c. Hoc, & quæ ſequuntur, dicta accipe non de Ethnicis modò, ſed de Iudæis etiam, in quibus tempore Antiochi multi fuerunt homines ſcelerati, & nefarij, qui à ſancto fœdere receſſerunt, vt Gentium inſtitutis ritibúſque vterentur. Vide 1. Mach. 1.

5 *Plebem meam.* Accipe, vt ſonat, pro Iſraëlitis.

6 *Illic timebunt timore, (vbi) non erit timor*, hoc eſt, vbi nulla timoris cauſſa, terroribus, & conſcientiæ ſtimulis agitati. Huc refer illud Prouerb. 28. 1. *Fugit impius nemine perſequente: iuſtus autē quaſi leo confidit.* Deus interdum tantam mollitiem quorundam animis inijcit, vt terreat eos ſonitus folij volantis, & quaſi viſis hoſtibus armatis fugiant, cadántque nullo perſequente, vti intelligere eſt ex Leuit. 26. 36. *(Vbi) non erit timor.* Vertere potes, nonnihil ſupplendo, *timore (cui) non fuit timor (ſimilis.) Certè Deus diſſipabit oſſa obſidentis te.* Apoſtrophe eſt ſubita ad piorum quemlibet, aut ad populum Dei. *Certè.* In Fonte כִּי *ci*, quod reddi ſolet *quia*. Verùm hæc ſignificatio non mihi videtur bene poſſe conuenire huic loco. Ergo illa particula vertenda hîc potiùs *certè*, ſicut aliàs interdum à quibuſdam vertitur. Vide ad verſ. 14. pſal. 10. necnon ad 21. pſal. 33. *Diſſipabit oſſa*, hoc eſt, conteret oſſa. *Obſidentis te*, hoc eſt, ſi in genere pſalmum accipias, eius qui tibi perniciem molitur, Gallicè *de ceux qui t'aſſaillent, qui te font la guerre.* Si ad Antiochum referre vis, hoc, *diſſipabit oſſa obſidentis te*, de illo commodè intelligi poteſt, qui quum magnis itineribus in Iudæos irâ æſtuans pergeret, de curru, dum impetu ferretur, adeo vehementer excuſſus eſt, vt, confractis omnibus membris, poſt diros cruciatus interierit, ſicuti legere eſt 2. Mach. 9. 7. *Pudore afficies.* Continuat apoſtrophen. In hoc verſu præterita ſunt vice futurorum.

7 *Captiuitatem plebis ſuæ.* Nemo neſcit tempore Antiochi Hieroſolymam igni ſuccenſam, mulieres vnà cum liberis captiuas abductas. Tunc, vti ſcribitur 1. Mach. 1. 40. *fugerunt habitatores Ieruſalem, & facta eſt habitatio exterorum, & facta eſt extera ſemini ſuo, & nati eius reliquerunt eam.*

Cætera, quæ ad hunc pſalmum pertinent, ex pſ. 14. repetantur.

Digitized by Google

PSALMVS

LIV. LIII.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI in Neghinoth, Didacticon Dauid.

2 Quum veniſſent Ziphæi, & dixiſſent ad Saul, Nónne Dauid abſconditus eſt apud nos?

3 Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in [a] virtute tua iudica me.

a heb. fortitudine

4 Deus audi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

5 Quoniam alieni inſurrexerunt aduersùm me, & formidabiles quæſierunt animam meam: non [b] propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

b poſuerūt

6 Ecce Deus adiuuat me: Dominus cum ſuſtentatoribus animæ meæ.

7 Reddat malum inimicis meis: in veritate tua [c] diſperde illos.

c heb. ſuccide

8 Voluntariè ſacrificabo tibi: [d] confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum (eſt.)

d celebrabo nomen tuum,

9 Quoniam ex omni tribulatione eripuit me: & in inimicis meis vidit oculus meus.

VETVS.

IN finem, in carminibus intellectus Dauid,

2 Cùm veniſſent Ziphæi, & dixiſſent ad Saul: Nónne Dauid abſconditus eſt apud nos?

3 Deus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua iudica me.

4 Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

5 Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

6 Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

7 Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.

8 Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum eſt.

9 Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

2 *Quū veniſſent Ziphæi*,&c. Hiſtoria,quā indicat hic verſus, legitur 1. Sam. 23. Cùm enim bis proditus fuerit Dauid à Ziphæis, malo hunc Pſalmum ad priorem proditionem referre, quàm ad illam, quæ eiuſdem libri cap. 26. deſcribitur. Hiſtoria porrò ſic ferè habet. Dauid non diu poſt Doëg Idumæi perfidiam, de qua eſt pſal. 52.us admonitus oraculo, ni maturè ſuis rebus conſuleret, fore vt à Ceilanis, in quorum vrbe morabatur, ipſe cum ſuis Saüli dederetur, vrbe illa relicta in deſertum Ziph ſe cum ſexcentis circiter viris contulit. Sed neque ibi diu tutus fuit. Nam Ziphæi captantes Regis gratiam mittunt ſtatim ad illum oratores, qui ſignificent Dauidem in agro ſuo morari, polliceantúrque omnem operam, vt ipſe in manus Regis tradatur. Saül verò collaudatos homines, quòd ſuam vicem doluiſſent, hortatus eſt, explorarent diligenter quo in loco verſaretur Dauid, promittens ſe breui cum ingenti exercitu adfuturum. Nec mora. Statim Saül inſecutus Dauidem, qui tum erat in Maonis deſerto, & cognito Regis aduentu rupem quandam inſederat. Argumētum. *Tunc cernens Dauid in ſummum ſe adductum diſcrimen, hoc carmen compoſuit, in quo primùm Dei opem implorat aduerſùs Ziphæorum, & Saulis inſidias. Secundò auxilium, & vindictam de hoſtibus ſibi à Deo pollicetur, à quo nunquam ſit deſertus, iámque ſentiat ſe adiuuari. Tertiò vouet gratiarum actionem.* *Nonne Dauid abſconditus eſt apud nos?* Hæc eadem verba leguntur 1. Sam. 23. 19. Quod argumentum eſt hunc pſalmum ad hiſtoriam, quæ eo loco deſcribitur, debere referri.

3 *In nomine tuo*, hoc eſt, propter nomen tuum, quod inuoco. *Et in virtute (fortitudine) tua*, in qua ſola ſpem habeo, cùm aduerſùm me tot, iíque potentes hoſtes conſpirarint. *Iudica me*, hoc eſt, ius meum tuere, & vlciſcere me. Sic pſal. 135. 14. *Quia iudicabit Dominus populum ſuum.*

4 *Orationem meam: verba oris mei.* Kimhi annotat idem bis dici, aut prius ad cor, poſterius ad linguam pertinere. Hoc vltimum ſentit Ezra, aítque radicem ſeu fundamentum orationis ſeu precationis eſſe in ore: quibus verbis quid velit non ſatis ſcio, niſi ad perfectam orationem opus eſſe voce: quòd ſcilicet in precatione languentem interdum animum vox interpoſita non pa- A rum excitet. Vnde fit, vt cùm vehementiùs animo precamur, vox etiam interdum imprudentibus erumpat.

5 *Quoniam alieni* &c. Ezra per *alienos* intelligere vult Dauidem, qui non eſſent eiuſdē gentis: per *formidabiles*, ipſos Ziphæos. Alij per *formidabiles* Saulem eiúſque comites intelligi volunt: per *alienos*, Ziphæos ipſos. *Alieni.* Chald. habet *ſuperbi*: legit enim זֵדִים *zedhim*, hoc eſt, *ſuperbi*, vbi hodie זָרִים *zarim*, id eſt, *alieni*, ר pro ד. Contrà Græcum & Lat. ad verſ. 14. pſal. 19 *mizzarim*, pro *mizzedhim* legiſſe annotatum eſt. Pſal. 86. verſ. 14. qui idem eſt pene cum hoc B verſu, legitur *zedhim*, non *zarim*: quod mihi haud difficilè perſuadet hîc ד in ר à librarijs fuiſſe corruptum: certè enim mallem *zedhim*, id eſt, *ſuperbi*, & eſſet magis in promptu. *Formidabiles* ſua potentia. Chaldæus interpretatus eſt *fortes.* Sic & Græcus & Latinus. Vox hebraica עָרִיץ *arits*, *formidabilem* & *fortem* ſignificat. *Quæſierunt* ac etiamnum quærunt. Verba præt. temp. in hoc verſu, vt aliàs ſæpe, præſens etiam includunt. *Quærere animam alicuius*, eſt aliquem ad necem quærere, ac vitæ alicuius inſidias facere. *Non propoſuerunt (poſuerunt)* &c. hoc eſt, Deum C non timent, nec cogitant illum habere oculum vindicem.

6 *Ecce Deus adiuuat* &c. Nunquā feriæ ad Deū preces abeunt ſine fructu; & ſępe inter precandum aliquid conſolationis ac ſpei diuinitus obijcitur; præſertim cùm venit in mentem quoties nobis antea Deus in ęrumnis ac periculis adfuerit. Eam ob rem hoc loco Dauid in maximis anguſtiis conſtitutus, ac nondum exauditus, certam ſalutem ſibi à Deo pollicetur, cuius opem ſæpe antea fuerit expertus, ac nunc experiatur, vim quandam numinis ſibi præſentem ſentiens. Addo fortaſſe Dauidi precanti, quum in D maximo verſaretur periculo, & propè eſſet, vt caperetur, nuntiatum fuiſſe Paleſtinos in ditionem Saulis irrupiſſe, ideóque Saulem ijs obuiam iuiſſe, qua de re videndum 1. Sam. 23. in fine: idcirco ſubitò in hæc verba erupit, *Ecce Deus adiuuat me*: &c. *Ecce Deus adiuuat me*, ita vt illi, quantumuis ad meam perniciem incumbant, méque ſuis delationibus opprimere ſtudeant, obeſſe non poſſint. *Dominus cum*, ad verb. *in ſuſtentatoribus animæ meæ.* Potes vertere *inter ſuſtentatores* &c. Quoquo modo ver-

Digitized by Google

tas, noli accipere, quaſi dicat Deum vnum A eſſe ex iis, qui ſuam vitam tuentur: ſic enim non ſatis Deo honoris defertur, niſi ei in ſolidum totum beneficium adſcribatur. Sic ergo hoc explicandum: Deus non ſolùm mihi, ſed etiam comitatui meo adeſt. Rab. Moſes vult hæc verba in hanc accipi ſententiam, Solus Dominus eſt inſtar omnium, qui mihi opitulantur. Verùm non videtur hæc ſententia ex hebraicis verbis effici poſſe.

7 *Reddat.* Iuxta aliã lectionẽ *Reuertatur.* B *Malum* & exitiũ, quod mihi moliũtur. *Inimicis meis.* Apta vox in Fonte, nimirum שׁררי *ſchorerai*, quæ propriè *obſeruatores, inſidiatores* ſignificat, à radice שור *ſchur*, quæ eſt *aſpicere, obſeruare.* Tam Saul, quàm Ziphæi diligenter explorabant, vbi eſſet Dauid, omnéſque latebras perſpiciebant, in quibus poſſet deliteſcere, vt ex hiſtoria C conſtat, de qua dictum in argumento. Aptè ergo prædicta voce ſignificantur. *Reddat malum* &c. Græcus & Latinus habent, *Auerte mala inimicis meis*, eodem ſenſu, hoc eſt, ſicuti interpretatur Flaminius, Fac recidant in aduerſarios meos mala, quæ mihi machinantur. *In veritate tua* &c. Senſus eſt, quoniam verax es, ac dixiſti vlturũ te detractores, & cædis appetentes, idcirco tu illos ſuccide. Sic Raſi. Vel, vt verum ſit, ſicuti erit, quod tu pollicitus es, me nimirũ regnaturum, ſuccide illos: alioquin actum eſt de me, & tuis promiſſis: prop enim eſt vt peream, niſi illi perierint. Hoc ſenſu accepit Kimhi. Potes explicare *in veritate tua*, hoc eſt, pro tua iuſtitia, quâ vnicuique reddis iuxta eius opera. *Diſperde* (in Fonte *ſuccide* emphaticè) *illos*, qui me perditum cupiunt. Hoc impletum eſt, inquit Card. Bellar. non diu poſtea. Nam in montibus Gelboë periit Saul cum exercitu ſuo, in quo exercitu credibile eſt adfuiſſe, & ſimiliter periiſſe illos, qui Dauidem perſequuti fuerant. Vide 1. Sam. cap. vlt. *Diſperde.* Hîc ſubita mutatio perſonæ Scripturis familiaris.

8 *Voluntariè* ſeu *Liberaliter ſacrificabo tibi*, poſtquam tu illos euerteris & ſuccideris. *Confitebor nomini tuo*, hoc eſt, tuum nomen, quod nunc imploro, atque inuoco, tunc celebrabo: vel *confitebor*, hoc eſt, gratias agam, *nomini tuo*, id eſt, tibi. Eódem ſententia reuoluitur. *Quoniam bonum (eſt)* nomen tuum: vel *bonum (eſt)* tibi ſacrificare, &c. Vide ſimile ad verſ. 11. pſal. 52.

9 *Quoniam ex omni tribulatione eripuit me* nomen tuum. *Et in inimicis meis vidit oculus meus* id quod volui. Sic Kimhi, qui adfert ſimile ex pſal. 92. 12. *Et vidit oculus meus in inimicis meis.* Eſt ſimile pſal. 35. 21. & aliàs. Chald. interpretatur *vidit oculus meus vltionem.*

PSALMVS

LIV. LV.

VERSIO

VETVS.

IN finem, in carminibus intellectus Dauid.

2 *Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me.*

3 *Contriſtatus ſum in exercitatione mea: & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.*

4 *Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in ira moleſti erant mihi.*

5 *Cor meum conturbatum eſt in me: & formido mortis cecidit ſuper me.*

6 *Timor & tremor venerunt ſuper me: & contexerunt me tenebræ.*

7 *Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?*

8 *Ecce elongaui fugiens: & manſi in ſolitudine.*

9 *Expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.*

10 *Præcipita Domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.*

11 *Die ac nocte circundabit eam ſuper muros eius iniquitas: & labor in medio eius, & iniuſtitia.*

12 *Et non defecit de plateis eius vſura & dolus.*

NOVA.

PRAECENTORI in Neghinoth, Didacticon Dauid.

2 Audi Deus orationem meã, & ne [a] deſpexeris deprecationem meam.

3 Intende mihi, & exaudi me, (dum) lamentabor in querela mea, & tumultuabor:

4 A voce inimici, [b] à tribulatione peccatoris: quoniam [c] coniiciunt in me iniquitatem, & in ira aduerſantur mihi.

5 Cor meum [d] conturbatum eſt in me, & [e] formido mortis cecidit ſuper me.

6 Timor, & tremor [f] venerunt ſuper me, & contexit me horror.

7 Et dixi, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? auolabo, & requieſcam.

8 Ecce, elongabo fugam: manebo in ſolitudine.

9 Accelerabo effugium mihi, à ſpiritu procelloſo, à tempeſtate.

10 Perde Domine, diuide linguam eorum: quoniam vidi iniuriam, & contentionem in ciuitate.

11 Die ac nocte circundant eam ſuper muros eius: & iniquitas, & labor in medio eius.

12 [g] Iniuſtitia in medio eius: & non recedit è [h] plateis eius fraus, & dolus.

[a] ad verb. *ne abſcondas à deprecatione mea.*
[b] ad verb. *à facie preſſura impij.*
[c] ad verb. *admouent ſuper me*
[d] *contremiſcit*
[e] heb. *terrore mortis ceciderunt*
[f] heb. *venit in*
[g] prop. *prauitates*
[h] heb. *platea*

Digitized by Google

13 Quoniam non inimicus [k] male-
dicit mihi, [l] vt ſuſtineam: non is
qui odio habeat me, ſuper me magna
loquitur, [m] vt abſcondam me ab
eo.

14 Tu verò homo par mihi, dux
meus & notus meus.

15 Qui ſimul dulce capiebamus
conſilium, in domum Dei ambula-
bamus cum frequentia.
16 Decipiat mors illos, deſcendant
(in) [n] infernum viuentes: quoniam
nequitiæ in [o] habitaculis eorum, in
medio eorum.
17 Ego ad Deum clamabo: & Do-
minus ſaluabit me.

18 Veſpere, & mane, & meridie
[p] loquar, & tumultuabor: & exau-
diet vocem meam.

19 Redimet in pace animam
meam, [q] ne appropinquent mihi:
quoniam multi ſunt mecum.

20 Exaudiet Deus, & humiliabit
illos, qui eſt ante ſecula: non enim
(eſt) illis commutatio, & non ti-
ment Deum.
21 Extendit manum ſuam in co-
lentes pacem ſecum: violauit fœdus
ſuum.
22 Leniora erant butyro verba
oris eius, & bellum cor eius: mollio-
res erant ſermones eius oleo, & ipſi
ſtricti gladij.
23 Iacta ſuper Dominum [r] curam
tuam, & ipſe te ſuſtentabit: non da-
bit in æternum lapſum iuſto.

24 Tu verò, Deus, deijcies eos in
puteum; viri ſanguinum & [s] doloſi
non dimidiabunt dies ſuos: [t] ego
autem ſperabo in te.

k propter opprobris afficit me,
l vel & ſuſtinerem:
m & abſconderem
n vel ſepulchrum
o heb. *habitaculo*
p orabo,
q vel à bello (quod eſt) mihi
r prop. onus tuum,
s heb. *doli*
t vel & ego ſpero

13 *Quoniam ſi inimicus meus maledi-*
xiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique.
14 *Et ſi is, qui oderat me, ſuper me*
magna locutus fuiſſet: abſcondiſſem me
forſitan ab eo.

15 *Tu verò homo vnanimis, dux*
meus, & notus meus:

16 *Qui ſimul mecum dulces capiebas*
cibos: in domo Dei ambulauimus cùm
conſenſu.
17 *Veniat mors ſuper illos: & deſ-*
cendant in infernum viuentes.
18 *Quoniam nequitiæ in habitaculis*
eorum, in medio eorum.
19 *Ego autem ad Deum clamaui: &*
Dominus ſaluabit me.

20 *Veſpere, & manè, & meridie*
narrabo & annuntiabo: & exaudiet
vocem meam.

21 *Redimet in pace animam meam*
ab his, qui appropinquant mihi: quo-
niam inter multos erant mecum.

22 *Exaudiet Deus, & humiliabit il-*
los, qui eſt ante ſæcula.
23 *Non enim eſt illis commutatio, &*
non timuerunt Deum: extendit manum
ſuam in retribuendo.
24 *Contaminauerunt teſtamentum*
eius, diuiſi ſunt ab ira vultus eius: &
appropinquauit cor illius.
25 *Molliti ſunt ſermones eius ſuper*
oleum: & ipſi ſunt iacula.

26 *Iacta ſuper Dominum curam*
tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in
æternum fluctuationem iuſto.

27 *Tu verò Deus deduces eos, in pu-*
teum interitus.
28 *Viri ſanguinum, & doloſi non*
dimidiabunt dies ſuos: ego autem ſpera-
bo in te Domine.

COMMENT.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *NOn longè abſum à Kimhi aliorúmque Hebræorum ſententia, qui exiſtimant Dauidem hoc carmen edidiſſe, quum, audita Abſalomi filij tyrannide, Hieroſolymis exceſſiſſet, & aſcendenti per cliuum Oliueti montis, omnibus circa eum lacrymantibus, renuntiatum fuiſſet Achitophelem quoque inter coniuratos apud Abſalomum eſſe: quo vix aliud triſtius illi in hac calamitate accidit. Vide hanc hiſtoriam 2. Sam. 15. In hoc igitur carmine Dauid in ſummum adductus diſcrimen & miſerrimum rerum ſtatum ad Deum confugit: optat ſibi addi alas tanquam columbæ, vt in remotiſſimas terras poſſit aufugere, & in aliquod deſertum ſe recipere, vbi tutus ſit ab hoſtibus. Dein rogat Deum, vt turbet hoſtium conſilia, ſimul illorum mores & factionem deſcribens. In quendam præſertim, cum quo fuiſſet ipſi antea arctiſſima neceſſitudo, inuehitur, queritúrque ſe ab eo iniuriam pati, quo ductore vſus ſit, quicum conſilia ſuauiter contulerit, vnáque ædem Domini frequentarit. Illi, totique factioni ſubitam mortem imprecatur, affirmátque nunquam ceſſaturum Deum precari, donec fuerit liberatus, hoſtes verò euerſi, quemadmodum certò ſperat, ac futurum prædicit. Rurſus falſum ac fucatum illum amicum perſtringit, & perfidiæ accuſat. Denique pro epilogo ſe ſuóſque hortatur, ſuas omnes curas in Deum exonerent: certóque prædicit hoſtes perituros, neque medium vitæ tempus expleturos. Poteſt hic pſalmus ad tempora Saulis referri. Poteſt & myſticè de Chriſti paſſione exponi, ita vt quæ de Achitophele dicuntur, de Iuda Chriſti proditore intelligantur.*

1 *Didacticon.* Non ſemel explicata eſt hæc vox. Addã hoc ex Lyrano, Senſus eſt, quòd Dauid eruditus à Domino fecit hunc pſalmum ad eruditionem aliorum. Dico ego, Sæpius hoc vocabulum præfigitur ijs pſalmis, in quibus Dauid refert ſe diuinitus caſtigari: ſiquidem caſtigationum finis eſt eruditio: vnde Ieremiæ 31. 18. legitur, *Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus.* Notum illud παθήματα μαθήματα.

2 *Ne deſpexeris* &c. Ad verb. *ne te abſcondas à deprecatione mea*, hoc eſt, ne auerſeris preces meas, ne me ſupplicantem refugias.

3 *Lamentabor* ſeu *plangam.* Aliis *clamabo.* Aliis *vlulabo.* Menachem interpretatur *dominabor.* Verùm hæc ſignificatio videtur aliena ab hoc loco. *In querela mea*, vel ſimpliciter *in ſermone meo.*

4 *A voce inimici*, &c. En ratio poſterioris membri præcedentis verſus. *A voce inimici*, qui palàm dictitat non modò ſe velle me regno exuere, ſed vita etiam. Abſalom intelligit. *Quia conijciunt* &c. En altera ratio prædicti membri. *Conijciunt in me iniquitatem*, hoc eſt, me iniuſtitiæ apud populum damnant, atque in inuidiam vocant, Abſalom ſcilicet, & qui ab eius partibus ſtant. Hac arte vſus legitur Abſalom, quò ſibi populi ſtudia conciliaret, & *furaretur*, vt eſt 2. Sam. 15. 6. *cor virorum Iſraël.* Per ſingulos dies manè apud viam portæ regiæ aſtabat, ac ſi quis iuris petendi cauſſa Regem adibat,

A comiter appellabat, interrogatóque de cauſsâ, bonum & æquum habere aiebat, ſed qui eum audiret, à Rege quidem eſſe neminem. Secundus, 3. & 4. verſus videntur meliùs à Græco & Lat. diſtincti, quàm ab Hebræis. Vide tu, & conſidera.

5 *Et formido mortis* &c. hoc eſt, præſentiſſimæ mortis terroribus percellor.

6 *Timor* cordis, *& tremor* corporis. *Contexit.* Hoc verbo ſummum fuiſſe horrorem notat, quo totus veluti inuolueretur.

B 7 *Pennas ſicut columbæ.* Pennas columbæ optat, quoniam ea auis celerrimè volat. *Auolabo*, ſeu *auolarem* in alias terras. *Et requieſcam*, ſeu *requieſcerem.* Ita D. Hieron. Felix, Pagninus, & alij verterunt. Sed in Fonte propriè eſt *& habitabo*, ſeu *habitarem. Auolarem & habitarem*, hoc eſt, auolarem vbi ſecurus habitare poſſem.

8 *Elongabo (elongarem) fugam*, hoc C eſt, quàm longiſſimè aufugerem. *Manebo* ſeu *pernoctabo in ſolitudine*, hoc eſt, abderem me in aliquod deſertum.

9 *A ſpiritu procelloſo*, &c. hoc eſt, ab hoſtium furore atque impetu, qui eſt inſtar venti procelloſi omnia diſijcientis, atque euertentis. *Procelloſo.* Hebraicè eſt סֹעָה *ſoa*, quæ vox, vti monet Kimhi, ex loci circunſtantijs eſt exponenda: ſiquidem aliàs nunquam reperiatur. Sunt ex Hebræis qui hanc vocem explicent *profecto*, ſeu *proficiſcente*, quaſi ſit pro נֹסְעָה

Digitized by Google

noſea, benoni Kal à verbo נָסַע *naſa*, *pro-* A *fectus eſt*, hæcque ſit ſententia, *à ſpiritu profecto*, hoc eſt, excitato *à tempeſtate*, id eſt denique, à vento rapidiſſimo. Sic acceperunt Chald. Menachem, Ezra. Chald. quidem hunc locum ſic interpretatur, *à ſpiritu proficiſcente à tempeſtate*. Raſi putat vocem hanc explicandam eſſe ex prædicto verbo נָסַע *naſa*, in hiphil, vbi ſignificat *proficiſci fecit*, *tranſtulit*, *amouit*, quaſi ea voce ſignificetur ventus procelloſus, qui arbores eradicet. Ad huius mentem vertendum eſſet è verbo, *à ſpiritu amotionis*. B

10 *Perde Domine*, &c. Deum precatur vt Achitophelis, eiúſque ſimilium Abſalomi conſiliariorum conſilia turbet atque euertat, faciátque ne in dicendis ſententiis conſentiant, ſícque illorum coniuratio ſit irrita. Dauidem legimus 2. Sam. 15. 31. quum accepiſſet etiam Achitophelem mutatis ſtudiis in partes Abſalomi conceſſiſſe, precatum eſſe Deum his verbis, *Infatua, quæſo, conſilium Achitophel, ô Domine.*

Quoniam vidi, hoc eſt, ſcio, *iniuriam*, *& contentionem*, qua aduerſùm me conſpirarunt. C *In vrbe* Hieroſolyma.

11 *Circundant eam* iniuria & contentio, & quaſi milites armati in muris excubant. *Et iniquitas & labor*, quem mihi ſcilicet, & bonis omnibus faceſſunt, *in medio eius*. In hoc verſu & ſequente figura eſt, qua ſignificare vult omnem hoſtium vim in malis artibus eſſe poſitam.

13 *Quoniam non inimicus* &c. Reddit rationem vltimi membri præcedentis verſus, queritúrque de perfidia amicorum, D atque hoc verſu quidem, Enimuerò, ait, nunc iniuriam non patior ab iis, qui apertas inimicitias mecum antea exercuerint; quod ſi eſſet, æquo animo ferrem: neque aperti hoſtes nunc me tam acerbè exagitant; quod ſi eſſet, ab iis mihi cauerem.

Magna loquitur. Ad verbum *magnificat* ſup. loqui, vel, os ſuum. Vide ad verſ. 26 pſal. 35. Potes cum Chaldæo vertere *magnificat ſe* intranſitiuè, hoc eſt, ſe effert, inſurgit.

14 *Tu verò homo* &c. Per Apoſtrophen, in qua emphaſis ineſt multùm, ſummum E aliquem amicum, cuius perfidiam fuerat expertus, compellat. Ego cum Chaldæo, Kimhi, & aliis puto Achitophelem notari. *Par mihi*. Ad verb. *iuxta æſtimationem meam*, hoc eſt, iuxta Chald. *qui ſimilis mihi*, Syrum, *qui vt ego*: iuxta Raſi, eodem loco habitus, atque ego: vel, iuxta Ezram, quem ego tanquam me æſtimaui; & iuxta Kimhi, quem ego eodem loco habui, ac ſi paris mecum fuiſſet dignitatis: ſic ego te honorabam. Symmachus interpretatus eſt ὁμότροπος; Aquila ὁμότροπέ μοι, (etſi Euſeb. Ἀποδειξ. lib. 10. hoc Symmacho tribuit) id eſt, *ſimilis modi, ſtudij, voluntatis, animi*; Græcus vulg. ἰσόψυχε; Latinus haud infeliciter *vnanimis*. Ferre ſanè poteſt vox hebraica כְּעֶרְכִּי *ceerci*, iſtas interpretationes, & reddi ad verbũ *iuxta diſpoſitionem meã*. *Dux* ſeu *princeps meus*, hoc eſt, quem ego tanquam maiorem ac principem colui. Vel *dux* ſeu *princeps meus*, id eſt, vnus ex principibus & ducibus meis. Vtroque modo Kimhi, qui obſeruat fuiſſe Achitophelem vnum ex principibus, & principem regiorum conſiliariorum, iuxta illud 1. Paral. 27. 33. & 34. *Achitophel autem conſiliarius Regis, & Chuſai Arachites amicus Regis. Poſt Achitophel autem Ioiada filius Banaiæ, & Abiathar.* Sunt ex Hebræis qui אַלּוּף *alluph*, hoc loco pro *præceptore*, ſeu *doctore* accipiant, ac putent Achitophelem præceptorem Dauidis fuiſſe. In his eſt Chald. qui habet, *Tu verò Achitophel vir ſimilis mihi, præceptor qui docuiſti me, & oſtendens ſapientiam mihi.* Ad horum ergo mentem erit vertendum, *præceptor meus*. Poſſis vertere *ductor meus*, de cuius cõſilio ſcilicet agebam omnia. Nihil ſuſcepiſſe aut egiſſe Dauidem, niſi de Achitophelis ſentẽtia, qui fuerit prudentiſſimus, patet ex 2. Sam. 16. 23. vbi legitur, *Conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum: ſic (erat) omne conſilium Achitophel, & quum eſſet cum Dauid, & quum eſſet cum Abſalom.* *Et notus meus*, cui omnia cordis arcana patefeci, ſicuti amico fieri ſolet. Chaldæus qui pro hoc interpretatus eſt, *& oſtendens* (*ſcire faciens*) *ſapientiam mihi*, videtur aliis punctis legiſſe, quàm quæ hodie ſunt, nimirum מְיַדְּעִי *miiaddei*, id eſt, *ſcire faciens me*, pro מְיֻדָּעִי *miiuddai*, id eſt, *notus meus*.

15 *Qui ſimul dulce capiebamus conſilium*, ſeu *ſuauiter conferebamus ſecretum*, hoc eſt, Qui magna cum animi voluptate, vt inter amicos fit, de rebus ſecretis ſimul ſolebamus communicare conſilia. Achitophelis conſilio imprimis vſum Dauidem patet ex loco iam cit. 2. Sam. 16. 23. *In domum Dei* &c. hoc eſt, vnà, & in maxima populi frequentia, Domum Dei frequentauimus. *Domum Dei*. Locum Arcæ. *Cum frequentia*, hoc eſt, multo populo. Sic Raſi interpretatur בְּרָגֶשׁ *beraghesch*. Ezra & Kimhi exponunt *in ſocietate* vna, hoc eſt, vt puto, eodem comitatu. Chaldæus interpretatus eſt *in feſtinatione*, feſtinanter. Iudæi hodie in Synagogam feſtinanter currunt.

16 *Decipiat mors illos*, id eſt, hoſtes meos. Sẽs, Mors illos inopinãtes opprimat, & fruſtretur cõſiliis: quò pertinet illud quod mox

ſequitur, *deſcendant in infernum*, ſeu, *ſepulchrum viuentes*, hoc eſt, morte ſubita, vt Kimhi & alij exponunt; extinguantur. *Deſcendere in ſepulchrum* eſt mori. *Viuentes*, hoc eſt, non ſentientes ſe mori, ſed bene ſani & incolumes. Viuentes igitur mori dicuntur, qui nullo præcedente morbo ſubitò extinguũtur. Locus eſt Prouerb. 1. 12. qui hoc doceat, *Deglutiamus eos, ſicut ſepulchrum, viuentes, & integros*, (hoc eſt, robuſtos, & bona valetudinẽ vtentes) *quaſi deſcendentes in foueam*. Adi locum. Sic Ezech. 32. 27. *deſcendere ad infernum cum armis ſuis*, eſt pugnantem, ac tenentem arma cadere. Reſpicere hîc videtur ad pœnã ipſis Core, Dathan, & Abirom, atque ipſorum factioni inflictam, Num. 16. Cęterum hæc imprecatio & ſimiles non proficiſcuntur ab animo vindicandæ priuatæ iniuriæ cupido. Abſit enim vt de Dauide id veniat in mentem, qui quàm erga hoſtes etiam benignus fuerit, apparet ex ea clementia, qua vſus legitur erga Saulem, 1. Sam. 26. 11. & erga filium quantumuis ingratum & malitia inſignem, 2. Sam. 18. 5. Vota & imprecationes ſanctorum vim vaticiniorum obtinent, vóxque ſunt Spiritus ſancti ferentis vltimam ſententiam. Accedit quòd, cùm exemplo Domini, S. Stephani, & aliorum, pro iis qui ſanabiles ſunt, vota ſint facienda, econtrà pertinaces & deploratæ ſpei homines, tanquam hoſtes Dei, ſunt deteſtandi, omnibúſque diris deuouendi, exemplo Apoſtoli, qui 1. Corinth. vlt. fratribus ſalutem precatus, *Si quis*, ait, *non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, Maran atha.* Et ad Gal. 5. *Vtinam & abſcindantur qui vos conturbant.* Breuiter ſic cõcludo, Quod dicit hoc loco Dauid, non zelo vindictæ dicit, ſed zelo diuinæ iuſtitiæ. Iam ad rem reuertamur. *Decipiat* &c. Ad mentem R. Moſis vertẽdum eſſet, *Fœneret mors illis*, vt illorum animam accipiat, à radice נָשָׁה *naſcha*. Sed hoc coactum. Ex Kimhi, *Exigat (Deus) mortem ab ijs*, ab eadem radice. Ex aliis, ab eodem quoque themate, *Obliuionem inducat (Deus) mortis ſuper illos*, ita vt non cogitantes de morte ſubitò extinguantur, & deſcendant in ſepulcrum viuentes. Meliùs *Decipiat* &c. à radice נשא *naſcha*, quod vt cum ל aliàs reperitur conſtructum, ſic hîc cum עַל *al*, non abſurdè dicetur conſtrui. Vide, ſi vis, Lexica. *Quoniam nequitiæ ſunt* &c. Senſus, quoniam domus eorum, & ipſi vndique circunfluunt maleficiis. *In habitaculis eorum.* Ex Raſi & Ezra vertendum, *in diuerſorio eorum.* Pulcher erit ſenſus, quoniam ita ſunt facinoroſi, vt vbicumque pedem figunt, etiam in ipſis diuerſoriis, ſuæ nequitiæ exempla relinquant, omniáque loca malitia ſua infeſtent ac polluant. R. Moſes exponit *in ſocietate eorum.* Iure merito eos homines deleri cupit Dauid, quorum exemplum ac ſocietas tam pernicioſa ſit. Quod hoc verſu dicitur, impletum videtur in Abſalomo, qui, vt notum eſt, repentino caſu periit, 2. Sam. 18. in Achitophele etiam, qui dolore exploſi conſilij mortem vltro occupauit ac ſeipſum ſtrangulauit, 2. Sam. 17. 23. aut angina præfocatus eſt, vt quibuſdam Hebræorum placet, quemadmodum obſeruat in *Tisbi* Elias Leuita, ad rad. קֶבֶר. Mihi ex eo quòd loco Sam. cit. ſcribitur Achitophel ante mortem diſpoſuiſſe domum ſuam, & dediſſe familiæ præcepta, dubium non eſt quin ipſe ſibi mortem conſciuerit. Nihilominus tamen à morte dici poteſt deceptus, ac præuentus, quem vis doloris repentina in ſubitum conſilium occupandæ mortis coniecit. Vtut res ſe habet, deſcendit in ſepulchrum viuens, qui bene ſanus & incolumis manus ſibi attulit. Neque verò neceſſe eſt omnia, quæ hoc verſu dicuntur, ad Achitophelem refęrre. Certum eſt autem quamplurimos ex iſtâ factione inopina peremptos morte, præſertim cùm dicat Scriptura 2. Sam. 8. 8. *& multò plures erant quos ſaltus conſumpſerat de populo, quàm hi quos vorauerat gladius in die illa.* Cuius loci ſenſus eſt iuxta Chald. Raſi, Ralbagh, & alios, multò plures à feris diſcerptos ac deuoratos, quũ per ſyluã oberrarẽt, quàm gladio interfectos.

17 *Ego ad Deum clamabo*, hoc eſt, Nunquàm ceſſabo Deum precari, dum illi viui deſcenderint in infernum ſeu ſepulchrum. Vel, Ipſi magnas copias aduersùm me inſtruxerunt: ego autem vnius Dei opem implorabo, nec ipſe mihi deerit.

18 *Veſpere, & mane, & meridie* &c. Veſpera finis eſt diei, & initium noctis, mane initium diei, meridies medium diei: atque hæc ſunt tempora precum: homo ſiquidem precari Deum debet, quoties dies variatur. Hinc illud veterum Hebræorum, Neceſſe eſt hominem ter ſingulis diebus orare, quòd ter dies varietur. Dicit ergo, Singulis orationis temporibus loquar & tumultuabor ad Deum, & ipſe exaudiet vocem meam. Kimhi. *Tumultuabor.* Hoc verbo primùm anxietatem & conſternationem notat, deinde feruorem precandi, qui oriri ſolet ex anxio metu. *Et exaudiet.* Hebraicè, vt ſunt hodie puncta, *& exaudiuit*, quod tamen Kimhi pro futuro dictum vult, more prophetico.

19 *Redimet in pace animam meam*, hoc eſt, Liberabit me, pace mihi meóque re-

Digitized by Google

gno reſtituta. *Ne appropinquent mihi*, ac me attingant hoſtes. Sic ex Ezra. Chaldæus interpretatur, *ne appropinquet malum mihi.* Raſi & Kimhi exponunt *à bello (quod eſt) mihi.* *Quoniam multi ſunt mecum.* Senſus, etiamſi multi ſunt illi, plures tamen ſunt mecum. *Multi*, id eſt, Angeli, ex Ezra, qui exempli cauſſa adducit illud Eliſæi, 2. Reg 6. 16. *plures enim qui nobiſcum (ſunt,) quàm qui cum illis.* Idem Ezra, & alij notant ב in vocabulo בְרַבִּים *verabbim*, abundare, adferúntque ſimile exemplum ex Prouerb. 9. 5. *Venite, comedite* בְלַחְמִי *velachmi, panem meum:* quod tamen haud incommodè reddi poteſt, *de pane meo*, ſicut & quod ibi ſequitur, *& bibite* בַיַּיִן *biiajn, de vino, (quod) miſcui.* Ad mentem Kimhi, & aliorum vertendum, *quoniam in (cum) multis ſunt aduerſùm me*, hoc ſenſu, quoniam ipſi cum multis pugnant aduersùm me: mihi verò pauci ſunt comites: ac ſolus Deus me ab illis, eorúmque poteſtate redimet. Sic ferè Kimhi. Symmachus poſtremo modo accepit, ac vertit πολλοὶ γὰρ ἐγένοντο πρὸς με. Sic D. Hieron. *multi enim fuerunt aduersùm me.* Sic Felix, *quoniam cum multis fuerunt aduerſum me.* Chald. [illegible], *quoniam in multis anguſtiis fuit verbum eius in auxilium meum.* Hæc interpretatio facilè efficeretur ex Hebræo, legendo הָיָה *haia, fuit,* vbi הָיוּ *haiu, ſunt*, vel *fuerunt.* Optimè flueret ſenſus, Redimet me, ſpero, nunc, atque in integrum reſtituet, quoniam iam aliàs ſæpe illum vindicem ac defenſorem habui.

20 *Exaudiet Deus* vocem meam, *& humiliabit (deprimet) eos.* *Qui eſt ante ſecula.* Optimè ad ſenſum. Ad verbum eſt, *& manens*, ſeu, *ſedens ab initio*, hoc eſt, ille, inquam, qui ab æterno exiſtit, qui eſt ante omnia, & poteſt extollere ac rurſus deprimere quos vult. Verbo *ſedendi* Deum, vt iudicem, videtur pingere. *Non enim (eſt) illis commutatio*, heb. *commutationes*, &c. hoc eſt, iſti enim ſui ſimiles eſſe pergunt, nec mores mutant, & omnem Dei timorem abiecerunt. Sic hoc accipiunt quidam ex Hebræis. Potes vertere, *quibus non (ſunt) mutationes*, ſeu *viciſſitudines*, &c. hoc ſenſu, Deus deprimet iſtos, qui profectò nullam fortunæ viciſſitudinem experiuntur, ac nihil in vita mali vident, ideóque putant ſe perpetuò beatos futuros, ac ſecuri viuunt, non cogitantes ſe Deo eſſe obnoxios. Sic Kabuenaki, & alij. Si ſequi vis Kimhi, vertendum erit, *cui (ſcilicet Deo) non (ſunt) mutationes*, hoc eſt, qui non poteſt mutari, ideóque perficiet erga me id quod decreuit, nec ſemper patie-

A tur hoſtes eſſe me ſuperiores: *& non timent Deum*, qui mihi adeſt, poteſtque illos deprimere atque euertere. Kimhi probat לָמוֹ *lamo*, eſſe pro לוֹ *lo*, ex verſu 2. 22. Iob, vbi עָלֵימוֹ *alemo*, pro עָלָיו *alau, ſibiipſi:* necnon verſu 7. Pſal. 11. vbi פָּנֵימוֹ *phanemo*, pro פָּנָיו *phanau, vultus eius.*

21 *Extendit manum ſuam*, heb. *manus ſuas* &c. Iterum ex Raſi, & Kimhi perſtringit autorem & caput conſpirationis, nempe Achitophelem, quem perfidiæ damnat, & violati fœderis. Ezra de vnoquoque

B ex hoſtibus hoc intelligit, ſicut & quod dicitur verſu 14. *Extẽdit manum ſuam*, hoc eſt, vim intulit, manus attulit. *In colentes pacem ſecum*, & amicitiam, nempe me & meos comites. Alij interpretantur *in paces ſuas*, id eſt, in hominẽ, qui cum illo pacem coleret, nempe me. Sic Kimhi, qui obſeruat hîc dici *paces ſuas*, quo modo pſal. 109. 4. dicitur, *& ego oratio*, hoc eſt, vir orationis. Kimhi tamen priore etiam modo accipit. *Paces ſuas* dicitur emphaticῶs in numero multitudinis ad omnimodam pacem

C exprimendam. Potes cum Ezra interpretari *in paces ſuas*, hoc eſt, in viros pacis ſuæ, de pluribus. *Fœdus ſuum*, hoc eſt, fœdus amicitiæ mecum initum.

22 *Leniora erant* &c. Pulchrè depingit inſidioſas pacis & amicitiæ ſimulationes *Verba oris eius*, ad verb. *os eius*, hoc eſt, figura Poëtæ haud incongrua, *verba oris eius:* verbum enim eſt plur. num. *Et bellum*, vel *(ad) bellum cor eius.* Potes vertere *Lenia erant butyrina oris eius.* *Butyrina*, hoc eſt, verba eius

D blanda & inſtar butyri mollia. Galli dicunt *paroles emmiellées.* Mihi videor poſſe commodè vertere, *Lenia erant, (vt) butyrina, verba oris eius.* *Butyrina*, id eſt, res butyro madentes. Ergo מַחְמָאֹת *machamaoth*, in duabus poſtremis verſionibus erit nomen toar heemanticum à חֶמְאָה *chema*, quod eſt *butyrum.* Vertit Pagninus *Lenierunt magis quàm butyra os ſuum.* Sed non animaduertit ipſe dici פִיו *piu*, *os ſuum*, in ſing. non פִּיהֶם *pihem*, id eſt, *os eorum* vel

E *ſuum* in plur. hócque & præcedente verſu de vnico agi. Neque hoc vidit Arias Montanus. In Latino *diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius.* Eodem ferè modo in Græco. Quam verſionem tuentur Genebrardus, & Bellarminus. Ac Genebrardus quidem, quo eſt ingenio, affirmat Maſſoretas ſatis incommodè notaſſe מחמאת & וּקְרָב. Nam, inquit, ſecutis interpretibus crearunt difficultates, quas ſine ecclipſibus & aliis figuris non concoquerent. Vellet מֵחֲמַת *mechamath*, i. *ab ira*, à rad. יָחַם *iacham, caluit*, א interpoſito

Digitized by Google

per Epentheſin vel protractionem, nec- A
non וְקָרַב *vekarau*, *& appropinquauit*, pro *machamaoth*, & *vkrau*, vel, iuxta alios, *vkrou*, aut *vkarou*. Tu pro candore animi iudica. Ioan. Baptiſta Folengius, Mantuanus, Monachus Caſſinas, Hebræorum litteram huius verſus veriorem appellat, imò, quòd putaret Vulgatam latinam ex Hebræo nulla ratione effici poſſe, non dubitat affirmare, videri totam illam verborum coaceruationem, (nimirum *diuiſi ſunt ab ira vultus eius; & appropinquauit cor illius*) quam noſter accumulat Interpres, à neſcio quo additã. *Stricti gladij*. Vocem פְּתִיחוֹת *pethichoth*, Kimhi gladios inter- B
pretatur, Ezra acutos, aut ſtrictos gladios: Chald. ſpicula ſeu lanceas.

23 *Iacta* (*Proijce*) *ſuper Dominum* &c. Poſt multas querelas ſubijcit nunc epilogi loco concluſionem hortatoriam, qua ſe, ſuóſque iubet omnes ſuas curas ac ſollicitudines in Deum reijcere atque exonerare. *Curam tuam*. Ad verb. *onus tuum*, id eſt, quicquid tibi eſt oneri, quicquid te malè habet. *Et ipſe te ſuſtentabit*, ſeu *portabit*, nec patietur oneri ſuccumbere: portabit te, atque onus tuum. *Curã tuam* ſeu *onus tuum*. Ex quorundam Hebræorum ſententia vertendum, *dedit tibi*, hoc C
ſenſu, *Proijce ſuper Dominum* (*quod*) *dedit tibi*, onus quod tibi impoſuit: vel iuxta R. Moſem, *Proijce* (*teipſum*) *ſuper Dominũ*; *dedit tibi* panem hactenus, *& ipſe te enutriet* in poſterum, verbo יְכַלְכְּלֶךָ *iechalcelecha*, eandem ſignificationem hîc obtinente, atque Gen. 47. 12. Negat Ezra hoc argumento Pſalmi conuenire. Chaldæus tamen poſteriore modo accepit, & hunc totum verſum ſic interpretatus eſt, *Proijce ſuper Dominum ſpem tuam*, vel *onus tuum*, *& ipſe te enutriet: non dabit in æternum egeſtatem iuſtis*. Græcus quoque & Latinus verterunt *te enutriet*. *Non dabit in æter-* D
num &c. Duplex huius loci ſenſus eſſe poteſt, non ſinet vnquam labi aut nutare iuſtum: vel non patietur innocentem perpetuò iacêre, ſi lapſus fuerit, aut ſemper ac diu nutare, ſed illum ſtatim eriget, ac confirmabit. Mallem accipere priore modo, & magis eſt in promptu. Nunquam verè labuntur, aut cadunt iuſti, ac ne nutant quidem. Vide quid ſimile ad verſ. vlt. pſ. 15.

24 *Tu verò, Deus, deijcies eos* &c. Subita Apoſtrophe ad Deum, quâ hoſtibus exitium prædicit. *In puteum interitus*, ſeu, *corruptionis*, *ſepulchri*, aut *foueæ*. Vox שַׁחַת *ſchachath*, poteſt ſignificare *perditionem*, *corruptionem*, vel, *ſepulchrum*, in quo cadauer corrumpitur, à verbo שִׁחֵת *ſchicheth*, *perdidit*, *corrupit*: vel *foueam*, locum ſcilicet inclinatum & demiſſum, in quem qui incidunt, perduntur, ab eodem verbo, vel à verbo שׁוּחַ *ſchuach*, quod eſt *inclinari*. Quoquo modo vertas, intellige *ſepulchrum*, vel *infernum*. Chaldæus interpretatus eſt *gehennam profundam*. *Viri ſanguinum* &c. Hæc verba generalem continent ſententiam ſeu theſin accommodandam ad propoſitum, ac reuocandam ad hypotheſin, ſic, *viri ſanguinum* &c. quales ſunt mei hoſtes, *non dimidiabunt dies ſuos*. Potes tamen ſic accipere, *viri ſanguinum* &c. id eſt, iſti, qui ſunt ſanguinarij &c. quaſi hoſtes demonſtret, ac ſignificet. Eſt Iob 36. ſententia, quæ hunc locum non parum illuſtret: *Si audierint & ſeruierint, conſument dies ſuos in bono, & annos ſuos in delectationibus. Si autem non audierint, tranſibunt per gladium, & expirabunt ſine ſcientia*, hoc eſt, ſubitò extinguentur, ac morientur inopinatè, *ſans y penſer*. Et paulò poſt, *Morietur in adoleſcentia anima eorum, & vita eorum inter cinædos*, hoc eſt, ea ætate, in qua adhuc cinædi eſſe poſſent. *Non dimidiabunt* &c. hoc eſt, non explebunt tempus ſuum, imò nec medium vitæ tempus attingent, ſed immatura morte rapientur. Immaturam mortem Hebræi vocant כָּרֵת *cereth*, *excidium*, quum quis viceſimum inter & ſexageſimum annum à Deo è medio tollitur, relictis tamen liberis. Illud porrò *non dimidiabũt dies ſuos*, non eſt accipiendũ mathematicè, quẽadmodum hîc obſeruat Card. Bellarminus, id eſt, nimis ſubtiliter; ſed eſt modus loquendi, quo vitæ breuitas ſignificatur. Idem iudicium de ſimilibus locis.

Ego autem ſperabo, hoc eſt, ſpero ac ſperabo, pro more. *In te*: te nimirum facturum vt expleam meum tempus, libertate ac regni tranquillitate reſtitutâ. Verte, ſi vis, *& ego ſpero in te*, nempe quòd deijcies eos in ſepulchrum, vel, infernum, antequam medium vitæ ſpatium peregerint.

Digitized by Google

PSALMVS

LVI. LV.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI, ſuper Ionath elem rechokim, David Michtam, quum tenuerunt eum [a] Al-
a Palaſtini
lophyli in Geth.

2 Miſerere mei Deus, quoniam ab-
b vel omni ſorbet me homo: [b] tota die impu-
c opprimit gnans [c] tribulat me.

3 Abſorbent (me) inimici mei
d omni [d] tota die: quoniam multi bellantes
aduersùm me, ô Excelſe.

4 (Quacúmque) die timebo, ego
in te ſperabo.

5 In Deo laudabo verbum eius, in
e ſperabo Deo [e] ſperaui: non timebo quid fa-
ciat mihi caro.

f Omni 6 [f] Tota die (propter) verba mea
dolore afficiunt: aduersùm me omnes cogitationes eorum in malum.

7 Conueniunt, abſcondunt ſe, ip-
g veſtigia mea ſi [g] calcaneum meum obſeruant:
dum expectant animam meam.

8 Super iniquitate euaſio illis? in
ira populos deijcies, Deus.

9 Fugas meas numeraſti tu; pone
lacrymas meas in vtre tuo: nónne in
libro tuo (ſunt?)

VETVS.

IN finem, pro Populo, qui à Sanctis longè factus eſt, Dauid in tituli inſcriptionem, cùm tenuerunt eum Allophyli in Geth.

2 *Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me.*

3 *Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduerſum me.*

4 *Ab altitudine diei timebo: ego verò in te ſperabo.*

5 *In Deo laudabo ſermones meos, in Deo ſperaui: non timebo quid faciat mihi caro.*

6 *Tota die verba mea execrabantur: aduerſum me omnes cogitationes eorum, in malum.*

7 *Inhabitabunt & abſcondent: ipſi calcaneum meum obſeruabunt.*

8 *Sicut ſuſtinuerunt animam meam, pro nihilo ſaluos facies illos: in ira populos confringes.*

9 *Deus, vitam meam annuntiaui tibi: poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.*

Digitized by Google

10 *Sicut & in promiſſione tua: tunc conuertentur inimici mei retrorſum:*
11 *In quacumque die inuocauero te: ecce cognoui quoniam Deus meus es.*

12 *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermonem: in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo.*

13 *In me ſunt Deus vota tua, quæ redd m, laudationes tibi.*

14 *Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu: vt placeam coram Deo in lumine viuentium.*

10 Tunc conuertentur inimici mei retrorſum, in die (qua) inuocabo: [h] ecce cognoui, quòd Deus [i] meus (eſt.) h heb. *hoc* i heb. *mihi.*

11 In Deo laudabo verbum: in Domino laudabo verbum.
12 In Deo ſperaui: non timebo quid faciat mihi homo.
13 Super me (ſunt) Deus vota tua: reddam laudationes tibi.

14 [l] Quoniam eripuiſti animam meam à morte, [m] & pedes meos à lapſu: vt ambulem coram Deo in lumine viuentium. l vel *Quòd* vel *Quoniam eripueris* m vel *nonne*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *Hiſtoria, quam indicat titulus, narratur 1. Sam. 21. Talis eſt ferè. Dauid à Ionatha certior factus de implacabili Saulis odio, ſe in vrbem Geth contulit, apud quam tum regnabat Achis. Ibi agnitus ſtatim à Regis miniſtris; & ad Regem adductus, admonitum hunc eſſe Dauidem hoſtem Palæſtinorum infeſtiſsimum. Dauid igitur ſibi à Rege metuere, & ſtultitiam ſimulare, quò ipſum falleret: ſed præſertim ad Deum confugere. Tum itaque preces, quæ hoc pſalmo continentur, ad Deum fudit, quibus primo quidem loco ſeruari ac defendi petit ab hoſtium crudelitate, ſimul exponens periculi magnitudinem. Miſcet poſtea conſolationem à fide, quam Deo habet, petitam. Mox iterum de hoſtium iniurijs & inſidijs queritur, Dei opem aduersùs illos implorans. Rurſus ſpem & fiduciam in Deo ſuam prædicat. Poſtremò tanquam perfunctus periculis eſſet, Deo gratias agit, quod illi eſt familiare.*

1 *Super Ionath* &c. Ego cum Ezra exiſtimo hæc verba, *Ionath elem rechokim*, initium fuiſſe tritæ cantilenæ, ad cuius modos hic pſalmus fuerit decantandus. Alij, in quibus Raſi, exponunt, *ſuper columba taciturnitatis (in) remotis*, ac volunt Dauidem ſic ſeipſum vocare, quòd tunc eſſet procul à terra Iſraëlitica apud Achis, à quo fratres ipſius Goliath peterent, vt ſibi illum liceret occidere, ideóque ſic tanquam muta columba eſſet inter illos. Kimhi vult ſeipſum Dauidem mutæ & procul fugatæ columbæ comparare, quòd inter Palæſtinos metu periculi coactus fuerit obmuteſcere, hoc eſt, vt ipſe quidem explicat, loqui, non ſicuti virum ſapientem decebat, ſed vt ſtultum ac inſanum: ideóque tunc ſeipſum columbam mutam nominarit, quòd ſe nihilo ſapientiorem præbuerit, quàm eſt columba, quæ, vt eſt Oſ. 7. 11. *fatua eſt, non habens cor.* Sic ferè Kimhi. *Michtam.* Vide ad verſ. 1. pſal. 16.

A

2 *Abſorbet me*, hoc eſt, abſorbere me vult: inhiat ad me deuorandum, hanc enim vim obtinet verbum שָׁאַף *ſchaaph.* Græcus & Latinus habent *conculcauit me*, Chald. *contriuit me ſub ſe.* Videntur ſignificationẽ deſumpſiſſe à verbo שׁוּף *ſchuph*, quod eſt *conterere.* Simile prorſus tibi occurret pſ. ſeq. verſu 4. *Homo.* Tum Saul, & eius aulici, à quibus fugiebat Dauid, tum Achis, & Philiſtæi, ad quos confugerat.
3 *Abſorbent*, hoc eſt, Abſorbere conantur, inhiant ad abſorbendum. Chald. habet *Cõterunt oſſa mea.* *Quoniam.* Mallem *certè.* *O Excelſe*, ô qui è cælis vides omnia, & qui fortis es in excelſo. Potes reddere, ô *Altitudo.* Chald interpretatus eſt, *Deus ſupreme, cuius ſolium in excelſo.* Græcus & Latinus pro מָרוֹם *marom*, legerunt מֵרוֹם *merom*, hoc eſt, *ab altitudine*, hîcque verſus initium fecere, coniungentes cum ſequente nomine, hunc in modum, *Ab altitudine diei timebo*, id eſt, iuxta Lyranum, qui tamen lectionem hebraicam magis probat,

B

Digitized by Google

tempore altæ diei, quia fugitiui, inquit,
qualis erat Dauid, magis timent de die,
quàm de nocte, quia non poſſunt ita de
facili ſe abſcondere & euadere de die ſi-
cut de nocte. In Græco eſt negatio οὐ φοβη-
θήσομαι, ſed quam D. Hieron. ſuperaddi-
tam eſſe affirmat in epiſt. ad Suniam &
Fretellam. Idem Hieron. in ſua verſione
Pſalmorum diſtinxit, ſicuti Hebræi di-
ſtinguunt.

4 *Quacunque die timebo*, &c. Nunc ſe
munit aduerſus imminentia pericula ſpe
certiſſima auxilij diuini. Certum eſt, in-
quit, nunc, & quoties metus mihi aliquis
iniectus erit, non ſuccumbere timori, ſed
me totum, meáque omnia tibi vni cre-
dere.

5 *In Deo laudabo verbum eius*, hoc eſt,
Deum laudabo propter verbum eius, quo
mihi per Prophetam Samuelem Iſraëlis
regnum pollicitus eſt: Dei promiſſum præ-
dicabo atque extollam: nam, ſat ſcio, non
erit irritum: ac licet vndique hoſtes in
meam necem conſpirent, nec vllibi tutus
ſit ad habitandum locus, *in Deo ſperaui*,
ſeu, *ſperabo: non timebo* &c. Hoc ferè ſen-
ſu interpretantur Ezra & Kimhi. Accipere
ſic aliquis poſſit, vt dicat, *In Deo laudabo
verbum eius*, &c. hoc eſt, Dei ſumma eſt in
dictis fides, quam ego ſemper prædicabo:
in Deo fides à me laudanda maximè: id-
circo certò ſpero Iſraëlis regnum, quod
mihi pollicitus eſt, conceſſurum, quic-
quid aduerſùm me moliatur mortale ho-
minum genus. In hoc ſenſu generalis ve-
luti erit ſententia in illis verbis, *In Deo
laudabo verbum eius*, quaſi diceret, Dei
maxima eſt fides, ideóque iure merito lau-
dāda. *Caro*, hoc eſt, hoſtes mei, qui, vt eſt
Eſa. 31. 3. *homines (ſunt,) & non Deus*; *&
equi eorum caro, & non ſpiritus*. Alij ita ac-
cipi volunt hoc, *In Deo laudabo verbum
eius*, quaſi dicat, Cum Deo in bonam
partem accipiam, & prædicabo non ſine
gratiarum actione, quicquid aduerſi mihi
eius voluntate & permiſſu acciderit. In hoc
ſenſu *verbum* erit pro re, & facto, quod in-
terdum ſignificat, vt annotatum eſt ad verſ.
4. pſal. 33. Hanc ſententiam ſequuti ſunt
Chald. & Raſi.

6 *Tota (Omni) die* &c. Rurſus de ho-
ſtium iniuriis queritur. In ſummo dolore
variæ ſunt affectuum vices, ac ſubiti fiunt
motus animorum. Nunc metus & triſtitia,
nunc ſecuritas & lætitia; mox iterum re-
currit metus, móxque ſecuritas: quod in
hoc pſalmo videre eſt. *Totà*, ſeu, *Omni
die (propter) verba mea*, quibus ſpem,
quam habeo in te, prædico, *dolore afficiunt*
me inimici. Sunt qui exponant, ſed duriùs,

A *Tota*, ſeu, *Omni die verba mea*, hoc eſt,
res meas, *dolore afficiunt*, ſeu *contriſtant*,
id eſt, rebus meis dolorem & moleſtiam
afferunt, ſeu, res meas graues ac moleſtas
efficiunt mihi hoſtes. Alij exponunt *verba
mea* in nom. caſu, hoc eſt, res meæ *dolore
afficiunt (me,)* Vern. *mes affaires m'affli-
gent; m'attriſtent*, quaſi queratur Dauid
omnia ſibi peſſimè & infeliciter cedere. Sed
hæc expoſitio non ſatis videtur quadrare ad
ſequens membrum, quod loquitur de
hoſtibus. Alij vertunt, *Totâ*, ſeu *Omni die*
B *verba mea elaborant*, ſeu, *arte fingunt*,
hoc eſt, detorquent, ac deprauant: quic-
quid dico vel facio detorquent, quò me
odioſum reddant. Verbum עָצַב *itstseu*,
pro *fingere* ſeu *elaborare* vſurpatur Iob 10.
8. vbi, *Manus tuæ finxerunt me*, Græ-
co ἔπλασαν με, Lat. *plaſmauerunt me*,
&c.

7 *Conueniunt*, *abſcondunt ſe*, id eſt,
Coëunt occultè: vel, Coëunt & occultè
inſidiantur. *Conueniunt*. Ezra pro
יָגוּרוּ *iaghuru*, legit יָגוּדוּ *iaghoddu*, hoc eſt,
Turmatim conueniunt, ד pro ר. Idem eſt
C ſenſus. Verùm hinc apparet non eodem
ſemper modo legere Iudæos. *Calcaneum
meum*, in Fonte *calcaneos meos*, ſeu *veſtigia
mea*. *Dum expectant animam meam*, hoc
eſt, id vnum expetentes, vt vitam mihi
eripiant. *Expectant animam meam*: expe-
tunt vitam meam.

8 *Super iniquitate euaſio illis?* Hoc ad-
miratiuè & interrogatiuè ex Kimhi & aliis
ſumi debet, perinde ac ſi dicat, Num ſuper
iniquitate, quam in me exercent, erit illis
euaſio, id eſt, Num pœnam iniquitati de-
D bitam effugient? Non: ſed *in ira populos*,
id eſt, Iſraëlitas & Philiſtæos, *deijcies*, ſeu,
deijce, Deus. Sic autē ex Ezra exponi poteſt,
Propter iniquitatem illorū *euadere (me) fac
illis* in dandi caſu: &c. Vernaculè *faites que
i'eſchappe à iceux*. In Fragm. Symmachi in
hanc ſententiam reperi, Διὰ τὴν ἀδικίαν
ῥῦσον ἀπ' αὐτῶν. Sunt qui vertant, *Propter
iniquitatem eijce*, ſeu *elonga illos: in ira* &c.
Optimè profectò, ſi פַּלֵּט *pallet*, ſignificat
eijce, elonga, quam ſignificationem Kim-
hi in lib. Rad. non omnino reſpuit. Chal-
E dæus pro hac interpretatione facit, qui ha-
bet, *Propter mendacium, (perfidiam) quod
(eſt) in manibus eorū, euacua illos.* *Super
iniquitate* &c. Græcus & Lat. habent, *pro
nihilo ſaluos facies illos*, qui pro אָוֶן *auen*,
id eſt, *iniquitas*, legerunt אַיִן *aijn*, id eſt,
nihil. De ſenſu horum verborum legantur,
qui in Vulgatam commentati ſunt. D.
Hieron. eodem modo legit, qui vertit,
Quia nullus eſt ſaluus in eis. *Deijcies*. In La-
tino *confringes*. D. Hieronymi de hoc verbo

Digitized by Google

iudicium audiamus in epiſt. ad Suniam: *Pro eo*, inquit, *quod eſt deijcies, i.* καταβαλεῖς, *malè error obtinuit,* κατάξεις *i. confringes: nam & in Hebraico* תורד *habetur, i.* καταβίβασον*: quod nos poſſumus dicere, depone, & Sym. interpretatus eſt* κατασεῖσαι. Sic D. Hieron. qui quum κατάξεις, quod eſt in Græco, reddit *confringes*; falſus mihi videtur. Crederem enim potiùs eſſe exponendum *deorſum ages*, vt ſit futurum à κατάγω, non à καταγνύω; ac ſic non malè erit in Græco, vt ipſe putat.

9 *Fugas meas*, ad verb. *Fugam meam*, ſing. pro plur. *numeraſti tu*, hoc eſt, Tu ſcis ac veluti in numerato habes omnes diſcurſationes meas. *Fugas meas*. D. Hieron. vertit, *Secretiora mea*. Legit nimirum סֹדִי *ſodhi*, pro נֹדִי *nodhi*. *Pone lacrymas meas in vtre tuo*, in Græco & Lat. *in conſpectu tuo*, eodem ſenſu: nam hoc nihil aliud eſt, quàm, ne patere lacrymas meas inaniter in terram excidere, ſed eas diligenter aſſerua, ac veluti in vtres recollige, hoc eſt, eſto memor mearum lacrymarum. Hîc metaphora eſt ducta ab aqua, vino, oleo; quæ apud Orientales in vtribus aſſeruabantur. Obſerua cum Ezra elegantem eſſe paronomaſiam in voce נֹדִי *nodhi, fugas meas*, & נֹאדֶךָ *nodhecha, vtre tuo*. *Nonne in libro tuo (ſunt?)* Senſus, quid precor te, vt lacrymas meas memineris, qui certò ſciam te illas in commentarios retuliſſe, ne vnquam obliuiſci poſſis? Hîc quoque metaphora à communi conſuetudine hominum ſumpta, qui quæ meminiſſe volunt, annotant. Similis figura eſt Mal. 3. 16. *& attendit Dominus; & audiuit; & ſcriptus eſt liber monumenti (memoriæ) coram eo timentibus Dominum, &c.* *Nonne.* הֲלֹא *halo*, particula eſt vehementer aſſeuerans, q. d. certiſſimè. *In libro tuo.* Ex Raſi & alijs vertendum *in numeratione tua*, hoc ſenſu, nonne etiam lacrymas meas in numerato habes?

10 *Tunc conuertentur inimici mei* &c. Videtur certum tempus deſignare, quo tempore intelligebat hoſtes eſſe euertendos: dicit enim *in die (qua) inuocabo*, id eſt, quo tempore malis preſſus Dei opem inſtanter ac ſumma vi implorabo. Potes hoc generaliùs accipere, quaſi dicat, Retrò agentur hoſtes mei, quotieſcumque Deum inuocauero: vt ſic nimirum loquatur, non quòd mox ad illius preces hoſtes caderent, aut caſuri eſſent, ſed quòd certò ſciret Deum, qui nunquam ſuorum fruſtratur vota, ſi non eo momento, quo precabatur, certè ſuo tempore tandem hoſtes euerſurum. *Deus meus*, ad verb. *mihi (eſt,)* hoc eſt, à partibus meis ſtat.

11 *In Deo laudabo* &c. Hoc & ſequente verſu repetit id, quod dixerat verſu quinto, quò ſcilicet oſtendat, quàm certus ſit de promiſſo Dei, magiſque ſuam fiduciam teſtetur. Vide quæ diximus ad verſum 5. Kimhi laudat hîc patrem ſuum explicantem hunc in modum: בֵּאלֹהִים *belohim*; *In Deo*, quod eſt מִדַּת הַדִּין *middath haddin*, id eſt, attributum ſeu nomen iudicij, & בַּיהוָה, quod eſt מִדַּת הָרַחֲמִים *middath harachamim*, i. attributum ſeu nomen miſericordiarum: q. d. De bono & malo laudabo verbum Dei Opt. Max. ac prædicabo illud. Huc denique redit hæc ſententia; Si mala mihi contingant, benedicam Deo vero ac iuſto iudici: ſi bona, laudabo Deum, qui bonus eſt, & benefacit. Eodem modo accepit Raſi, ſequutus, vt ſolet, Chaldæum, qui habet hîc, *In attributo iudicij Dei laudabo verbum eius: in attributo miſericordiarum Domini laudabo verbum eius.* Alicubi in Midras reperire eſt ſimile quid.

13 *Super me (ſunt) Deus* &c. Dauid plenus ingentis ſpei & fiduciæ in Deo, adhuc in mediis periculis, quaſi extra pericula eſſet, Deo gratias agit de ſua ſalute, gloriatúrque accinctus æquè, vt diſcinctus; quod ſæpe aliàs facit in Pſalmis. (1. Reg 30. 11.) Qua de re vide quæ diximus ad verſ. 16. pſ. 10. & ad verſ. vlt. pſal. 13. Poteſt hæc gratiarum actio tamen ſic accipi, vt dicat, Tunc poſtquam me ex periculis eripueris, vota perſoluam, ac prædicabo palàm, *Quòd eripueris animam meam* &c. vel laudabo te *Quoniam eripueris* &c. Vide ſimile quid ad verſ. vlt. pſal. 13. *Super me, Deus, (ſunt) vota tua*, hoc eſt, Vota, quæ tibi in hoc exilio nuncupaui, perſoluenda mihi ſunt, aut erunt, ſi in poſteriore ſenſu gratiarum actionem accipias. *Reddam laudationes tibi.* Kimhi per תּוֹדוֹת *todhoth*, intelligit ſacrificia confeſſionis ſeu laudationis, vel gratiarum actionis, quæ ſcilicet homo accepto beneficio, aut liberatus periculo Deo offerebat ad declarandam ſuam erga illum gratitudinem. Huius generis ſacrificium qui offerebat, Deo gratias agebat, eius bonitatem ac clementiam prædicabat, & ab eo beneficium accepiſſe ſe, aut liberatum eſſe ingenuè agnoſcebat, ac palàm profitebatur.

14 *Animam meam*, id eſt, vitam meam, vel, me, *ma perſonne*, vt aliàs ſæpe. Vide ad verſ. 5. pſal. 6. verſ. 30. pſal. 22. *Vt ambulem coram Deo* &c. id eſt, vt adhuc te colere, tibi ſeruire in hac vita poſſim. Docet in quẽ vſum debeat eſſe hæc vita. *Ambulare coram Deo* nihil aliud eſt, quàm Deo ſeruire, ac miniſtrare, aut eius mandata

Digitized by Google

exequi, ac ſic viuere quaſi corã Deo verſe-ris. Gen. 17. 1. *Ambula corã me, & eſto perfectus*, hoc eſt, iuxta Chald. *Serui corã me*: iuxta Raſi, Adhęre cultui meo. 1. Sam. 2. 30. *domus tua, & domus patris tui ambulabunt coram me*, hoc eſt, miniſtrabunt in conſpectu meo, quemadmodum Chald. & Latinus exponunt; & clarius eſt, quàm vt egeat declaratione. 1. Reg. 9. 4. *Tu quoque ſi ambulaueris coram me, ſicut ambulauit Dauid pater tuus in perfectione cordis, & in æquitate, faciendo ſecundùm omnia quæ præcepi tibi: ſtatuta mea, & iudicia mea ſeruaueris.* *Ambulare ad Deum* idem eſt. Iob 34. 23. *Quoniam non poſuit ſuper virum quod futurum eſt, vt ambulet ad Deum in iudicio*, hoc eſt, vt Vatablus explicat, Deus non commiſit homini futura, ſed ea ſibi reſeruauit, vt iuſtè coram Deo verſetur. *Ambulare cum Deo* idem. Gen. 5. 22. *Et ambulauit Henoch cum Deo*, hoc eſt, ſicuti explicat Eccleſiaſticus c. 44. 15. *placuit Deo*: vel, vt interpretatur Chald. *ambulauit in timore Domini*. Gen. 6. 9. *Noë vir iuſtus, perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit.* *In lumine viuentium*, ſeu *vitæ*. Intellige hanc vitam, quæ Latinis lux ſeu aura vitalis, necnon lux abſolutè appellatur: vnde vulgò dicunt *lucem intueri* pro vita frui. Pſalmo 116. cuius idem pene epilogus atque huius, pro *in lumine viuentium*, legitur, *in regione* (heb. *terris*) *viuorum*; quod quidem clarè docet quid hoc loco per *lumen viuentium* intelligi debeat.

PSALMVS

LVII.	LVI.
VERSIO	
NOVA.	VETVS.
PRAECENTORI, al-taſchcheth, Dauid Michtam, quum fugeret à facie Saul in ſpeluncam.	*IN finem, Ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptionem, cùm fugeret à facie Saul in ſpeluncam.*
2 Miſerere mei, Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum ſperabo: donec tranſeat calamitas.	2 *Miſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea.* 3 *Et in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.*
3 Clamabo ad Deum altiſſimum, ad Deum perficientem ſuper me.	4 *Clamabo ad Deum altiſſimum: Deum qui benefecit mihi.*
4 Mittet de cœlo, & liberabit me; dabit in opprobrium deglutientem me: mittet Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam.	5 *Miſit de cælo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me.* 6 *Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus.*
5 Anima mea in medio leonum, iaceo (in medio) flammantium, filiorum hominum: dentes eorum lancea, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.	7 *Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus.*

Digitized by Google

8 *Exaltare ſuper cælos Deus: & in omnem terram gloria tua.*	6 Exaltare ſuper cælos, Deus: ſuper omnem terram gloria tua.	
9 *Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam.* 10 *Foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam.*	7 [a] Laqueum parauerunt pedibus meis; incuruauerunt animam meam; foderunt ante faciem meam foueam: inciderunt in [b] eam.	a *Rete.* b heb. *medium eius.*
11 *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & pſalmum dicam.*	8 [c] Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, & [d] pſalmum dicam.	c vel *Confirmatum* d vel *confirmatum* d *pſallam.*
12 *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo.*	9 Exurge gloria mea; exurge pſalterium, & cithara: exurgam diluculo.	
13 *Confitebor tibi in populis Domine: & pſalmum dicam tibi in gentibus:*	10 Confitebor tibi in populis, Domine: pſalmum dicam tibi in gentibus.	
14 *Quoniam magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua.*	11 Quoniam magna (eſt) vſque ad cælos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua.	
15 *Exaltare ſuper cælos Deus; & ſuper omnem terram gloria tua.*	12 Exaltare ſuper cælos, Deus; ſuper omnem terram gloria tua.	

COMMENTARIVS.

Argumentum. *EX titulo patet hunc pſalmum à Dauide editum, cùm Achis Regis Geth manibus elapſus in ſpeluncam agri Odollamitani ſe recepit: quò & eius fratres vnà cum tota cognatione ſe contulerunt, necnon quotquot erant ære alieno oppreſſi, & animis ægri: quæ hiſtoria legitur 1. Sam. 22. Etſi enim ad illud tempus fortaſſe referri poteſt hoc carmen, quo tempore Dauid in deſertum En-gaddi ſe contulit, ibique in ſpelunca delituit, in quam Saul neſciens reficiendi corporis gratiâ ſucceſſit: quæ hiſtoria legitur 1. Sam. 24. nihilominus tamen ad illam, quàm ad hanc occaſionem referre malim, hac de cauſſa præſertim, quòd præcedens pſalmus ad illud tempus pertineat, quum Dauid in aulam Achis deductus eſt, ideòque meliùs cum hoc pſalmo, ſi in prima illa occaſione ſcriptus dicatur, cohæreat. Si quis tamen cum Kimhi & alijs ad poſteriorem occaſionem hunc pſalmum referre velit, haud ipſe impediam: præſertim cùm huius pſalmi verba vtrique occaſioni bene conueniāt: neque neceſſe ſit cohærere pſalmos, eúmque inter ſe ſeruare ordinem, quo ſcripti ſunt. En tibi in hanc libri partem coniecti aliquot pſalmi, videlicet 56. hic, 58. & 59. quorum vna pene, eadémque ſcribendi occaſio: ſunt enim omnes ſcripti eo tempore à Dauide, quando ex aula Saulis expulſus in ſummo vitæ diſcrimine verſabatur. Neque verò tamen inter ſe cohærent, neque eum ordinem tenent, quo ſunt ſcripti, vti videbis, ſi argumentum pſalmi 59. cum aliorum argumentis conferas: quod cur factum ſit, ne Hebræi quidem ſciunt. Porrò hic pſalmus conſtat ex duabus partibus. In priore Dauid, qui tum in vaſto ſpeluncæ receſſu præ Saulis regis metu deliteſceret, Dei miſericordiam ardenter implorat, ſuam in illo ſpem, ſimul & aduerſariorum immanitatem, & virulentas calumnias exponens, vtrumque ad mouendam Dei miſericordiam prorſus efficax argumentum. In altera parte Dauid, poſtquam ſeriò Deum precatus eſt, incipit de exitu bene ſperare, prædicens fore, vt hoſtes, quæ ſibi mala parauerant, incurrant, ſuiſque ipſi fraudibus ac dolis pereant. Inde itaque ſpe certa ſalutis erectus promittit ſe Deo tum voce, tum fidibus cantaturum: ac poſtquam torporem, quo propter miſerias laborabat, excuſſit,*

Digitized by Google

pollicetur ſe ad hymnos ſemper clementi ac veraci Deo in oculis Gentium canendos ſummò mane ſurrecturum: ac denique, vt qui malis premeretur, Deum orat, vt magis ac magis gloriam ſuam amplificet, ipſum nimirum ſeruando.

1 *Al-taſchcheth.* Verba hebraica A אַל־תַּשְׁחֵת *al-taſchcheth*, quæ duobus etiam ſubſequentibus pſalmis, & 75.° præfiguntur, Hebræi variè interpretantur, ſicuti pleraſque alias Titulorum voces ſolent. Chald. exponit, *ſuper anguſtia, tempore quo dixit David, Ne perdas*, &c. & ſic, quoties occurrit. Raſi hunc ferè in modum, Sic cognominauit Dauid hunc pſalmum, propterea quòd illum in ſummo vitæ diſcrimine compoſuit, ſeu, vt ipſe loquitur, fundauit, dicendo, *Ne diſperdas* me Domine. Ad eundem pene modum ad tit. pſal. 59. B Kimhi non abeſt ab hac ſententia. Ezra exiſtimat illa verba fuiſſe initium carminis cuiuſdam, ad cuius tonum ſeu melodiam hic pſalmus fuerit decantandus. Alij fortaſſe aliter ſentiunt. Ego profectò Ezræ aſſentior, nec illa verba puto ad argumentum quicquam pertinere, aut aliquid hîc ſignificare.

2 *Miſerere mei, Deus, miſerere mei.* Hæc eſt propoſitio pſalmi, precatio nimirum, C cui mox ſubijcit rationem, ſpem ſuam: optimam quidem illam rationem apud Deum, cui, vt eſt pſal. 147. 11. *beneplacitum eſt ſuper timentes eum, in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.* *Miſerere mei, Deus, miſerere mei.* Repetitio ardens ſtudium precandi, vt in maximis malis, indicat, *In te confidit* &c. Perinde ac ſi diceret, etſi in hac ſpelunca ſatis tutò deliteſcere fortè videor, nullum tamen mihi refugium, nulla ſpes niſi in te vno. Ita D ferme ad hoc Ezra. In hoc membro præteritum eſt cum futuro, quaſi dicere vellet, confidi, & ſemper confidam. Vtrumque verbum tamen per præſens exponi poteſt.

In vmbra alarum tuarum ſperabo, propriè *protectionem quæram*. Hic ſuauiſſimâ vtitur figurâ ductâ à pullis ſub matris alis tutò deliteſcentibus: ſimúlque videtur reſpicere ad alas Cherubim, quibus Propitiatorium tegebatur. Similes paſſim occurrunt locutiones, Ruth 2. 12. pſal. 17. 8. pſal. E 61. 5. pſal. 63. 8. *Calamitas*, ſeu, *infortunium*, quo me afficere meditatur Saul. Non præter ſenſum in Græc. & Lat. *iniquitas*, id eſt, malum, quod in me iniquè molitur Saul.

3 *Clamabo ad Deum altiſsimum.* Senſus, Quanquam me Rex perſequitur, clamabo ad Deum, qui excelſus eſt ſupra omnes, ac me liberabit è manu illius: *ad Deum*, inquam, *perficientem ſuper me* miſericordiam ſuam; quaſi diceret, qui ſuam illam miſericordiam, quâ erga me toties vſus eſt, nunc perficiet & abſoluet, præſtando regnum, quod pollicitus eſt. Sic ferè Kimhi. Putat Ezra opponere *altiſsimum* ſtatui infimo, in quo eſſet. *Ad Deum* fortem: eſt enim in Fonte אֵל *el.* *Perficientem* ſuam miſericordiam ex Kimhi: vel potiùs & ſimpliciùs *perficientem* id quod in me cœpit, vel quod mihi promiſit, nempe regnum. Eódem redit ſententia. Emphaſim habet tempus præſens, quaſi velit eo ſignificare, etiam in malis ac miſeriis præſentibus, quæ Dei eſt prouidentia, promoueri, & perfici promiſſum regni. Græcus & Lat. habent, *qui benefecit mihi*: videntúrque legiſſe גֹּמֵל *gomel*, pro גֹּמֵר *gomer*.

4 *Mittet* ſup. angelos ſuos ex Kimhi & Chaldæo. Supplerem ego ex poſteriore membro, quod nihil aliud eſſe videtur, quàm verbi huius expoſitio, *miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam.* Quum autem dicit *de cælo*, exiſtimo velle ſignificare Deum potenter, & inſigni miraculo, quod omnes Dei ſolius opus fateantur, ſe ſeruaturum. Cælum opponit mediis terrenis & naturalibus. *Dabit in opprobrium deglutientem*, ſeu, *abſorbentem me*, hoc eſt, deglutire volentem, ſeu, inhiantem me inſtar eſurientis lupi, aut leonis, Saulem videlicet: niſi vis accipere collectiuè cum Græco & Lat. quorum hic vertit *conculcantes me*, ille verò καταπατοῦντας με; & vterque ſanè ex שׁוּף *ſchuph*, non ex שָׁאַף *ſchaaph*: quod & Chald. fecit, qui interpretatus eſt שָׁיְפִי *ſcaiphi*, id eſt, *conculcantẽ (conterentem) me.* Eodem modo Amos 8. 4. Græcus הַשֹּׁאֲפִים *haſchſchoaphim*, vertit οἱ ἐκτρίβοντες, Latinus *qui conteritis.* Simile eſt pſalmo præcedente. Quid hoc mirum? Annon vicinæ radices commiſcent ſua ſignificata? Non mala igitur hîc Græca, & Latina verſio. *Liberabit me; dabit in opprobrium* &c. Ex Raſi vertendum *liberabit me (ab) opprobrio deglutientis me.* Ac ſic verterunt Felix, & Pagninus. Verùm quis non videat magis eſſe in promptu accipere חֵרֵף *chereph*, tanquam verbum? Adde Chaldæum interpretari iſtud vocabuli חַסֵּד *chaſſedh*, id eſt, *opprobrio affecit.*

Mittet Deus (de cælo ſcilicet) *miſericordiam ſuam*, quâ me, ex pura nimirum liberalitate, in ſuæ gentis regem elegit, *& veritatem ſuam*, quâ promiſſa nunquam non præſtat: ipſe enim eſt veritas, & verba

eius

eius veritas. Senſus vno verbo, Nunc mihi certè aderit pro eâdem illâ miſericordiâ, quâ me in regem elegit, necnon pro ſua in ſeruandis promiſſis conſtantia.

5 *Anima mea in medio leonum*, &c. Propoſitioni & precationi aliam ſubjicit rationem, quòd leonum & furioſorum hominum, quorum dentes lanceæ & ſagittis, & lingua acutiſſimo gladio pares ſunt, immanitati miſerè iaceat expoſitus.

Anima mea, id eſt, ego. *In medio.* Non poterat enim longè fugere, ſed cogebatur hinc inde in terra Iſraëlitica latebras quærere. *Leonum* immanium. Nam לְבִיא *laui*, propriè annoſum adeóque immanem leonem ſignificat. Hac voce aulicos notat, & regni proceres. Chald. interpretatus eſt, *quaſi in medio flammarum*, qui dubio procul legit לְהָבִים *lehauim*, pro לְבָאִם *leuaim*. *Iaceo* proſtratus, & veluti libidini hoſtium expoſitus. Vim habet hoc verbum. (*In medio.*) Hoc ex Ezra & Kimhi repetendum. Kimhi exempla profert ex Eſa. 42. 8. pſ. 9. 19. vbi לֹא *lo*, *non*, ex eo, quod præcedit, eſt repetendum. Raſi ſupplet בְּ *ve*, *in*, *inter*. Malo accipere quod textus offert, & repetere *in medio*. *Flammantium*, ſeu *exardentium* aduerſùs me ira & odio implacabili. *Filiorum hominum*. Hoc ad præcedens vocabulum debet referri, vt patet ex accentu miniſtro præcedentis vocis: quaſi dicat, nempe *filiorum hominum*, (in Fonte *adam*,) hoc eſt, homuncionum (ſic per contemptum nominat aulicos fortaſſis) ex argilla & luto factorum: adam enim hominem, vt è terra factum, ſignificat. Forſan tamen per *filios hominum* notat plebeios, quod magis putarim. *Dentes* (id eſt, ſermo qui partim dentibus perficitur: ſunt enim quædam litteræ dentium) *eorum lancea*, &c. Hic denique poſtremus reſtabat color ad exprimendam aulicorum imaginem, qui, qua ratione & quibus artibus poſſunt, principis iram ſemper adiuuãt. Vide vt nihil magis in hoſtibus metuit Dauid, quàm maledicẽtiam. Immanitati quippe hoſtium leoninę & odio inſtar flammæ ardenti ſubiungit denique maledicentiam, tanquam grauiorem. Optimè autem illam cum lanceis, ſagittis & gladio acuto confert. Nam vt hæc ſubitò corpora penetrant, ſic illa animos. Non caruiſſe porrò Dauidem obtrectatoribus haud dubium eſt, & conſtat ex illa Dauidis apud Saulem expoſtulatione, quæ 1. Sam. 24. 10. legitur his verbis, *Dixitque Dauid ad Saul, Quare audis verba hominum dicentium, Ecce Dauid quærit malum tuum?* Non abſurdè quis dixerit in priore etiam huius verſus parte maledicentiam aduerſariorum carpere, dum eos *leones* vocat, quippe qui maledictis inſtar ſæuiſſimorum leonum ipſius famam lacerent: necnon *flãmantes* ſeu *ardentes*, nimirum obtrectandi ſtudio; vel iuxta alios, *inflammantes* ſeu *accendentes* Saulem aut proceres aduersùm ſe: gallicè *boutte-feux*.

6 *Exaltare ſuper cælos, Deus:* &c. Repetit propoſitionem, ſeu precationem, à quâ exorſus eſt pſalmum. Fac, inquit, ô Deus, me ſeruando, vt omnes cognoſcant te ſupra cælos reſidere. Vel, Fac, vt omnes te ſupra cælos extollant: fac, vt in vniuerſo terrarum orbe tua gloria extollatur ac prædicetur: dum ſcilicet cognoſcere is eſſe tu, qui miſerum hominem & ab omnibus præſidiis deſtitutum tot, támque validis hoſtibus eripueris. *Super omnem terram* ſupple ex præcedente membro exaltetur, extollatur & celebretur *gloria tua*. Supple aliquod aliud verbum, ſi vis, exempli gratia, ſit, extendatur, aut aliud ſimile.

7 *Laqueum (Rete) parauerunt pedibus (greſſibus) meis*; &c. Secunda pars pſalmi, in qua Dauid, qui ſciret Deum nunquam piorum preces fruſtrari, poſtquam ſeriò Deum precatus eſt, incipit de exitu bene ſperare, prædicens hoſtium interitum, & futurum affirmans, vt ſuis ipſorum technis, inſidiis & fraudibus tandem irretiti capiantur atque euertantur. Eſt aliquid ſimile pſal. 7. ſub finem, & alibi paſſim in pſalmis. *Incuruauerũt animam meam*, id eſt, me iam retibus ita conſtrinxerant, vt viderer mox corruiturus eſſe. In Fonte eſt *incuruauerat animam meam*, per enallagen numeri Hebræis vſitatam, pro *incuruauerat* illorum quiſque, emphaticè. Poſſet referri hoc ad Saulem tantùm. Raſi ſubaudit *hoſtis*. Sunt qui vertant *incuruata fuit anima mea*. *Inciderunt* pro incident, more prophetico, ad maiorem certitudinem exprimendam, vt ſæpe dictum.

8 *Paratum cor meum*, &c. In hoc & ſequentibus verſibus Dauid, ſuo more, petitioni & precationi ſubiungit gratiarum actionem. Vide quæ notauimus ad verſ. 13. præcedẽtis pſalmi. *Paratum cor meum* ad cantãdum, & pſallendũ ſuper mea liberatione, quò pertinet id quod ſequitur. Repetitione oſtendit ſummam alacritatem, & promptitudinem. Ex Raſi & Kimhi vertendum, *Confirmatum cor meum*, &c. vt ſenſus ſit, Erecto animo ſum, ſpéſque certa ſalutis me tenet: tibi igitur vel nunc canam & pſallam. Conſentit Symmachus, qui vertit, Ἑδραία ἡ καρδία μου. Kimhi porrò repetitione putat augeri atque am-

plificari rem : Raſi verò , qui interdum liberiùs expatiatur , ſignificari certitudinem ſeu confirmationem, cùm ex parte iudicij diuini,tum ex parte diuinæ miſericordiæ. *Cantabo* tibi voce, *& pſalmum dicam* ſeu *pſallam* in inſtrumento , hoc enim ſignificat propriè verbum זַמֵּר *zimmer*.

9 *Exurge* ad hymnos canendos. Hoc verbo torporem, quo ob miſerias laboraret, conatur excutere. *Gloria mea* , hoc eſt ex Kimhi, anima mea : anima quippe hominis eſt decus atque ornamentum. Vide ad verſ. 6. pſ. 7. & 9.um pſal. 16. Latinis pleriſque *gloria mea* , nihil eſt aliud , quàm lingua mea , per metonymiam : optimè: lingua enim eſt inſtrumentum gloriæ diuinæ celebrandę præſertim deſtinatum: eáque cùm Dei laudes loqui, eiúſque virtutem ac maieſtatem interpretari cœperit, tum demum officio naturæ ſuæ fungitur: quandiu autem à Dei laudibus ceſſat , in vſu ſuo non eſt : & ideo infans ſit neceſſe eſt, qui diuina proloqui non poteſt; íſque verè elinguis & mutus habendus , licet ſit omnium diſertiſſimus. Igitur *gloria mea*, id eſt, lingua mea, quâ Dei gloriam teneor celebrare. Vide ad verſ. mox cit. pſal. 16. Alij exponunt , *gloria mea*, ex ijs quæ mox ſubſequuntur , id eſt , cithara mea, quæ eſt meum decus. Muſico honori eſt inſtrumentum , quod artificiosè callet pulſare. Atque Dauidem tangendæ citharæ peritiſſimum fuiſſe nimis clarum eſt,& conſtat ex 1.Sam. 16. *Exurge pſalterium*, ſeu, *nablium* meum, &c. Proſopopœia,quâ ſe hortatur ſcilicet,vt expergefiat , arripiátque pſalterium & citharam. Idcirco ſubiungit , *exurgam diluculo* ſeu *aurora* , ac poſtquam ſe ſatis , excitauit ; profectò , inquit, expergeſiam , & ſurgam equidem ſummo mane ad hymnos canendos , gratiáſque Deo agendas. Ex Raſi , & aliis vertendum , *excitabo diluculum* ſeu *auroram*, q. d. ego excitabo auroram, non ipſa me. Præueniam ſolem ad benedictionem Dei. Sic gallus ſuo cantu dicitur excitare auroram , vt apud Ouid. *Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris Euocat auroram.* Malo cum Ezra , & aliis Hebræorum , necnon cum Græco & Latino accipere intranſitiuè : eſt enim ſimplicius.

Lact. lib. 4. de vera ſap. cap. 26.

10 *Confitebor tibi in populis*, &c. Idem bis dicitur pro more : & per *populos* & *gentes* ſeu *nationes*, ex Kimhi intelligendæ hic tribus ſeu familiæ Iſraëliticæ. Quòd Iſraëliticæ tribus vocentur populi , patet ex Deut. 33. 19. vbi legitur, *Populos*, hoc eſt, reliquas tribus, *vocabunt (ad) montem.* Vide locum. Ex Act. 4. *cum Gentibus & populis Iſraël. In populis* , *in gentibus*, id eſt , palàm apud omnes. Acipe, ſi vis, vt ſonat, pro exteris populis.

11 *Quoniam magna eſt vſque ad cælos* &c. Vſu receptum eſt, vt ea , quæ laudamus & extollimus, dicamus cælos attingere vel ſuperare.

12 *Exaltare ſuper cælos*, &c. Pſalmum concludit repetitione verſus 6. qui propoſitionem ipſam, id eſt, petitionem auxilij continet. Vide vt Dauid , etſi certus auxilij diuini , non deſinat tamen Deum precari, & quidem repetitis verbis : quod facere videmus eos , qui in maxima anguſtia ſunt, quò nimirum magis vrgeant, magíſque moueant ad ferendam opem.

Digitized by Google

PSALMVS

LVII. LVIII.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptionem.

2 *Si verè vtique iuſtitiam loquimini: recta iudicate filij hominum.*

3 *Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniuſtitias manus veſtræ concinnant.*

4 *Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero: locuti ſunt falſa.*

5 *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas.*

6 *Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.*

7 *Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum: molas leonum confringet Dominus.*

8 *Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum ſuum donec infirmentur.*

9 *Sicut cera quæ fluit, auferentur: ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.*

NOVA.

PRAECENTORI al-taſchcheth, Dauid Michtam.

2 Num verè, ô congregatio, iuſtitiam loquimini? recta iudicatis filij hominum?

3 Etiam in corde iniquitates operamini: in terra [a] iniuſtitiam manuum veſtrarum libratis.

4 Alienati ſunt peccatores à vulua: errauerunt ab vtero, loquentes [b] falſa.

5 [c] Furor illis ſecundùm ſimilitudinem [d] furoris ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ, obturantis [e] aures ſuas:

6 Quæ non audit vocem [f] incantantium, [g] venefici incantantis ſapienter.

7 Deus, contere dentes eorum in ore ipſorum: molares leonum confringe, Domine.

8 Colliqueſcent tanquam aqua, abibunt ſibi: intendet ſagittas ſuas, quaſi ſuccidentur.

9 Sicut limax [h] quæ fluit, abibit: (ſicut) abortiuum mulieris non videbunt ſolem.

[a] *violentiam*

[b] heb. *mendaciū.*

[c] vel *Venenum*

[d] vel *veneni*

[e] heb. *aurem ſuā*

[f] *muſſitantium,*

[g] heb. *incantantis incantationes ſapientis* ſeu *periti.*

[h] *quæ liqueſcit,* ad verb. *liqueſactionis*

10 Priuſquam [i] ſentiant ollæ veſtræ rhamnum: ſicut [l] crudum, ſic ira (vt) turbo abripiet [m] eum.

[i] vel *intelligant ſpina*
[l] vel *viuentes*,
[m] *eos*.

10 *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum: ſicut viuentes, ſic in ira abſorbet eos.*

11 Lætabitur iuſtus quum viderit vindictam: pedes ſuos lauabit in ſanguine [n] peccatoris.

[n] *improbi ſeu impij*.

11 *Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.*

12 Et dicet homo, Vtique (eſt) fructus iuſto: vtique eſt Deus iudicans in terra.

12 *Et dicet homo: Si vtique eſt fructus iuſto: vtique eſt Deus iudicans eos in terra.*

COMMENTARIVS.

Argumētum. PVtat *Raſi huius ſcribendi carminis illam fuiſſe occaſionem, quæ legitur* 1. *Sam.* 26. *cùm ſcilicet venit Dauid ad vallum, vbi Saul dormiebat, eiúſque abſtulit haſtam, & ſcyphum aqualem, & abiens, inclamato Abner, ait,* Nonne reſpondebis Abner? *quaſi dicere voluiſſet, Nonne iam arguere debes Saulem, eique oſtendere, gratis illum me inſectari, quoniam, ſi voluiſſem, interfeciſſem? Aſſentior Kimhio potiùs, qui exiſtimat hunc pſalmum à Dauide compoſitum aduerſus Abnerum, & reliquos Saulis principes, qui ipſum in publico concilio læſæ maieſtatis damnaſſent, & iudicaſſent iuſtè opprimi poſſe. In hoc itaque pſalmo partes ſunt duæ. In prima parte Dauid primò in conſiliarios acerbè inuehitur, qui iniqua & iniuſta contra ipſum in Saulis gratiam non modò decernant, ſed etiam conſilia, cogitationéſque ſuas in ipſius perniciem conferant, imò ſpecie publicæ vtilitatis ſeſe adminiſtros regiæ crudelitatis præbeant. Deinde, vt non mirum videatur quòd ſic ſint, illorum ingenium graphicè depingit, eos affirmans à teneris annis ad omnem iniuſtitiam factos, atque inſtitutos: turgere veneno ſerpentium inſtar, nec pati ſibi illud excuti vllis ſuaſionibus, aſpidi ſimiles, quæ aduerſus incantamenta quantumlibet peritorum magorum aures obturat, nec vlla arte prohiberi poteſt, quominùs virus effundat. In altera parte igitur, quæ tota veluti ſcatet allegorijs, ad Deum prouocat, rogans vti iſtorum dentes intra ipſorum ora contundat, ne innocentem vorent. Mox, vt ratum fuiſſe illud votum oſtendat, vaticinium ſubijcit, quo aduerſarios, & iniquos iſtos conſiliarios inſtar defluentis aquæ ſubitò elapſuros, eorúmque omnes conatus fruſtra futuros denuntiat. Ad hoc autem ſignificandum elegantes allegorias adhibet. Denique pios ait iuſtum Dei iudicium cernentes, & in medio ſceleratorum cruore, amore iuſtitiæ eſſe exultaturos: imò dicturos quotquot audiuerint, Profectò non caret iuſtus præmio, qui Deum ſuarum iniuriarum habeat vltorem: profectò Deus eſt aliquis, qui hominum genus ſua prouidentia regat, & in terris quoque ſuum cuique tribuat.*

A 2 *Num verè, ò congregatio,* &c. Apoſtrophe, quâ in Saulis miniſtros vehemētiùs inuehitur Dauid, eos iniuſtitiæ & crudelitatis accuſans. Hic verſus hanc habet ſententiam, Dicite, quæſo, bona fide, Hoccine eſt, quod iuſtum eſt, decernere? Hoccine eſt rectè iudicare? Num æquum conſulitis, aut pronuntiatis, qui Saulem ab iniuria mihi facienda dehortari debuiſtis. *O congregatio.* Vox heb. אֵלֶם *elem*, ſic ex Kimhi & aliis Hebræorûm exponenda eſt. Græc. Lat. & D. Hieron. verterunt *vtique*, quaſi fuiſſet אוּלָם *vlam.* Vtroque modo optimè ſenſus fluit. *Loquimini.* In hoc & ſequente verſu verba ſunt fut. temp. pro præſ. *Filij hominum.* Saulis conſiliarios nominat per contemptum filios hominum, quippe qui humana ac terrena tantùm ſaperent.

3 *Etiam in corde iniquitates operamini.* Senſus, Non iniqua modò cenſetis, & Sauli B conſulitis, verùm etiam ipſi animo conſilia voluitis atque agitis, quibus ipſe euerti poſſim. Eòdem ſpectat id quod ſequitur, *in terra iniuſtitiam ſeu violentiam manuum veſtrarum libratis*, hoc eſt, non cogitatis modò ſcelera, ſed etiam vos ipſi perficitis, & quidem palàm, atque in omnium oculis,

Digitized by Google

& prætexendo ſpecie honeſtatis, atque A vtilitatis publicæ. *In corde iniquitates operari* eſt cogitare ſcelera, inire praua conſilia. *In terra* nil aliud eſſe videtur, quàm palàm, ac publicè, omnibus, qui in terra exiſtunt, cernentibus. *Iniuſtitiam manuum ſuarum*, id eſt, ſuarum actionum, *librare*, nihil aliud eſt, quàm praua conſilia perficere prætextu iuſtitiæ, eáque exequi, quaſi ad trutinâ rectæ rationis eſſent expenſa. Fortaſſe magis eſt in promptu hunc verſum ſic accipere, Non modò iniuſta conſulitis, vt dicitur in ſupe- B riore verſu, verùm etiam facitis, & quidem ſcientes & prudentes, hoc ſignificabit τὸ *in corde*, & tamen probi vultis videri, & probare hominibus, quod agitis. Vocabulo *librandi* reſpicit ad conſiliariorum, quos reprehendit, officium, qui æqua lance citra cuiuſquam reſpectum æquum & iuſtum debuerant expendere, non Sauli fauere, neque in eius gratiam iudicare, ac multò minùs quicquam aduersùm innocentem moliri, aut etiam cogitare: ſicuti C libra nihil diſcernit inter plumbum & aurum, ſed cuique ſuum pondus aſſignat. Græcus & Lat. pro, *iniuſtitiam manuum veſtrarum libratis*, habent, *iniuſtitias manus veſtræ concinnant*, eodem quidem ſenſu, ſed ad Hebræum codicem parum aptè. Nam, vt omittam legi חמס *chamas*, in reg. gen. & quidem ſequente Maccaph, verbum תפלסון *tephalleſun*, eſt 2æ. perſ. non tertiæ, vt omnes norunt. D. Hieron. tamen, & Felix Pratenſis, qui Iudæus fuit, verterunt, hic, *prauitatem manus ve-* D *ſtræ æquilibrabunt*, ille, *iniquitates manus veſtræ appendunt*.

4 *Abalienati ſunt* (ſeu *Abalienauerunt ſe*) *peccatores à vulua*: &c. Omiſſa apoſtrophe, & ſubitò mutata 2.a perſona in tertiam, graphicè depingit illorum, in quos inuectus eſt, conſiliariorum malitiam, & prauum ingenium: quò probet nihil mirum videri debere, quòd in ipſum ſic crudeliter inſurgant, ac ſæuiant. Scelerati, inquit, homines, omníſque mendacij artifices, conſuetudine iam inde ab ipſis incuna- E bulis initâ, animum à Deo, & recto prorſus alienum habent: ab ipſo vtero, ſeu primâ pueritiâ à Deo, & iuſtitia receſſerunt, à recta viuendi ratione aberrauerunt. *Loquentes falſa*: ad verb. *loquutores mendacij*. Sic conſiliarios Saulis cognominat, necnon *peccatores*. Græcus & Lat. quia legerunt aliis punctis, verterunt *loquuti ſunt*. At D. Hieron. vertit *loquentes*, & Symm. οἱ λαλοῦντες.

5 *Furor illis ſecundùm* &c. Figurata in hoc & ſequente verſu obfirmatæ malitiæ, & veteratoriæ calliditatis deſcriptio. *Furor*. Ex Chald. Raſi, Ezra, Kimhi, Kabuen. & aliis vertendum *Venenum*. Sanè vox hebraica חמה *chema*, ſignificat & *furorem* ſeu *æſtuantem iram*, & *venenum* ſeu *virus*, à radice יחם *iacham*, quæ eſt *caluit*; vnde *ira*, vel potiùs *iræ æſtus*, & *venenum* quod vredine & æſtu conſumit partes vitales. Ego mallem *venenum*, vt quòd ſerpentis & aſpidis ſimilitudini aptiùs conuenit. Quum autem hoſtibus ineſſe ait venenum inſtar veneni ſerpentis, ſignificare vult præſens ab illis imminere exitium, non ſecus ac præſens eſt ſerpentis venenum. *Sicut aſpidis ſurdæ, obthurantis*, heb. (*quæ*) *obthurat*, ſeu, *obthurare ſolet* (eſt enim in Fonte verbum fut. temp.) *aures ſuas*, in Fonte *aurem ſuam*. Neſcio an verum ſit, quod hîc narrant Raſi, & Kabuenaki, ſerpentem ſenem (qui autore Kabuenaki vocetur פתן *pethen*, quod nomen hîc occurrit) obſurdeſcere vnâ aure, alteram verò puluere aut terrâ obthurare, ne audiat muſſitationem, quâ ab incantatore adiuratur, ne noceat. Sed ſi verum eſt, ecce tibi cur dicat, *aſpidis ſurdæ, obthurantis aurē ſuam*. Si non eſt verū, dic Dauidem fortè ex vulgi errore loquutum. Simile eſt Ierem. 8. 17. En locus, *Quia ecce ego mittam vobis* (*in vos*) *ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio: & mordebunt vos, ait Dominus*. Quò ex loco datur intelligi eſſe ſerpentes, qui non ſinant ſe veneno exarmari vllo magico carmine, aut vlla arte; aut ſaltem id crediſſe vulgum, è cuius conſuetudine depromptum ſit id quod illic dicitur. D. Auguſtinus ad hunc locum, & ex recentioribus multi non longè abeunt ab Hebræis, quos laudauimus, & faciunt aſpidem, ne incantamenta audiat, iiſque vincatur, aures ſic claudere, vt vnam in terram premat, alteram caudâ obſtruat. Si ita eſt, *ſurda* nihil aliud erit quàm ſurdam ſe præbens obthurando aures, ita vt *ſurda* & *obthurans aures* idem ſint. Kimhi ſimpliciter accipit poſterius hoc membrum, docens ſerpentem eſſe aduersùs quem proſit incantatio; & qui certâ verborum muſſitatione impediatur, quominùs noceat: at eſſe cautiorem ſerpentem, aduersùs quem nihil poſſit muſſitatio, perinde ac ſi eſſet ſurdus, & obſtrueret aures, ne muſſitationem audiret. Cæterùm ne quis hîc hæreat, ac fortè putet Dauidem incantationes probaſſe, quòd ab iis ſimilitudinem mutuetur, tenenda perutilis illa regula, quam hoc ipſo in loco ponit D. Auguſtinus: *Non vndecunque datur ſimilitudo à Scripturis, laudatur ipſa res, ſed tantùm inde ſimilitudo*

trahitur. Non enim laudauit iniquum iudicem, qui nolebat audire illam viduam, qui nec Luc. 18. *Deum timebat, nec homines reuerebatur, & tamen inde ſimilitudinem Dominus traxit.* Cætera lege apud D. Auguſtinum. Eſſe porrò incantationes nimis certum, nec ſolùm experientia conſtat, ſed etiam ex Lege diuina, quæ eas prohibet, Deut. 18. 10. & 11.

6 *Quæ non audit vocem incantantium:* &c. Explicantur verba illa verſus præcedentis, *ſurdæ, obthurantis aurem ſuam.* Quid porrò iſta ſimilitudine ſibi vult David? Hoc, Saulis cōſiliarios non magis iuſtę defenſioni, & æquis rationibus aures prębere, quàm aſpidem, aut ſerpentem ætate cautiorem muſſitationi, & incantamentis quantumlibet peritorum magorum.

7 *Deus, contere dentes eorum* &c. Secunda pars pſalmi, tota figuris & allegoriis deſcripta, in qua primo loco, poſtquam ſcilicet Saulis conſiliarios ſatis obiurgauit, corúmque prauum ingenium ſuis coloribus, etſi breuiter, depinxit, ad Deum prouocat, rogans vti compeſcat illorum crudelitatem & ſæuitiam: nam per *dentes* & *molares* figuratè crudelitatem notat: dúmque iſtos leones nominat, ſignificare vult eos laniandi, ac diſcerpendi eſſe cupidos, inſtar ſæuorum & irritatorum leonum. *In ore ipſorum*, quod tam iniquum in me iudicium pronuntiauit.

8 *Colliqueſcent tanquam aqua*, &c. Precationi nunc ſubiicit vaticinium, quo certum hoſtibus prædicit exitium: etſi poteſt eſſe in hoc & ſequent. verſibus continuatio precationis, vertendo, *Colliqueſcant*, & cætera verba ſimiliter. *Colliqueſcent tanquam aqua*, hoc eſt, Ipſi, adeóque omnis eorum potentia, & omnes eorum conatus, fient inſtar aquæ fluminis, quæ celeriter præterit, atque euaneſcit; quò pertinet id quod ſequitur, *abibunt ſibi.* Hunc ſenſum Græcus & Lat. bene expreſſerunt. *Colliqueſcent.* Heb. יִמָּאֲסוּ *ijmmaaſu*, quod Raſi à radice מָאַס *maas*, deriuat, exponíitque, *Erunt contemptibiles* ſibi ipſis præ anxietate. Omitto alia quæ habet. Hinc quoque deduxerunt Græcus & Lat. qui verterunt, *Ad nihilum deuenient:* nam quid hoc eſt niſi ſpernentur? Vide ad verſ. 4. pſ. 15. Syrus etiam vertit *Contemnentur.* At Ezra, & Kimhi putant prædictam vocem eſſe à rad. מָסַס *maſas*, quę *liqueſieri* ſignificat, & aleph eſſe pro littera geminata, quaſi eſſet יִמַּסְסוּ *ijmmaſeſu*. Ezra profert ex Eſa. 18. 2. ſimile exemplum, nimirum בָּזְאוּ *bazeu*, pro בָּזְזוּ *bazezu*. Chald. hoc etiam modo accepit, qui interpretatus eſt, *Liqueſiet in peccatis ſuis* &c. *Abibunt ſibi,* gallicè, *ils s'en iront.* Potes hoc ad aquam referre, ac vertere, *tanquam aquæ, (quæ) abeunt ſibi.* Hoc modo acceperunt Græcus & Lat. necnon D. Hieron. qui vertit *Diſſoluantur quaſi aquæ quæ defluunt.* Reſtat alterum membrum, *intendat ſagittas ſuas, quaſi ſuccidentur*, quod eódem ſpectat quò prius, & irritum conatum ſignificat: habet enim hanc ſententiam, intendat Saul, vel eorum quilibet totis viribus arcum, quo me meóſque configat, profectò ſagittæ quantumuis acutæ non lædent, ac ſi obtundãtur prorſus atque hebetentur. *Intendat* Saul, vel eorum quilibet. Frequens eſt eiuſmodi enallage numeri apud Hebræos: nec videtur carere emphaſi hoc loco, quaſi hoc velit, tentent ſinguli, nihil efficient. *Sagittas ſuas.* Sagittas ſuas dicit pro arcum ſuum, inquit Ezra: propriè enim tenditur arcus ad eiaculandas ſagittas. Bene ergo Græcus & Lat. verterunt *arcum ſuum.* Kimhi per *ſagittas* calumnias, per *arcum* os vult intelligi. Bene. Nam hoc ſenſu dicitur ſuperioris pſalmi verſu 5. *dentes eorum lancea, & ſagittæ.* Et pſal. 64. 4. *tetenderunt ſagittam ſuam, verbum amarum.* En rurſum *tendere ſagittam.* *Quaſi ſuccidentur.* Placent ex Latinis illi, quos inter Buxtorfius in rad. מָלַל *malal*, qui verbum יִתְמֹלָלוּ *ijthmolalu*, (quod hîc tantùm in hithpaël occurrit) ex ſignificatione nominis coniugati מְלִילוֹת *meliloth*, quod Deut. 27. 25. *ſpicas* ſignificat: qui vertunt, inquam, *in ſpicas abibunt*, vel *abeunt*, hoc ſenſu, irritæ prorſus efficientur iſtorum ſagittæ, & eorum ſpicula fient ſpicę. Raſi poſterius hoc membrum ad Deum refert, hoc ſenſu, intendet ſagittas ſuas Deus aduersùm illos, vt ſuccidantur ac pereant. Hunc ſenſum ſequuti ſunt Græcus & Lat.

9 *Sicut limax quæ fluit*, ad verb. *liquefactionis, abibit.* Alia ſimilitudo. Sicut limax, inquit, facilè diſſoluitur ac liqueſcit, ita Saul, vel illorum quiſque protinus abibit atque euaneſcet, antequam conatum perfecerit. Habet etiam fortaſſe hoc ſimilitudo hæc, vt ſignificet, Quemadmodum limax ſubitò quidem oritur, & dum viuit, ſuis cornibus interdum videtur velle minitari, ſed facilè diſſoluitur ac liqueſcit, ita impios, quantũuis initio videantur terribiles, & ſubitò creſcant, tamen nullo negotio à Deo diſcuti, ac redigi in nihilum poſſe. *(Sicut) abortiuum mulieris non videbunt ſolem. Non videbunt:* ad verb. *non viderunt*, pro, non videbunt, more prophetico, ad maiorem certitudinem exprimendam. Vide vt ſtatim mutatio numeri fit pro more. Adde cætera verba fut. temp. huic etiã

Digitized by Google

vim fut. temp. adferre. En tibi alia comparatio, quâ hyperbolicè ſubitum ac repentinum ſuorum aduerſariorum in ipſo malefaciendi & nocendi conatu exitium atque interitum exprimit: vt ſi diceret, ſicuti abortiuus fœtus moritur antequam naſcitur, neque ſolem aſpicit, ita illi in ipſo malefaciendi conatu extinguentur & peribunt. *Abortiuum mulieris.* Sic vertit B. Hieron. In Græco & Latino *ſupercecidit ignis:* cuius verſionis ratio non obſcura eſt iis, qui hebraicè ſciunt. Lege נָפַל אֵשׁ *naphal eſch*, habebis *cecidit ignis.*

10 *Priuſquam ſentiant ollæ veſtræ rhamnum:* &c. Hanc puto habere ſententiam hunc verſum, Antequam óllæ veſtræ ſentiant ignem ex rhamno accenſum, quì vt facilè excitatur, maioréſque effundit flammas non ſine ingenti ſtrepitu, ita facilè & ſubitò deflagrat: hoc eſt, Antequam conſilia veſtra ſola temeritate nixa, quæ inſtar ſubiti ignis eſt, maturuerint, vel quicquam effecerint: *ſicut crudum*, hoc eſt, ſicut in eiuſmodi ollis, quibus ignis ſpinarum duntaxat admouetur, cruda remanet caro; *ſic ira vt turbo abripiet eum*, id eſt, ita Deus iratus, immaturis adhuc, neque ad exitum perductis veſtris conſilijs, ſubita morte, quaſi vi turbinis, abripiet ducem illum veſtrum, nempe Saulem. Hæc mihi videtur promptior & expeditior huius verſus ſententia, & quæ cum duobus præcedentibus verſibus optimè cohæret. At dices, Vbi חַי *chai*, quod *viuum* propriè ſignificat, pro crudo ſumitur? En tibi, 1. Sam. 2. 15. *non enim accipiet à te carnem coctam*, ſed חָי *chai*, id eſt, *crudam.* Sic quoque hoc loco hanc vocem exponit Kimhi. Quòd יָבִינוּ *iauinu*, quod propriè ſonat *intelligent*, *percipient*, *aduertent*, verterimus *ſentient*, id fecimus ad corrigendam duriorem metaphoram: ac ſic interpretatus eſt Kimhi. Sunt ex Hebræis, in quibus Raſi, qui hoc ſenſu hunc verſum accipiant, *Priuſquam intelligant ſpinæ* (סִיר *ſir, ollam* & *ſpinam* ſignificat) *veſtræ rhamnum*, id eſt, Antequam ſpinæ veſtræ teneriores ſciant & diſcant eſſe rhamnus durior ſpinæ ſpecies, hoc eſt, vt more noſtro explicem, Antequam liberi veſtri (aduerſarios ſubitâ apoſtrophe compellat) in viros adoleuerint, & perfectam malitiam. Hoc ſenſu acceperunt, teſte Card. Bellarmino, Græcus & Lat. Ex iſtis ſunt rurſum, teſte Kimhi, qui יָבִינוּ *iauinu*, quod aliis eſt *intelligant*, interpretâtur *creſcant*, ex neſcio quo loco Miſchna. Commodè profectò, ſed eodem ſenſu tamen, *Priuſquam creſcant ſpinæ veſtræ in rhamnum*, ad verbum *rhamnus.*

A Sic D. Hieron. & Felix verterũt. *Sicut viuentes*, id eſt, ſicut erunt viuentes, bene ſani ac virides, *ſic*, id eſt, tales, *ira* Dei *vt turbo abripiet eos*, ſcilicet liberos, quos per *ſpinas* figuratè ſignificauit. Ad verb. *ſicut viuentem*, vnumquemque illorum diſtributiuè, ſing. pro plur. *ſic ira vt turbo abripiet eum.* Ex Raſi poſterius membrum vertendum eſſet, *ſicut viuentes, ſic* (*in*) *ira vt turbo abripiet eos*, Deus nimirum. Atque hoc modo acceperunt Græcus & Lat. Vertendo *Priuſquam creſcant ſpinæ veſtræ in rhamnum*, B ſenſus etiam eſſe poterit, Antequam veſtra conſilia perplexa & intricata ſpinarum inſtar matureſcant, ſeu exitum habeant. Ac tunc verti atque exponi poterit poſterius membrum ſic, *ſicut viuentem*, id eſt, ſicuti erit viuens & bene ſanus, *ſic ira vt turbo abripiet eum.* Quem? Saulem. Hæc ſententia ferè recidet in eam, quam primo loco poſuimus. Ex Hebræis ſunt, & obſeruat Ezra, qui ſic interpretentur ferè, *Priuſquam intelligãt*, homines ſcilicet, *ſpinas veſtras* (*eſſe*) *rhamnum: ſicut viuens*, ho- C mo ſcilicet iratus facere ſolet, *ſic* (*in*) *ira vt turbo deturbabit eas* Deus. His, credo, verbis ſignificari volunt euertenda conſilia, conſpirationem, & praua deſideria, antequam maturuerint. Sic in יִשְׂעָרֶנּוּ *ijſarennu*, quod ſignificat, *vt turbo deturbabit eũ*, erit enallage numeri ac generis in affixo pronomine. Sic autẽ ipſe Ezra interpretatur ferè, Antequam maturuerint ſpinæ, & facta fuerit rhamnus, deturbabit eas Deus è loco ſuo. *Sicut viuentes*, id eſt, exiſtentes in robore vitæ, in ipſa viriditate. *Sicut* (*in*) D *ira* quis ſolet arborem euellere ac deturbare. Ignoſce ſi fui prolixior. Verſus erat obſcurus, & ad intelligendum difficilis: de quo fortaſſe plura dicerem, niſi ſatietati legentium vellem occurrere. Adijciam adhuc illud tamen, de exitu Saulis, & eorum, qui ab eo ſtabant, legendum eſſe poſtremum caput 1. Sam. & decimũ 1. Par.

11 *Lætabitur iuſtus* ſceleratorum punitione ex zelo diuinæ iuſtitiæ, non propriæ vindictæ. *Pedes ſuos lauabit* &c. Repete E *quum*: hoc ſenſu, quum tanta erit effuſi ſanguinis copia, vt in ſanguine pedes poſſit lauare. Hyperbolica loquutio. Alij poſterius membrum prioris repetitionem eſſe iudicant, putántque locutionem iſtam ex conſuetudine Hebrææ gentis natam eſſe, quæ defatigatorum ex itinere, aut labore diurno pedes lauare, atque ita refocillare ſolebat: vnde eſt illud D. Pauli 1. Timoth. 5. ſanctorum pedes lauare: hincque ille mos hodiéque apud Religioſos viget.

12 *Et dicet homo*, hoc eſt, quotquot au-

diuerint, & tantæ cladis famam accepe- A rint. *Vtique fructus (eſt) iuſto*, quippe cuius iniurias tam ſeuerè Deus vlciſcatur, & puniat. Non caret præmio iuſtitia ſeu pietas. *Vtique eſt Deus iudicans* ſceleratos, vel quoſque pro meritorum ratione. *Iudicans :* ad verb. *iudicantes*, vt, quod interdum fit, (puta Ioſ. 24. 19.) conueniat in B num. cum nomine אלהים *Elohim*, quod ſub terminatione plurali, more apud Hebræos recepto, & honoris cauſsâ vnum Deum ſignificat: quâ de re conſule, ſi vis, annotationes noſtras in Card. Bellar. inſtitutiones hebraicas poſt Syntaxin. Ezra, nec repugnat Kimhi, voce *Elohim* Angelos intelligit, ob plurale illud *iudicantes* ſcilicet: Angelos, qui vices Dei interdum gerant, eiúſque iuſſu iudicium in terris exerceant. *In terra*. Hoc de induſtria additum aduersùs profanos homines, qui putant Deum nihil curare res humanas, aut quæ in terris geruntur : ſed eius imperium cœlo coërcent, exiſtimantes non poſſe illum per caliginem iudicare, nubes eſſe latibulum illi, & non videre, vt eſt Iob 22. Alij volunt additum eſſe *in terra*, quò ſignificaretur, Deum non ſemper iudicia in alteram vitam differre, ſed ea etiam in hac vita exercere.

PSALMVS

LIX. | LVIII.

VERSIO

NOVA.	VETVS.
PRAECENTORI, al-taſchcheth, Dauid Michtam, quando miſit Saul, & cuſtodiuerunt domum, vt interficerent eum.	*IN finem, Ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptionem, quando miſit Saul, & cuſtodiuit domum eius, vt eum interficeret.*
2 Eripe me ab inimicis meis, Deus meus : ab inſurgentibus in me [a] libera me.	2 *Eripe me de inimicis meis Deus meus : & ab inſurgentibus in me libera me.*
3 Eripe me ab operantibus iniquitatem, & à viris ſanguinum ſalua me.	3 *Eripe me de operantibus iniquitatem : & de viris ſanguinum ſalua me.*
4 Quia ecce inſidiantur animæ meæ, [b] irruunt in me fortes: [c] neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine.	4 *Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes.*
5 Sine iniquitate accurrerunt, & parauerunt ſe : exurge in occurſum meum, & vide.	5 *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine : ſine iniquitate cucurri, & direxi.*
6 Et tu Domine Deus exercituum, Deus Iſraël, euigila ad viſitandas omnes gentes : non miſerearis omnibus [d] qui operantur iniquitatem.	6 *Exurge in occurſum meum, & vide: & tu Domine Deus virtutum, Deus Iſraël,*
	7 *Intende ad viſitandas omnes gentes: non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem.*

[a] ad verb. exalta
[b] heb. congregantur
[c] heb. non
[d] heb. præuaricatoribus iniquitatis.

Digitized by Google

8 *Conuertentur ad veſperam : & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.*

9 *Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labijs eorum : quoniam quis audiuit?*

10 *Et tu Domine deridebis eos : ad nihilum deduces omnes gentes.*

11 *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es :*

12 *Deus meus, miſericordia eius præueniet me.*
13 *Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos : nequando obliuiſcantur populi mei.*
14 *Diſperge illos in virtute tua : & depone eos protector meus Domine.*

15 *Delictum oris eorum, ſermonem labiorum ipſorum : & comprehendantur in ſuperbia ſua.*
16 *Et de execratione & mendacio annuntiabuntur in conſummatione : in ira conſummationis, & non erunt.*

17 *Et ſcient quia Deus dominabitur Iacob, & finium terræ.*

18 *Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes : & circuibunt ciuitatem.*

19 *Ipſi diſpergentur ad manducandum : ſi verò non fuerint ſaturati, & murmurabunt.*

20 *Ego autem cantabo fortitudinem tuam : & exultabo manè miſericordiam tuam.*
21 *Quia factus es ſuſceptor meus, & refugium meum, in die tribulationis meæ.*

7 Reuertuntur ad veſperam, perſtrepunt vt [e] canes, & circumeunt ciuitatem. e heb. canis,

8 Ecce, loquuntur in ore ſuo; gladij in labiis eorum : quoniam quis audit?

9 Et tu Domine deridebis eos : ſubſannabis omnes gentes.

10 Fortitudinem eius ad te cuſtodiam : quia Deus arx mea.

11 Deus miſericordiæ meæ præueniet me : Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos.
12 Ne occidas eos, ne fortè obliuiſcantur populus meus; [f] diſperge illos in virtute tua, & depone eos : clypeus noſter, Domine. f heb. vagari fac

13 (Propter) delictum oris ſui, ſermonem labiorum ſuorum comprehendantur in ſuperbia ſua : & de execratione & mendacio [g] annuntient. g narrent.
14 Conſume in furore, conſume, & non ſint : & [h] ſcient quòd Deus dominatur in Iacob, ad fines terræ. h vel ſciāt

15 Et reuertantur ad veſperam, perſtrepant vt [i] canes, & circumeant ciuitatem. i heb. canis,

16 Ipſi [l] diſpergantur ad manducandum : quum non fuerint ſaturati, pernoctent. l heb. vagentur

17 Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & [m] exaltabo manè miſericordiam tuam : quia fueris arx mea, & refugium in die anguſtiæ meæ. m prop. canam

Digitized by Google

18 Fortitudo mea, tibi pſallam: quia Deus arx mea, Deus miſericordiæ meæ.

22 *Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus miſericordia mea.*

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *HVnc pſalmum compoſuit Dauid, domo ſua iuſſu Saulis obſeſſa, quò interceptus occideretur, ſicuti inſcriptio teſtatur. Illa autem hiſtoria legitur* 1. *Sam.* 19. *verſu* 11. *& ſequentibus. In iſto igitur periculi metu has preces ad Deum fudit, in quibus à ſceleratorum & ſanguinariorum hominum inſidijs liberari petit, quòd fortiores ſint, quòd innocens ſit. Dein ſceleratis, in quacumque gente ſint, exitium, & quidem acerbè ſatis, imprecatur. Mox ad illos redit, qui venerant obſeſſum ſuam domum, ibique canum inſtar latrabant, qui omnes vrbis plateas percurrebant, qui non aliud quàm cædem & ſanguinem crepabant, Deum nihil metuentes, quem latere, quæ in terris fiunt, crederent. Verùm, inquit, longè falluntur. Nam tibi, Domine, erunt ludibrio, ſicuti & quotquot omni ex gente iniuſtè ac malitioſè innocentes opprimunt. Non poſſum, inquit, potentiæ Saulis obſiſtere: itaque mihi præſidium in te ſtatuo, qui mihi nunquam defuiſti. Tu profectò pro ſolita erga me miſericordia periclitanti mihi nunc maturè aderis, dabiſque vt aduerſarios iuſtis pœnis affectos lætus intuear. Inde ſubijcit imprecationem, quâ explicat quo genere mortis & ſupplicij hoſtes ſuos, ac præſertim domus obſeſſores perire velit, nimirum lenta morte, huc & illuc diu antè diſtractos, opibúſque & dignitatibus exutos: quò nimirum eius ſupplicij in animis hominum tenaciùs hæreat memoria. Apertè mox optat, palàm faciendæ diuinæ iuſtitiæ ergò, vt illi fame paulatim conſumantur, cogantúrque ad veſperam vſque curſando, ac recurſando omnes ciuitatis plateas perreptare, canum famelicorum inſtar vlulantes, & poſtquam in quærendo victu fruſtra totum conſumpſerint diem, ſeque ambulando & vagando ruperint, in hoſpitium miſeros & famelicos ſe recipere. Denique Dauid Deo gratitudinem pollicetur, & in medijs periculis, more ſuo, ad gratiarum actionem pro liberatione ſeſe accingit. Hæc ſumma eſt huius pſalmi: illud argumentum, quod indicat Titulus: etſi de Chriſti paſſione, & pœnis Iudæorum, quæ ſequutæ ſunt, myſticè intelligendus eſt.*

1 *Quando miſit Saul*, &c. Vide eadem verba verſu 11. loci cit. in Argum.

2 *Eripe me ab inimicis* &c. Hoc & ſequente verſu continetur propoſitio. *Libera me*, ad verb. *exalta me*, quaſi dicat, in loco ſublimi me conſtitue, ne ab hoſtibus pertingi, & capi poſſim. Alibi ſæpe explicata eſt vis huius vocis.

3 *Ab operantibus iniquitatem.* In Fonte magis emphaticè *ab operarijs iniquitatis*, qui ſcilicet in ſceleribus viuunt, qui delectantur maleficiis, qui me nulla laceſſiti iniuria ad iniuſtam necem expectant: quò pertinet *à viris ſanguinum.*

4 *Quia ecce inſidiantur* &c. Rationem propoſitionis petit à ſua innocentia, qui nulla in re inſidiatores ſuos læſerit, necnon ab inſidiatorum viribus, aduerſùs quas ſolus ſeſe tueri haud poſſit. *Animæ meæ*, hoc eſt, vitæ meæ. Sæpe dictum animam pro vita appellari. *Neque iniquitas mea* eſt vlla, *neque peccatum meum* eſt vllum aduerſùs illos: nulla iniuria eos prouocaui. Chald. interpretatur, *non propter iniquitatem meam, neque propter peccatum meum.*

A *Domine*, quem nihil latet. In hoc & ſequente verſu verba partim ſunt præteriti, partim fut. temporis. Itaque reddantur per præſens ex Regula.

5 *Sine iniquitate* mea, vt in præcedente verſu. *Accurrerunt, & parauerunt ſe* ad intercipiendum atque interficiendum me.

Exurge (humanitus dictum) *in occurſum meum*, id eſt, mihi periclitanti obuius occurre. *Et vide* quanto verſer in periculo.

6 *Et tu Domine Deus exercituum*, &c. Dauid, quoniam ſciret vbique terrarum

B eſſe, qui innocentes iniuſtè opprimerent, Deum orat, vt qui pro ſua ſingulari clementia diuturnam ſæpe impijs concedit impunitatem, nunc tandem de improbis, vbicumque locorum ſint, ſupplicium ſumat, nec vllius miſereatur. Sed cur omnibus ſceleratis hominibus, vbicumque locorum ſint, pœnam imprecatur? Quò faciliùs quod vult impetret. Nam ſibi perſuadebat Dauid, ſi in alios extra Hebræam gentem ſceleratos homines animaduerteret Deus, futurum vt domeſti-

Digitized by Google

cis atque inteſtinis hoſtibus minimè parceret. A Deinde de ſe coniecturam faciens Dauid, quàm difficile eſſet Deum ſtatuere, & agnoſcere rerum humanarum rectorem in illa ſceleratorum hominum in probos paſſim ſæuiendi licentia, petit ſupplicium ſumi de impiis, quò diuinæ iuſtitiæ exemplum omnibus pateat. Explicemus ſingula.

Et tu. Vide quàm familiariter Deum appellet. *Domine.* In Fonte יְהוָה nomen ἄῤῥητον, quod Deum, vt ens, ſeu exiſtens, ſignificat. *Deus exercituum* quà cæleſtium, quà terreſtrium, id eſt, omnium, B quæ cælis terráque continentur, omnium rerum creatarum, quæ Deo, tanquam ſuo imperatori, militant, atque obſequuntur. Aptè, vbi de puniendis ſceleratis, vbicumque ſint terrarum, agitur. Quid ſignificet *Dominus* ac *Deus exertituum*, vide ad verſ. 10. pſal 24. Hoc loco nomen אֱלֹהִים *Elohim*, id eſt, *Deus*, quòd non habeat formam regiminis, haud videtur cõſtruendum cum ſequente nomine, quod etiam indicat reuia, necnon peſik, accentus diſtinguentes. Ergo צְבָאוֹת *ſeuaoth*, quod ſonat *exercitus* C in num. multitudinis, vnum erit, quemadmodum alicubi docet Rambam, è Dei nominibus: ac ſic vertendum hîc erit, *Deus, Sabaoth.* Verùm *Elohim* poteſt eſſe abſolutum pro conſtructo, ſicut aliis nominibus interdum accidit. Et hoc exiſtimo.

Euigila. Metaphoricôs hoc dicitur, & ex hominum more, qui opus habent ſomno excitari, ſi eos volumus nobis adeſſe. Deus, pios quum negligit, nec à ſceleratis defendit, ſomno aut otio videtur teneri, D carni ſcilicet: quum verò defendit, è ſomno expergiſci. Caro quippe quotidianâ illâ, quam pro ſuis Deus gerit, curâ conuicta, potiùs quàm Deum ſtatuat ſuos deſerere aut negligere, ad modum otiantis aut ſomno indulgentis ſibi illum fingit, ex more videlicet hominum, quos videt otio vel ſomno impediri ne agant, ſuáque obeant munia: quaſi minùs dedeceat Deum dormire, quàm ſuos non curare. Hinc illa locutio *euigila*, & ſimiles de Deo vſurpantur. *Ad viſitandas omnes Gentes.* Hîc *viſitare* in malam partem ſumitur, pro, E punire: ſicuti declarat ſequens membrum. *Viſitare aliquem* in vtramque partem dicitur. In bonam, exemplum habes pſ. 8. 5. In malam, Ierem. 6. 15. *in tempore, quo viſitabo eos, corruent, dicit Dominus.* Eiuſdem 14. 10. *& viſitabit peccata eorum.* In malam partem vſurpatum verbum *viſitandi* ſæpius conſtruitur cum עַל *al*, id eſt, *ſuper, contra.* Vide ad verſ. 5. pſal. 8.

Non (ne) miſerearis omnibus qui operãtur iniquitatem, in Heb. magis emphaticè, *omnibus præuaricatoribus iniquitatis*, quæcumque in gente fuerint, vti Ezra explicat. Videri ſanè poſſet hîc Dauid inhumanior, niſi illum diuinæ iuſtitiæ zelus excuſaret.

7 *Reuertuntur ad veſperam.* Omnino apparet ex 1. Sam. 19. 11. vbi legitur, *Miſit ergo Saul ſatellites* (heb. *nuntios*) *ad domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & interficeretur manè*: apparet, inquam, ex eo loco veſpere vel noctu miſiſſe Saulem, qui ædes Dauidis ſeruarent. Eam ob rem hîc ait, *Reuertuntur ad veſperam.* Sed cur *reuertuntur*? Verbo *reuertendi*, vt opinor, ſignificare vult non vnas copias miſiſſe Saulem, quæ domum Dauidis obſiderent, ſed multas eodem tempore, & quidem alias poſt alias. *Reuertuntur* ergo videtur hoc loco idem eſſe, atque, alij poſt alios veniunt. Hoc ſenſu ex Kimhi vſurpatur *reuertendi* verbum pſal. ſeq. verſu 2. vbi dicitur, *& reuerſus eſt Ioab*, id eſt, & ſucceſſit Ioab. In hunc vſum apud Gallos receptum eſt verbum *reuenir*, vt de ijs, qui poſt alios veniant, etiam dicatur, in familiari & quotidiano ſermone. Coniectura mea eſt. Vtere, ſi placet. Si non placet, accipe aliam. Saul de die, vel etiam ſub noctem, quod ex vltimis verbis verſus 10.i cap. 19.i 1. Sam. videtur poſſe colligi, voluerat, ſed irrito conatu, Dauidem lancea perfodere. Eodem veſpere, vel certè veſpere eius diei, fremens irritum fuiſſe conatum, miſit qui Dauidem interficerent. Idcirco fortaſſe dicit *Reuertuntur ad veſperam*: reuertuntur, quia partes videlicet Saulis agebant, quódque ipſe non potuerat perficere, tentatum veniebant. Simplicius fortaſſe fuerit *reuertuntur* exponere, pro, eunt & redeunt, ſicuti facere ſolent, qui aliquid ſollicitiùs agunt, ac præſertim excubias. Vltimo tantùm modo id verbi videtur poſſe accipi verſu 15. Addam & hoc, *reuertendi* verbum pro *venire* ſimpliciter forſan hîc vſurpatum. Coniecturam firmo exemplo 2. Paral. 19. 8. vbi legitur in Heb. cod. *& reuerſi ſunt*, hoc eſt, venerunt abſolutè, *(in) Ieruſalem*, nempe Leuitæ, Sacerdotes, & principes familiarum, ex locis, vbi habitabant. Vide locum. *Perſtrepunt vt canes.* Qui inſidias faciunt, ſummo ſilentio agere ſolent, ſuſpenſo gradu placidè euntes, animam comprimentes, vt, quem volunt, incautum poſſint opprimere. Hi contrà, Deo rem gubernãte, turbulẽtiùs incedebant, altiùs loquebantur, adeo vt eorum voces ad Michol vxorem Dauidis peruenerint, quæ ſtatim virum monuerit, ſuæ vt vitæ conſuleret, his, inquam, verbis, *Niſi ſaluaueris te*

Digitized by Google

nocte hac, cras interficieris: 1. Sam. 19. 11. id quod fecit Dauid fune per feneſtram demiſſus. *Et circumeunt ciuitatem.* Nam ex ea cohorte, quæ domui obſidendæ fuerat adhibita, ſubinde mittebantur qui circumcurſitarent hinc inde, & omnes vrbis angulos perluſtrarent, ne quâ Dauid elabi poſſet. In hoc & ſequẽte verſu verba ſũt fut. temp. ſed per præſens reſoluenda, vt aliàs ſæpe, extra Pſalmos etiam, putà 1. Sam. 24. 10 *Quare audis*, ad verb. *audies* &c. 2. Sam. 1. 3. *Vnde venis?* ad verb. *venies?*

8 *Ecce, loquuntur in ore ſuo.* Quid? Cædem & ſanguinem. Hoc vult illud quod mox ſubiungit, *gladij* (emphaticè hîc numerum plur. adhibuit) *in labiis eorum. Ecce* ait emphaticè, quaſi velit ſignificare ſe illorum verba ac minas audire, quippe qui canum latrantium inſtar intentiore voce clament, vt qui nihil iam ſe metuant. Verùm etſi forſan Dauid nihil audiret eorum, quæ inter ſeipſi conferrent, tamen nimis illi exploratum erat, quid meditarentur, & quorſum veniſſent. Itaque potuit certò dicere, *Ecce, loquuntur in ore ſuo*; &c. *Quoniam*, ſup. inquiunt, vel potius cogitant, *Quis audit?* nam illi, inquit, Deum non metuunt, quem nec videre nec audire credunt, quæ in terris geruntur, aut dicuntur. Vox hæc impia, *Quis audit?* Similis extat pſal. 10. 11. *Dicit in corde ſuo, Obliuiſcitur Deus: occultat faciem ſuam, ne videat in æternum.* Ibidem, verſu 13 *Propter quid irritat impius Deum? dicit in corde ſuo, (Quòd) non inquires?* Verſu 14. ſequitur, *Vides*, &c. itidem hîc, *Et tu Domine deridebis eos*: &c.

9 *Et tu Domine deridebis eos.* Senſus, Sed tu Domine, qui audis illorum minas, ſecus quàm cogitant, deridendos eos præbebis. Quot ludos præbuerunt diligentes iſti ædium cuſtodes, quum in lecto Dauidis inuentum eſt ſimulachrum pro Dauide? Vide toties cit. cap. Sam. v. 16. *Subſannabis omnes gentes*, id eſt, quotquot ex omnibus gentibus innocentes opprimunt. Reſpondet hoc τῷ verſus 6. *euigila ad viſitãdas omnes gentes. Subſannabis*, in Græco ἐξουδενώσεις, in Lat. *ad nihilum deduces*, pro, floccifacies. Fortaſſe ſimplicius fuerit *deridebis*, & *ſubſannabis* metaphoricè de Deo dictum accipere, pro, quaſi per iocum & nullo negotio euertes omnes illorum conatus: eludes omnes illorum minas. Hoc ſenſu pſal. 2. 4. dicitur, *Qui habitat in cælis, irridebit: Dominus ſubſannabit eos.*

10 *Fortitudinem eius ad te cuſtodiam.* Relatiuum *eius* ſententiam facit obſcuriorem: & de hoc loco variæ ſunt interpre-

A tum ſententiæ. Raſi ſic ferè exponit, Fortitudinem & robur inimici mei, (Saulis,) qui me longè viribus ſuperat, *ad te* (ſeu *tibi*) *cuſtodiam*, ac reſeruabo, expectans vt me ab eo defendas. Flaminius hunc ſequutus eſt, Non poſſum ego potentiæ regis obſiſtere: itaque certamen hoc tibi ſeruabo, & viribus illius vires tuas obijciam. Kimhi ſubaudit *propter*, & ſic explicat, (*Propter*) *fortitudinem eius* Saulis, qui me fortior eſt, *ad te obſeruabo* ſeu *reſpiciam*, vt me ex illius poteſtate eripias: ſiquidem mihi

B præter te nullum eſt perfugium, hoc ſignificat, *quia Deus arx mea.* Sic ille. שָׁמַר *ſchamar*, quod eſt *ſeruare*, cum אֶל *el*, i. *ad*, conſtructum ſignificat *obſeruare*, ſeu *reſpicere ad.* Vatablus, ſi tamen is eſt autor notarum biblicarum, quæ vulgò illi tribuuntur, vult hîc de ſe loqui Dauidem in tertia perſona: vt quum ait, *Fortitudinem eius ad te cuſtodiam* ſeu *tibi reſeruabo*, idem ſit, quod, apud te habeo fortitudinẽ meam repoſitam. Sentirem ego potiùs, ſi ſic velim interpretari, cum aliis, Mollero

C etiã, legendum hîc eſſe עֻזִּי *vzzi*, pro עֻזּוֹ *vzzo*, quòd irrepſerit ſcilicet ו pro Iod. Iuuat Chald. qui hîc habet, *Fortitudinem meam tibi cuſtodiam.* Omitto quòd Græcus & Lat. ſic legerint. Quo modo ſi legas, vertere etiam commodè poteris, *Fortitudo mea, ad te cuſtodiam*, ſeu *te obſeruabo.* Probabit hanc verſionem vltimus verſus, qui habet, *Fortitudo mea, ad te* ſeu *tibi pſallam*: &c. qui quidem verſus ex hoc, & ſequente partim confectus eſt. Hoc quoque

D modo accepit Ezra, etſi legit עֻזּוֹ *vzzo*: ſed ſatis incommodè. Idem obſeruat hîc dici *cuſtodiam*, id eſt, vigilabo, τῷ וַיִּשְׁמְרוּ verſus 1. *& cuſtodiuerunt domum.* Optimè ſanè. Illi vigilant, & excubias agunt obſidentes domum: ego autem ad te vigilabo. Tu igitur euigila.

11 *Deus miſericordiæ meæ.* Paſſiuè pronomen intelligatur, hoc ſenſu, Deus, qui tot adhuc clementiæ & amoris erga me ſigna exhibuit. De pronominibus paſſiuè accipiendis lege ad verſ. 6. pſal. 2. Græcus

E & Lat. legerunt aliis punctis, אֱלֹהַי חַסְדּוֹ *elohai chaſdo*, *Deus meus, miſericordia eius*, haud incommodè ſanè, cùm præſertim in textu ſine punctis ſcribatur חסדו, quod, vt ſcribitur, ad Deum referri oportere docet Kimhi, eundémque ſenſum effici. Si τὸ חסדו legendum, vt ſcribitur, quod per Kimhi licet, profectò אֱלֹהֵי *elohe*, conſtructum erit pro abſoluto: vel potiùs cum Græco, & Latino erit legendum, mutato punctulo, אֱלֹהַי *elohai*, id eſt, *Deus meus.* Vertere poſſis, *Deus meus miſericordiâ ſuâ.* *Præueniet me*, hoc eſt,

maturè

Digitized by Google

maturè ad ferendam opem aderit, & quod precatus ſum, exurget in occurſum meum. Quanquam enim periculum videtur eſſe propè, illud tamen, ſcio, anteuertet: qui, etſi interdum vtcumque ceſſat, aut opem ſuam differt, in ipſo tamen ſemper adeſt articulo. An mihi precanti deerit, qui quoties ſuorum preces ſolet præuenire, eóſque loquentes adhuc, imò antequam clament, exaudire? *Deus oſtẽdet mihi* ſeu *videre faciet me* id, quod opto. Sermo eſt præciſus, cui ſimilis iſte, pſal. 35. 21. *Euge, euge, viderunt oculi noſtri*. Necnon iſte, pſ. 54. 9. *& in inimicis meis vidit oculus meus*. De quibus vide ſuis locis. Chald. interpretatus eſt, *Deus videre faciet me vindictam*.

Iſa 65. 24.

12 *Ne occidas eos*, Chald. addit *ſtatim*, &c. Sẽſus, Ne ſubitò, aut momẽto illos interfice, ne fortè exẽplum tuæ iuſtitiæ nimis citò effluat è memoria populi mei. Lẽto potiùs, & diutino cruciatu contabeſcant, vagi hinc inde, omnium rerum egentes, & dignitatibus ſpoliati, non tam quò atrocior ſit pœna, quàm vt eius ſupplicij in animis hominum diutius hæreat recordatio. In hoc igitur & ſequentibus verſibus imprecatio eſt, quæ, vt in Prophetis, vim habet vaticinij. Neque enim dubitandum, quin ea quæ hîc hoſtibus, ac præſertim domus obſeſſoribus Dauid imprecatur, euenerint. *Populus meus*, id eſt, populares mei. Vel, populus iſte quem mihi regendum deſtinaſti. *Diſperge* (prop. *vagari fac*) *illos* &c. Alludere videtur ad pœnam Caini, cui Deus dixit, *vagus & profugus eris ſuper terram*, Gen. 4. 12. Chald. hoc interpretatus eſt, *tranſporta illos è domibus ipſorum in fortitudine tua. Clypeus noſter*, id eſt, tu mihi ac meis clypeus es.

13 *(Propter) delictum oris ſui, ſermonem* &c. Ex Chald. & Ezra ſupplendum eſt *Propter*. Exiſtimo ו id eſt, *&*, in וַיִּלָּכְדוּ *veijllachedhu, & comprehendantur*, fortaſſe abundare, vt interdum fit, putà 2. Sam. 13. 20. & aliàs. Sic enim ſententia clara eſt, & perſpicua, Propter ſceleſtas illas aduerſùm me minas, & calumnias, irretiti capiantur, & quidem ſuâ ipſorum ſuperbiâ, & temeritate, quâ audent ſibi perſuadere non eſſe Deum, qui ipſos audiat, atque vlciſci poſſit. Chald. hanc partem ſic expoſuit, *Propter delictum oris ſui, & ſermonem labiorum ſuorum comprehendantur in ſuperbia ſua*. Vides Chaldæum non vertiſſe τὸ ו *ve*, ſed omiſiſſe, quòd exiſtimaret redundare. Verùm non redundet, ſi vis, ſed coniungat hunc verſum cum præcedente ſic, *Et comprehendantur in ſuperbia ſua (propter) delictum*, &c. dicque eſſe Synchiſim poëticam ſimilem illi Iob 23. 12. *(A) man-*

A *datis labiorum eius & non receſſi*, pro, *Et non receſſi* &c. *Et de execratione & mẽdacio annuntient* ſeu *narrent*, id eſt, ita eorum execrationes & mendacia puniantur, vt de iis palàm omnes loquantur. Hoc per antitheſin τȣ̃ *ne obliuiſcantur populus meus*, videtur dictum. Siquid melius habeas circa hunc verſum, impertire. *Annuntient*. Impersonaliter, & indefinitè, gall. *que l'on raconte*. Sic Iob. 18. 18. *expellent eum*, hoc eſt, expelletur, & alicubi in Euangelio, *Hodie tollent animam tuam*, pro, tolletur anima
B tua.

14 *Conſume in furore*, &c. Senſus, Conſume eos in furore tuo paulatim ac paulatim, *&* tandem *non ſint*, ita vt illis non ſit vllus ſuperſtes. Kimhi. *Et ſciant* omnes, quotquot ea de re audiuerint, *quòd Deus dominatur in Iacob*, animaduertendo in improbos, nec ſolùm in Iacob, ſed vſque *ad fines terræ*. Poſſem referre, *ad fines terræ*, ad, *& ſciant*, omnes ſcilicet ad fines vſque terrarum. Potes exponere, *& ſciant* ij, dum ſenſim conſumentur.

15 *Et reuertantur ad veſperam*, &c. Hoc
C & ſequente verſu exponit quo modo velit paulatim conſumi ſuarum ædium obſeſſores, fame ſcilicet. Repetit porrò verſum 7.[u], iiſdem verbis in Fonte, ſed ita, vt quod illic narratiuè dixit, hîc imprecatiuè ſit accipiendum, in hanc ſententiam, Facito, ô Deus, vt qui meam domum veſpere obſeſſum venerunt, euntes ac redeuntes, tumultuantes & vlulantes canum famelicorum inſtar, pérque vrbem circuncurſitantes, nunc iidem ipſi pro hoc ſcelere cogantur
D ad noctem vſque curſare, ac recurſare, inſtar canum famelicorum latrantes, & omne vſque oppidum perreptantes. In hoc verſu *ad veſperam* videtur idem eſſe atque vſque ad veſperam.

16 *Ipſi diſpergantur* (heb. *vagentur*) *ad manducandum:* &c. Hic verſus explicat præcedentem. *Ad manducandum*, id eſt, quærendi victus cauſſa. *Quum non fuerint ſaturati, pernoctent*, id eſt, cogantur totam noctem ieiuno ſtomacho tranſigere. *Quum*. Heb. אִם־ *im*, quod hoc loco
E poſſe ſignificare *quum* probat Kimhi ex Num. 36. 4. וְאִם־ *veim*, id eſt, *Quùmque fuerit Iubilæus filijs Iſrael:* ex Exo. 20. 25. וְאִם־ *veim*, *Quùmque altare lapideũ facies mihi*. Verùm hæc particula quidnĩ etiam in iſtis locis ſignificet fortaſſe *ſi*, vt aliàs ſolet? Addo igitur locum ex Amos 7. 2. vbi citra controuerſiam iſta particula ſignificat *quum*. En, *Et factum eſt*, אִם־ *quum conſummaſſet comedere*. Ibi in Græco eſt ἐὰν, in Lat. *quum*, & ſenſus hanc ſignificationem poſtulat. In fragmentis Aqui-

læ hîc eſt, ἐὰν μὴ ἐμπλησθῶσιν. S. quoque Hieron. vertit, *& cùm ſaturati non fuerint.*

Pernoctent, ad verb. *& pernoctauerunt*, pro, *& pernoctabunt*, ſeu *pernoctent*, præt. pro fut. vt ſæpe. Hic porrò vel redundat *&*, ſicuti & verſu 13. vel eſt ſynchiſis poëtica ſic ordinanda, *& pernoctent, quum non fuerint ſaturati*. Vide ad verſ. 13. Poteſt etiam ſic exponi hæc pars, *certè non ſaturentur, & pernoctent*, id eſt, non ſatiati pernoctent, eodem ſenſu. Quòd אִם *im*, ſignificet *certè*, probat Kimhi ex Prou. 23. 18. *Quia*-אִם id eſt; *certè eſt merces*. Sed nil eſt neceſſe hoc probare. Eſt enim hæc B ſignificatio nimis trita. *Pernoctent*. Græcus, Lat. D. Hier. Pagn. & alij vetterunt *murmurabunt*, ex altera verbi יָלִינוּ *ialinu*, ſignificatione: ſed minùs aptè ad hunc locum, meo iudicio.

17 *Ego autem*, poſtquam me de hoſtibus ſic vltus fueris. Vel potiùs, *Ego autem* ex hoc periculo liberatus *cantabo* &c. Familiare eſt Dauidi pſalmos, in quibus liberationem petit, gratiarum actione claudere. *Fortitudinem tuam*. Πρὸς τὸ verſus 10. *Fortitudinem eius ad te cuſtodiam.*

Miſericordiam tuam. Πρὸς τὸ verſ. 11. *Deus miſericordiæ meæ præueniet me*. Li-A berationem ſuam, aut hoſtium ruinam, atque euerſionē ſoli Dei potentiæ ac miſericordiæ adſcribit. *Manè*, id eſt, ſingulis matutinis. Cur manè, vide ad verſ. 2 pſal. 63. Quum ait *manè*, fortaſſe vult dicere cras manè, vel ſequente mane: ſciebat quippe iſta nocte ſe liberandum. *Quia fueris*. Potes vertere *quòd fueris*, ſup. cantabo. Poſteriore modo accepit Kimhi.

18 *Fortitudo mea*, id eſt, O qui es fortitudo mea, *tibi* (heb. *ad te*) *pſallam*. Hoc ait πρὸς τὸ verſus 10. *Fortitudinem eius ad te cuſtodiam*: proinde quaſi diceret, Ego B mox dicebam, *Fortitudinem eius* (Saul quippe modò me fortior eſt) *ad te cuſtodiā*: nunc autem dico, *Fortitudo mea, ad te pſallam* tunc. Nota venuſtam atque elegantem paronomaſiam hebraicè in his verbis, אֶשְׁמֹרָה *eſchmora*, *cuſtodiam*, & אֲזַמֵּרָה *azāmera*, *pſallā*. *Quia*. Vertere potes *quòd*, hoc ſenſu, *tibi pſallā, quòd Deus* &c. *Deus miſericordiæ meæ*. Hoc iam explicatum ad verſum 11. Græcus, & Lat. quia legerunt hîc אֱלֹהַי *elohai*, ſicuti & verſu 11. verterunt *Deus meus*, *miſericordia mea*, per Aſyndeton. *Miſericordia mea*, hoc eſt, qui mei miſereris, ſicuti *ſalus mea*, pſal. 27. 1. id eſt, author meæ ſalutis.

Digitized by Google

PSALMVS

LIX. LX.

VERSIO

VETVS.

IN *finem, Pro his qui immutabuntur, in tituli inſcriptionem ipſi Dauid in doctrinam, cùm ſuccendit Meſopotamiam Syriæ, & Sobal, & conuertit Ioab, & percußit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.*

2 *Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos: iratus es, & miſertus es nobis.*

3 *Commouiſti terram, & conturbaſti eam: ſana contritiones eius; quia commota eſt.*

4 *Oſtendiſti populo tuo dura: potaſti nos vino compunctionis.*

5 *Dediſti metuentibus te ſignificationem: vt fugiant à facie arcus.*

6 *Vt liberentur dilecti tui: ſaluum fac dextera tua, & exaudi me.*

7 *Deus locutus eſt in ſancto ſuo: Lætabor, & partibor Sichimam: & conuallem tabernaculorum metibor.*

8 *Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes: & Ephraim fortitudo capitis mei,*

9 *Iuda rex meus: Moab olla ſpei meæ.*

10 *In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ ſubditi ſunt.*

NOVA.

PRAECENTORI ſuper Suſan edhuth, Michtam Dauid ad docendum.

2 Quum certaret cum Syria Interamni, & Syria Soba, & reuerſus eſt Ioab, & percuſſit Edom in Valleſalis, duodecim millia.

3 Deus repuliſti nos, perrupiſti nos, iratus es: reuertere ad nos.

4 Contremiſcere feciſti terram, ſcidiſti eam: ſana fracturas eius, quia nutat.

5 Oſtendiſti populo tuo [a] dura: potaſti nos vino horroris. a heb. durum.

6 Dediſti metuentibus te vexillum ad extollendum, propter veritatem.

7 Vt liberentur dilecti tui, ſaluum fac dexterâ tuâ, & exaudi me.

8 Deus loquutus eſt in Sancto ſuo: lætabor, partibor Sichimam, & conuallem Soccoth metibor.

9 Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Ephraim fortitudo capitis mei: Iuda legiſlator meus.

10 Moab olla lotionis meæ; in Idumæam proiiciam calceamentum meum: ſuper me Palęſtina iubila.

11 Quis deducet me (in) ciuitatem munitam ? quis deducet me vſque in Idumæam?

12 Nonne tu, Deus, (qui) repuliſti nos, & non egrederis, Deus, cum exercitibus noſtris?

13 Da nobis auxilium à tribulatione: quia vana ſalus hominis.

14 In Deo faciemus virtutem: & ipſe conculcabit [b] tribulantes nos.

[b] hoſtes noſtros.

11 *Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vſque in Idumæam?*

12 *Nonne tu Deus, qui repuliſti nos: & non egredieris Deus in virtutibus noſtris?*

13 *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana ſalus hominis.*

14 *In Deo faciemus virtutem: & ipſe adnihilum deducet tribulantes nos.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. *INſcriptio, quæ 2. verſu continetur, declarat ſcripſiſſe hunc pſalmum Dauidem in expeditione cùm aduersùs Syros, tum eodem ferme tempore aduersùs Idumæos. Nec enim pati videtur contextus, vt poſt confecta bella editus dicatur. Hiſtoria, quæ huic pſalmo occaſionem præbuit, legenda eſt 2. Sam. 8. & 1. Paral. 18. Hoc carmen eſt excellentiſſimum, conſtátque duabus partibus. In priore cum Deo expoſtulat Dauid, quòd videatur ſuos deſeruiſſe, ac ſic ferè ait, Curam noſtri, ò Deus, videris abieciſſe, commouiſti nos vehementer, iratus es. Sed tu, ò Deus, iram depone, & ad nos reuertere. Solum ipſum ingenti hoſtilium copiarum multitudine fatiſcens dehiſcit. Sed, age, committe rimas nutantis, ac ruentis terræ. Quæ nobis mala nunc obijcis? Quo nos horrore perculiſti, cuius olim auſpicijs, ac ductu adeo fœliciter bella geſſimus? In altera parte ſic Deum orat: Nunc ergo me tui populi regem opem implorantem exaudi, & ſerua tua potentia, non mea cauſſa, ſed iſtius populi, quem vnicè diligis. Mox ſeſe confirmat Dauid oraculo, quod nuper ex ore Samuelis acceperit, fore, vt non modò Hebræorum gente potiretur, ſed etiam exteros populos imperio ſuo ſubijceret: cuius quidem oraculi veritatem partim ipſe iam fuerit expertus, ſuis iam duodecim Iſraëlis tribubus, Moabitis præterea & Palæſtinis ſubactis. Ac tandem, ait, Idumæos quoque peſſundabo. Sed quo duce, inquit, tot munitiſſimas Syrorum, qui me oppugnatum veniunt, vrbes expugnabo, & Idumæam, quam etiam audio tumultuari, penetrabo? Quo duce, inquam, niſi te, qui nos aliquandiu deſeruiſti, qui noſtris copijs præire recuſaſti? Tu nos igitur nunc ab anguſtijs eripe: vanæ ſunt ſiquidem humanæ vires, nec tot copiæ nobis quicquam proderunt, niſi tu præeas. Per te ſolum, ò Deus, ſtrenuè rem geremus: tu vnus hoſtes noſtros proſternes.*

1 *Suſan Eduth.* Exiſtimo ipſe cum Ezra A fuiſſe hoc initium tritæ & vulgaris cuiuſdam cantilenæ. Sunt qui affirment, teſte Ezra, *Suſan* nomen eſſe inſtrumenti muſici, & vocabulum *eduth*, ſonare *ornamentum.* Si Suſan nomen eſt inſtrumenti muſici, ſignificat Hexachordum. Vide ad ad verſ. 1. pſ. 45. *Michtam*, id eſt, B pſalmus excellens. Vide ad verſ. 1. pſ. 16. *Ad docendum,* quo modo Deum in rebus afflictis ac deploratis precari debeamus. Similis eſt hæc vox iſti לְהַזְכִּיר *lehazcir*, *ad commemorandum,* pſ. 38. in Tit. Fieri poteſt vt hæc vox ad muſicam quoque pertineat, ſicut & illa.

2 *Quum certaret.* Græcus & Lat. verterunt *Quum ſuccendit.* Legerunt quippe בְהַצִּיתוֹ *behatstsitho*, à verbo יָצַת *iatſath,* quod eſt *ſuccendi*, pro בְהַצּוֹתוֹ *behatstsotho,* י pro ו. Fauet Græco & Lat. Hebræorum Deras, vbi Meſopotamiæ & Syriæ Soba Dauid dicitur ignem inieciſſe. Nihil de hoc tamen in ſacris litteris legitur. Addo, & obſeruat Kimhi, eſſe etiam, ſed ex allegoricis Hebræorum Doctoribus, qui legant בַחֲצוֹתוֹ *bachatſotho*, per ח pro ה, id eſt, *Quum diuideret*: ſiquidem poſuerit Dauid, ſunt hæc illorum verba, Syriam interamnem in Syria Soba, necnon Syriam Soba in Syria interamni ſeu Meſopotamia.

Digitized by Google

A Sed parum fidei allegoricis interpretibus habendum eſt, qui ſæpe de induſtriâ multa præter literalem ſenſum comminiſcuntur, & meras fabulas narrant. *Syria interamni*, ad verb. *Syria duorum fluuiorum.* Significat illam Syriam, quæ Euphrate & Tigri inclytis amnibus circunflua Meſopotamiæ nomen accepit. *Syria Soba.* Hæc nota eſt ex Plinio. Eſt Cœleſyria ſeu Caua Syria. Falluntur porrò, qui Soba, ducti fortè vocis ſimilitudine, Sophenam interpretantur. Eſt enim Sophene in Armenia maiore ad Antitaurum ſupra B ipſos etiam Tigridis fontes: Soba verò in Syria: vnde hîc dicitur *Aram*, id eſt, Syria, *Soba*. Adde 1. Paral. 18. 3. Adarazerem dici fuiſſe regem Soba in Hemath. Atqui Hemath ſeptentrionem versùs terminus eſt extremus terræ promiſſionis: vnde 2. Reg. 14. 25. Ieroboam filius Ioas regis Iſraël ſcribitur reſtituiſſe terminum Iſraël ab introitu Hemath vſque ad Mare ſolitudinis. *Et reuerſus eſt Ioab, & percuſſit Edô in Valle Salinarũ, duodecim millia.* C Scribitur 2. Sam. 8. 13. *Fecit itaque (ſibi) Dauid nomen, quum reuerteretur cæſa Syria in Valle Salinarũ, decem & octo millibus.* 1. verò Paral. 18. 12. *Abiſai verò filius Saruiæ percuſſit Edom in Valle Salinarũ, decẽ & octo millia.* Mane; & vide. In lib. Paral. dicitur *Edom*, ſeu Idumæa, cùm apud Samuelem loco citato dicatur *Syria*. Duobus ergo in locis, nimirum hîc, & loco Paral. notato nominatur *Edom*. Adde apud Samuelem, & loco Paral. citato cæſorum numerari decem & octo millia, hîc verò D duodecim millia duntaxat. Quî igitur hæc, quæ videtur, repugnantia concilianda eſt? Sic ex Kimhi. Videtur bellum contra Idumæos eodem tempore extitiſſe, quo bellum aduerſùs Syros. Probat hoc hic locus, *Quum certaret cum Syria Interamni, & Syria Soba, & reuerſus eſt Ioab, & percuſſit Edom.* Ergo decem & octo illa millia partim ex Syris, partim ex Idumæis fuerunt. Cùm itaque duobus in locis ſcribitur *percuſſit Edom*, Idumæos intellige, & qui cum iis erant, Syros ſcilicet. Similiter E cùm apud Sam. ſcribitur *cæſa Syria*, illud de Syris & Idumæis ſimul eſt accipiendum. Quod autem in libro Paral. ſcribitur Abiſai percuſſiſſe decem & octo millia, cùm illud hoc loco Ioabo tribuatur, & quidem duodecim tantùm millia cæſa dicantur, ſic intelligendum, quòd Abiſai primus in hoſtes impetum fecit, cæſis tum quidem ſex millibus, poſtea autem ſuccedens Ioabus duodecim millia trucidauit, & hoc ſignificatur his verbis, *& reuerſus eſt Ioab, & percuſſit* &c. id eſt, reuerſus eſt Ioab poſt Abiſai. Quoniam verò Abiſai primus hoſtes fudiſſet, idcirco decem & octo millia illi adſcribuntur in libro Paral. At eadem victoria Dauidi etiam tribuitur tanquam Regi, cuius auſpiciis res gerebatur. Atque hoc ſenſu dicitur hîc, *Quum certaret*, nimirum Dauid, &c. Sic ferè Kimhi, qui, vt videtur, facit cùm Syros, tum Idumæos eodem in loco, nimirum in Valle-ſalis, eſſe percuſſos. Verùm locorum, qui in hac Epigraphe nominantur, diſtantia, necnon textus cap. 8^{i}. 2.^{i} Sam. & cap. 18.^{i} 1.^{i} Paral. euidenter arguunt Idumæorum victoriam à Syrorum victoria eſſe diuerſam. Nunquam, fateor, huius mihi veniſſet in mentem, niſi vir clariſſimus Petrus Bertius, Regius Coſmographus, & collega meus, quum illi hæc, quæ ſcribo, oſtenderem, pro ſuâ erga me amicitiâ & animi candore indicaſſet. Experiamur igitur ſiquo alio pacto loca notata, quæ in ſpeciem videntur pugnare, in concordiam reduci poſſint. Repetamus rem altiùs ex hiſtoria, quæ Sam. & Paral. citatis cap. recitatur. Subactis Dauid Philiſtæis & Moabitis, contra Adarazerem Sobæ regem ſuum imperium ad Euphratem porrigere volentem mouit, quo deuicto, & Syrorum Damaſcenorum, qui Adarazeri ſubſidio venerãt, duobus & viginti millibus cæſis, reliquis autem ſub imperium redactis, diſpoſitis opportunis in locis præſidiis, Hieroſolymam victor reuerſus eſt, vbi ſpolia opima Deo ſeruatori conſecrauit. Inde perrexit ad domandos Idumæos, quos in Valle-ſalis, quæ in Idumææ eſt finibus, aſſequutus, ad decem & octo millia cecidit: quò pertinet illud 2. Sam. cap. citati verſ. 13.us *Fecit quoque (ſibi) Dauid nomen, quum reuerteretur cæſa Syria, in Valle Salinarum, decem & octo millibus* ſup. *cæſis* ex præcedentibus, quod Lat. ipſe ſuppleuit. Quid is in Valle Salinarum? Fecit ſibi nomen cæſis Idumæorum decem & octo millibus, quum reuerteretur à victoria profligatorum Syrorum. Abſit enim vt dicas cæſos Syros in Valle-ſalis, quæ ad lacum Aſphaltitem in extrema ſiue maximè auſtrali eius parte, quâ is terminos tangit Idumæorum, ſita, multùm diſtat à Syria, ſicuti norunt Geographi. Non ergo conſtruendum τὸ *cæſa Syria* loci notati cum *in Valle Salinarum:* quod vel accentus diſtinctiuus Tarcha in voce אֲרָם *aram*, id eſt, *Syria*, docet: iſte enim accentus, vt qui lineâ in dexteram reflexâ conſtat, ſuæ vocis ſenſum ceu vinculum quoddam coniungit cum antecedentibus, & diſiungit à ſequentibus. Non leue eſſe debet argumentum, quod ab accentibus ducitur. Præterea non in eo verſu de domitis Syris,

Digitized by Google

ſed Idumęis agitur, vt ex mox ſequente ap- A paret, *Et poſuit in Idumæa cuſtodes*, &c. Deinde vbi 1. Paral. 18. verſ. 12. eadē refertur victoria, ſic legitur, *Abiſai verò filius Saruiæ percuſſit Edom* (vide, Edom) *in Valle Salinarum, decem & octo millia.* Nil obeſt quòd in lib. Paral. Abiſæo ea victoria adſcribatur, apud Sam. verò Dauidi. Nam Dauidi tribuitur, vt cuius auſpiciis, Abiſæo autem, vt cuius ductu res geſta ſit, quemadmodum iam obſeruatum eſt ex Kimhi. Addo, in Epigraphe quoque huius pſalmi Idumæi in Valle-ſalis dicuntur B percuſſi, non Syri. Sed cur in eâdem pſalmi Epigraphe Ioabo ea victoria tribuitur, & duodecim tantùm millia cæſa dicuntur? Sic exiſtimo cum Kimhi iam laudato: Abiſæus primus in hoſtes impetum fecit, cæſis tum quidem tantùm ſex millibus: ſuccedens verò Ioabus duodecim millia ſtrauit. Hinc Abiſæo, quippe qui primus certamen eſſet aggreſſus, vniuerſus cæſorum numerus in Paral. tribuitur: Ioabo verò hîc duodecim tantùm millia, quot ipſe videlicet ſtrauit. Huius autem ſolùm hîc fit mentio, non C Abiſæi, quòd ille duodecim millia trucidarit, hic autem ſex millia duntaxat. Quod dicitur, *& reuerſus eſt Ioab*, ſic porrò intellige, & reuerſus eſt ex Syria, quò abs Hieroſolymis fuerat profectus (Syria autē ad ſeptentrionem eſt vrbis Hieroſolymæ) ad domandam Idumæam, quæ ad eius vrbis meridiem eſt ſita. Ignoſce ſi prolixior fui. Res eſt difficilis & obſcura, & quæ Oedipo egeat. Facilè de Syria & Idumęa ſolueretur controuerſia, ſi 2. Sam. loco citato pro D אֲרָם *aram*, id eſt, *Syria*, legeretur אֱדֹם *edom*, id eſt, *Idumæa*. Verùm hoc eſſet contra fidem omnium exemplarium: etſi Conradus Pelicanus ad iſtum locum diuerſam lectionem inſinuat propter litterarum ר & ד ſimilitudinem.

3 *Deus repuliſti nos*, &c. Hoc dicebat Dauid, quum audiſſet Adarezerem regem Soba aduentare ingenti cum exercitu, vt imperium ſuum ad Euphratem vſque porrigeret: qua de re vide 2. Sam. 8. 3. & 1. Paral. 18. 3. Sed cur dicit *Deus* E *repuliſti* &c. Vt doceat Dei offenſi atque irati nutu arma cepiſſe iſtum regem. *Repuliſti nos*, id eſt, omnem noſtri curam videris abieciſſe. *Perrupiſti nos*, hoc eſt, haud leuiter concuſſiſti, nóſque, quaſi aries murum, perrupiſti, haud mediocri ruinâ factâ. *Perrupiſti* metaphoricum eſt verbum, quod ruinam dicit. Ea, quæ in hoc & ſequentibus verſibus dicuntur, euidenter probant Adarezeris exercitum ingenti terrore, necnon inſigni aliqua clade, etſi huius rei in Hiſtoria non fit mentio, Iſraëlitas affeciſſe. *Reuertere ad nos* in miſericordijs tuis.

4 *Contremiſcere feciſti terram*, &c. Terræ motu, & eo quidem, qui terram ipſam ruperit, metaphoricè Adarezeris ingentes copias notat, quibus ipſa terræ moles veluti concuſſa, ac rupta fuerit. Quantæ fuerint illæ copiæ patet ex cap. Sam. & Paral. citatis. *Sana fracturas eius*, &c. Continuat metaphoram hoc ſignificans, exple ruinas, & confirma nos nutantes, iámque caſuros, niſi manum admoueas.

5 *Oſtendiſti populo tuo dura*, id eſt, Feciſti vt nos populus tuus multa iam dura fuerimus paſſi. *Potaſti nos vino horroris.* Metaphora elegans, quâ hoc ſignificat, horrorem nobis & metum incuſſiſti: perculiſti nos horrore. Phraſis ſumpta eſt à cura œconomica: vt enim paterfamilias ſuis domeſticis diſtribuit demenſum: ita Deus, quoties calamitates ac pœnas immittit, dicitur nobis quaſi demenſum diſtribuere. Ideo pſal. 75. 9. pingitur Deus habens in manu calicem vini rubri, ac fortis, ſed diluti ac temperati, ex quo ſuis propinat, cùm impiis fæces ipſas exugendas ac bibendas præbeat: qua imagine ſignificatur Deum calamitates piis etiam immittere, ſed ita temperatas, vt eas facilè ferre poſſint: impiis autem extrema mala obiicere. Hinc vox *calicis* in Sacris litteris portionem ſignificat, & ſæpius in malam partem accipitur. *Potaſti nos vino horroris.* Simile eſt illud Eſa. 51. 7. *Suſcita te, ſuſcita te, ſurge Ieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem furoris eius, fæces calicis horroris bibiſti, (&) expreſſiſti.* Vide ſimile Ierem. 25. verſu 15. & ſequentibus.

6 *Dediſti metuentibus te vexillum ad extollendum*, id eſt, Olim ſolitus es dare nobis cultoribus tuis vexillum, quod erigeremus in præliis: id eſt, Nos olim tuis auſpiciis, tuóque ductu bella fœliciter geſſimus: vel, Solitus es antea nobis victoriam concedere, & feciſti ſæpe vt in muris & turribus captarum vrbium, qui mos eſt victorum, vexilla erigeremus ac ſuſpenderemus. Eódem ſenſus redit. *Ad extollendum*, ad verb. *ad vexillandum*, paſſiuè, id eſt, vt extolleretur, atque erigeretur. *Propter veritatem*, ad verb. à *facie veritatis*, qui eſt Hebraiſmus elegans. Senſus, ídque feciſti, vt promiſſo ſtares, & verax eſſes, qui ad te confugientibus opem pollicitus es. Raſi, qui ſępe leges Grammatices negligit, נֵס, quod propriè *vexillum* ſignificat, & verbum לְהִתְנוֹסֵס *lehithnoſes*, quod *ad vexillandum*, à verbo נִסָּה *niſſa*, quod eſt *tentare, probare*, contra regulas deriuat, hunc

Digitized by Google

in modum ferè hunc verſum exponens, *Dediſti metuentibus te tentationem* variarũ calamitatum *ad tentandum ſe*, id eſt, vt in iis ſe probarent, num in timore tuo perſeuerarent. *Propter veritatem.* Vt tuæ iuſtitiæ veritas eluceſcat, ac ſic dicant Gentes, Meritò illis fauet Deus ac benefacit, qui nullis malis, nullis tentationibus adducũtur, vt à Deo deficiant. Sic ferè Raſi, qui quàm ſępe de induſtria à Regulis diſcedit, vt remotiores ſenſus inueſtiget? Græcus & Lat. prædictum nomen in ſignificatione *ſigni*, quam etiam obtinet, acceperunt: verbum autem ex נוס *nus*, quod *fugere* ſignificat, interpretati ſunt: denique קֶשֶׁת *kaſcheth*, id eſt, *arcus* pro, קֹשֶׁט *Koſchet*, ת pro ט, legerunt, ac verterunt, *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.* D. Hieron. eodem pene modo vertit, *Dediſti metuentibus te ſignum, vt fugerent à facie arcus.* Senſus eſſet planus, Dediſti olim cultoribus tuis ſignum, eos ſigno, & veluti vexillo erecto monuiſti, vt hoſtiles arcus effugerent. Ludit ſuo more Genebrardus, quum ait קשט legi pro קשת per Antitheſim, ſiue permutationẽ litterarum eiuſdem poteſtatis & inſtrumenti. Probaret vel vno exemplo nomina in ת præcedente Segol deſinentia ט pro ת accipere. Profectò illi fidem haberemus.

7 *Vt liberentur dilecti tui*, &c. Propoſitio pſalmi. Sic autem ordinandus hic verſus: *Saluum fac dextera tua, & exaudi me, vt liberentur dilecti tui.* Sẽſus, Serua me tuâ potentiâ, & exaudi, ſi Iſraëlitas, quos diligis, ſaluos eſſe vis. Namque ſi ego Rex pereo, neceſſe eſt eos perire. *Me.* In textu *nos*, quod bene emendarunt Maſſoretæ.

8 *Deus loquutus eſt in Sancto ſuo:* &c. Confirmat animum Dauid oraculo, quod olim acceperat, fore vt non modò regno Hebræorum potiretur, ſed etiam exteras gentes ſub imperium ſuum ſubiugaret. *Deus loquutus eſt.* Cui? Samueli prophetæ. Quid? Perpetuum futurum meũ regnum, non vt Saulis: méque omnium hoſtium tandem potiturum. Vbi, aut quî? Vbi? *In Sancto ſuo* ſeu *in Sanctitate ſua*, hoc eſt, in Adyto ſeu Sanctuario. B. Hieronymus vertit *in Sanctuario ſuo*. Quî? *In ſanctitate ſua*, id eſt, iuxta Ezram, qui obſeruat hîc in verbo, vt aliàs ſæpe, ſuum nomen includi, in verbo ſanctitatis ſuæ, id eſt, in prophetia, nimirum *loquutus eſt*. Vel *in ſanctitate ſua*, id eſt, *in ſpiritu ſuo ſancto*, iuxta Kimhi, qui per *ſpiritum ſanctum* intelligit etiam prophetiam, aut ſaltem prophetiæ quoddam genus. *Deus loquutus eſt.* Conciſa loquutio. *Lætabor, partibor* &c. Senſus, propterea animo lęto & tranquillo ero, nec dubitabo vnquam, quicquid eueniat, quin de Sichimiticis & Soccothieis agris, quos poſſideo, liceat mihi facere quicquid libitũ fuerit, diuidere pro arbitrio, & ijs præficere quos voluero: neque vereor vt mihi eripiantur, ita certus ſum de victoria: hoc enim ſignificat, *partibor Sichimam, & conuallem Soccoth metibor*, id eſt, Metonymicῶs, ſigno pro ſignato, Sichima, & conuallis Soccoth ſemper erunt, vt nunc ſunt, in mea poteſtate. *Sichem* ſeu *Sichima* vrbs erat in monte Ephraim, Ioſ. 20. 7. vallis Soccoth tribui Gad ceſſerat, Ioſ. 13. 27. ergo tum in poteſtate Dauidis, qui eo tempore duodecim tribubus imperabat. Illud itaque *partibor Sichimam*, &c. accipiendum, vti nos diximus. *Soccoth.* Græcus & Lat. verterunt *tabernaculorum*, reddentes proprium per appellatiuum. *Soccoth*, enim vel *Succoth* ſonat *tabernacula.* Etymon iſtius nominis vide Gen. 33. 17. *Partibor* apud Antiquos in vſu fuit, fortaſſe etiam *metibor.*

9 *Meus eſt Galaad.* Galaad pertinuit ad tribum Gad, Ioſ. 13. 25. & dimidiam partem filiorum Machir filij Manaſſe, ibidem, verſ. 31. *Meus eſt Manaſſes*, &c. Dum quaſdam tribus nominat, ſynecdochicῶs complectitur reliquas. *Et Ephraim fortitudo capitis mei (eſt,)* id eſt, robur eſt mei regni. Tribus Ephraimitica potentiâ, & militum numero præſtabat cęteris tribubus: & hoc iuxta benedictionẽ Iacob, Gen. 48. 19. *& iſte (*Manaſſes*) quidem erit in populum, & multiplicabitur: ſed frater eius minor, (*Ephraim,*) maior erit illo, & ſemen illius creſcet in gentes*, Heb. *erit plenitudo gentium.* Huc quoque pertinet Moſis benedictio, quæ extat Deut. 33. 17. * *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, (*Ioſeph,*) & cornua rhinocerotis cornua illius, in ipſis cornupetet Gentes ſimul (vſque ad) fines terræ: atque hæ ſunt myriades Ephraim, & hæc millia Manaſſe.* Vide. Myriades ipſi Ephraim, at Manaſſe chiliades duntaxat tribuuntur.

* Alij vertunt, Primogenitum taurum eius, pulchritudo ei.

Iuda legiſlator meus, id eſt, Tribus Iudæ ſub imperio meo eſt, eáque mihi ſuppeditat principes, qui iura decernant ac leges adminiſtrent. Ad Tribum Iudæ pertinebat regnum, & legum cõdendarum poteſtas. Alluſum porrò ad illud Iacob, Gen. 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & legiſlator de femore eius.*

10 *Moab olla lotionis* &c. Nunc omiſſis Iſraëlitis progreditur ad exteros. Imperium in Iſraëlitas honorificis & ſuauibus verbis expreſſit: at imperium in exteros formis loquendi contumelioſis, atque iniurioſis ſignificabit. *Moab*, inquit, *olla lo-*

Digitized by Google

tionis meæ, hoc eſt, Moabitæ non alio loco A ſunt apud me quàm pelluuium meum, ita ſeruiliter mihi ſubditi ſunt. Dura profectò metaphora. D. Hieron. vertit, *Moab olla lauacri mei*. Græcus & Lat. verterunt, *Moab olla ſpei meæ*, deſumentes ſignificationem τῶ רַחְצִי *rachtſi*, ex verbo רְחַץ *rechats*, quod apud Chaldæos eſt *ſperare*, non ex רָחַץ *rachats*, quod hebraicè eſt *lauare*. Pura eſt lingua pſalmorum, nec vnquam, aut certè rarò Chaldaicis vocibus admixta. Symmachus tamen vertit, λέβης ἀμεριμνίας μȣ, ex Chaldæa nimirum ſignificatione. Quid ſignificet *Moab olla ſpei meæ*, vide apud interpretes Vulgatæ. B *In* (heb. *ſuper*) *Idumæam proijciam calceamentum meum*, id eſt, Idumæorum regionem victor ingrediar, vel, vt loquendi forma ſit contumelioſior, adeóque huic loco aptior, Idumæos conculcabo, ac peſſundabo. D. Hieron. poſteriore modo videtur accepiſſe, qui vertit, *ſuper Idumæam incedam calciamento meo*. Moabitas, cùm aduersùs Adarazerē pugnauit, iam deuicerat Dauid, Idumæos verò non: idcirco vtitur verbo fut. temp. & dicit *in idumæam proijciam* &c. Kimhi per Idumæos vult intelligi Syros quoque, etſi horum nulla fiat mentio, quòd hi vnà cum illis pugnarent, & C vtroſque Ioab & Abiſai ceciderint. Sed hac de re vide quæ notauimus ad verſ. 2. Ex Latinis ſunt qui illud, *in Idumæam proijciam calceamentum meum*, exponant ſic, in Idumæorum ora calceos proijciam, per ſummum contemptum & contumeliam. Chald. hoc modo accepit, qui interpretatus eſt, *in ceruicem fortium Edom proieci calceum meum*. *Super me Palæſtina iubila*. Pro hoc Pſal. 108. qui octo poſtremos verſus eoſdem fermè habet, atque hic, legitur עֲלִי *ale*, ſic, *ſuper Palæſtina iubilabo*, quod nihil aliud eſt, quàm de Philiſtæis triumphos ac pæana canam. Ergo id quod hoc loco dicit Dauid עָלַי *alai*, id eſt, *ſuper* D *me Palæſtina iubila*, εἰρωνικῶς eſt accipiendum, quaſi diceret, enimuerò, ô Philiſtæi, nunc triumphos victi agite, inſultate nunc mihi, vt ſolebatis antea. Exprobrat Dauid Philiſtæis tum victis ac domitis ferociam antiquam. Fuiſſe tum victos Philiſtæos, quum Dauid in Adarazerem pugnauit, conſtat ex 2. Sam. 8. 1. Chaldæus hūc locum interpretatus eſt, *ſuper* (legit עֲלִי *ale*, non עָלַי *alai*,) *Philiſtæis iubila congregatio Iſraël*. Græcus & Lat. verterunt, ſequuti duntaxat ſententiam, *mihi alienigenæ ſubditi ſunt*. Itidem pſ. 108. 10. niſi quòd in Lat. eſt *amici facti sūt*. Per *alienigenas* intelligendi Philiſtæi, quòd, vt Genebrardus obſeruat, inter habitatores terræ Chanaan eſſent alienigenæ, quippe qui è Cappadocia irrumpentes, Heuæos vſque ad Gazam deleuerant, illícque pro eis deinceps habitaſſent. Allophyli communiter appellantur Philiſtæi.

11 *Quis deducet me* (*in*) *ciuitatem munitam?* &c. Etſi fortaſſe per *ciuitatem munitam* vrbem aliquam intelligit, quâ expugnatâ ſperaret ſe facile hoſtes repulſurum, veriſimile tamen mihi fit, indefinitè per *ciuitatem munitam* ſignificari plures vrbes. Porrò verſus 2.us qui occaſionem ſcribendi pſalmi continet, arguere videtur prius huius verſus membrum de vrbibus Meſopotamiæ, & Cœleſyriæ fortè eſſe accipiendum, cùm poſterius de Idumæa ſit. Hic igitur verſus hanc habet ſententiam: Nunc quo duce & auſpice ſperem tot munitiſſima hoſtium oppida poſſe expugnare, Idumæā penetrare, niſi te duce? Cur bis in hoc pſ. Idumæam nominet, neſcio, niſi vt affectum eius domandæ magis exprimat. Audierat enim fortè, quum aduersùs Syros ad Septentrionem decertaret, Idumæos altera ex parte, ad Meridiem ſcilicet, tumultuari. Chaldæus, quia legit מִצּוֹר *mitstſor*, pro מָצוֹר *matſor*, (pro quo pſal. 108. 11. מִבְצָר *miutſar*) interpretatus eſt, *Quis ille qui adducet me ad ciuitatem deſolatam Tyri?* Quàm bene, viderint quibus curæ erit iſtum authorem defendere. Mihi certè, vt ſemel hoc pronuntiem, nunquam iſte Chaldæus admodum probatus eſt.

12 *Nonne*, id eſt, Certè. De hac particula aliàs dictum. *Et non egrederis cum exercitibus noſtris?* De hac phraſi vide ad verſ. 10. pſ. 44. *Egrederis*. In Fōte eſt fut. pro præſ. aut præt.

13 *Da nobis auxilium à tribulatione* ſeu *anguſtia*: hoc eſt, Fer opem in anguſtia: *quia vana* (emphaticè in Fonte *vanitas*) *ſalus hominis*, id eſt, ſalus quæ ab hominibus expectatur. Quid tot copiæ nos iuuabunt, niſi tu præeas?

14 *In Deo faciemus virtutem:* &c. Antitheſi illuſtrat poſterius membrum præcedentis verſus. Non, inquit, noſtris copiis ac viribus freti, ſed te ſolo, ô Deus, agemus fortiter. Tu vnus hoſtes noſtros proſternes & conculcabis. Vide quid ſperet, imò prædicat fore Dauid Deo fretus.

Digitized by Google

PSALMVS

LX. LXI.

VERSIO

VETVS.

IN finem, in Hymnis Dauid.

2 *Exaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.*

3 *A finibus terræ ad te clamaui: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.*

4 *Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea: turris fortitudinis à facie inimici.*

5 *Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſæcula: protegar in velamento alarum tuarum.*

6 *Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem meam: dediſti hereditatem timentibus nomen tuum.*

7 *Dies ſuper dies regis adiicies: annos eius vſque in diem generationis & generationis.*

8 *Permanet in æternum in conſpectu Dei: miſericordiam & veritatem eius quis requiret?*

9 *Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi: vt reddam vota mea de die in diem.*

NOVA.

PRAECENTORI in Hymnis, Dauid.

2 Audi Deus [a] deprecationem meam: intende orationi meæ.

3 A finibus terræ ad te clamo, dum anxiatur cor meum: in petram, (quæ) celſior ſit me, deduc me.

4 Quia fuiſti ſpes [b] mea: turris fortitudinis à facie inimici.

5 Habitabo in tabernaculo tuo in ſecula: [c] protegar in velamento alarum tuarum.

6 Quoniam tu Deus exaudiſti vota mea: dediſti hereditatem timentium nomen tuum.

7 Dies ſuper dies Regis adiice: anni eius (ſint) vt generatio & generatio.

8 Permaneat in ſeculum in conſpectu Dei: miſericordiam & veritatem præpara, (quæ) cuſtodiant eum.

9 Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum, vt reddam vota mea [d] de die in diem.

a heb. vociferationem

b heb. mihi

c heb. protectionem quarã in abſcondito &c.

d quotidie.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *HOc carmen Dauid cecinit, vt putat Kimhi, quum exul ageret Saulis impetum fugiens. E noſtris quidam referunt ad illud tempus, quando Dauid à filio Abſalomo regno expulſus paſſim in finibus regni Iudaici oberraret. Probant hanc ſententiam, quòd verſu 7. ſe regem nominet, quod, inquiunt, viuo Saule nunquam fecit. Falluntur. Nam pſ. 63. verſu vlt. quem pſalmum fugiens Saulem compoſuit, vt dicetur ſuo loco, de ſe ipſo ait,* Rex verò lætabitur in Deo. *In hoc pſalmo Dei opem implorat, qui illi hactenus ſemper fuit tutum aſylum. Mox ſibi non tantùm reditum in patriam, in qua Dei tabernaculum, ſed etiam vitæ ac regni prorogationem pollicetur. Precatur ſibi à Deo clementiam, & fidem erga ſubditos. Denique Deo promittit grati animi recordationem.*

1 *In hymnis.* In Fōte עַל-נְגִינַת *al-neghinath*, quod verti quidem poteſt *in hymnis (*ad verb. *ſuper cantico) Dauid*, vel *in hymnis*, cum virgula, *Dauid*, ſupp. *Pſalmus*, vt aliàs. Chald. interpretatus eſt, *ſuper canticis, laudibus*. Malo tamen accipere cum Ezra τὸ *Neghinath* pro cantilena ſeu initio cantilenæ. Atque ita eſſe probat forma regiminis, inquit ille. Hoc intelligent qui ſciunt hebraicè.

2 *Audi Deus* &c. Primo verſu continetur propoſitio pſalmi, quæ eſt precatio.

3 *A finibus terræ* Iſraëliticæ, & procul à tuo Tabernaculo, in terris Palæſtinorum, vbi nunc exulo. Si ad Abſalomi tempora referas, legitur tunc Dauid traiecto Iordane veniſſe Machanaim in extrema Iudæa ſitam, 2. Sam. 17. 24. *In petram*, hoc eſt, in aliquem locum tutum ac munitum. *(Quæ) celſior ſit me*, hoc eſt, ſecundùm Kimhi, quò ego meis viribus conſcēdere nequeo. Vel, *(quæ) celſior ſit me*, id eſt, quæ ſua altitudine ac ſublimitate me protegat.

4 *Quia fuiſti ſpes mea:* &c. Multoties adhuc certiſſimum perfugium, arx tutiſſima mihi fuiſti; idcirco nunc te inclamo. Refer, ſi vis, ad ſequentem verſum. *Spes mea.* In Fonte propriè *perfugium mihi.*

5 *Inhabitabo in tabernaculo tuo* &c. Futurum confido, vt qui nunc procul abſum à tuo tabernaculo, tandem, te fauente, illuc reuertar, ibi verſer longo tempore & conquieſcam ſub alarum tuarum præſidio. Vides nulla ex re Dauidem exulantem tantum cepiſſe doloris, quàm quòd abeſſet à Dei tabernaculo, ac nulla cauſſa magis cupiiſſe reſtitui priſtino ſtatui, quàm vt aſſiduè adire poſſet Dei tabernaculum, ibique diuino cultui vacare. Simile pſ. 27. 4. *Vnum petij à Domino, hoc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus*

A *vitæ meæ:* &c. *In tabernaculo tuo.* Intelligit tabernaculum Eccleſiæ ſeu conuentus, quod tabernaculum appellatum fuit, à tentorijs, & cortinis, ex quibus conſtabat.

In ſecula, hoc eſt, bene longo tempore. Vel quum ait *in ſecula*, hoc etiam vult accipi de ſua poſteritate. Vide ad verſ. 5. pſ. 21. *Protegar* (propriè *protectionem quæram) in velamento (* prop. *abſcondito*) *alarum tuarum.* Vide de hac phraſi ad verſ. 2. pſ. 57. Quum ait *protegar* ſeu *protectionem quæram*, reſpicit ad Moſem, qui tutus fuit ab impetu populi, quoties in Dei
B tabernaculum fugit. Vide præterea quæ annotauimus ad verſ. 5. pſ. 27. Quum *alarum* meminit, reſpiciebat fortaſſe ad alas Cherubim, quibus Propitiatorium tegebatur. Vide ad verſ. 8. pſ. 17.

6 *Exaudiſti* pro *exaudies*, more prophetico. Sic *dediſti* pro *dabis*. *Vota mea*, quæ tibi nuncupo, ſi incolumis in terram Iſraëliticam reuertar, aut iterum liceat tuum tabernaculum adire. *Dediſti* mihi *hæreditatem timentium nomen tuum*, hoc
C eſt, terram Iſraël: vel iuxta Kimhi, tabernaculum conuentus: quaſi dicat, facies, vt in terram Iſraëliticam reuertar: vel, vt habitem in tabernaculo tuo. *Timentium nomen tuum*, hoc eſt, Iſraëlitarum cultorum tui nominis ac numinis.

7 *Dies ſuper dies Regis adijce:* &c. De ſeipſo loquitur Dauid, qui iam tum, viuo Saule, vnctus fuerat in Regem*, etſi non regnaret. Si ad hiſtoriam Abſalomi referatur, nihil difficultatis. *Super dies Regis*
D determinatos ac præfixos ex modo & ratione ipſius partus. Quo modo Eſa. 38. 5. *ecce ego adijcio ſuper dies tuos quindecim annos.* Accipio ſimpliciter *Dies ſuper dies Regis adiice*, pro, fac, vt diu viuat rex, dies diebus accumulando. *Anni eius* (*ſint*) *vt* &c. id eſt, diu viuat, quà per ſe, quà per poſteros. Non enim poſſunt dici anni Dauidis

Digitized by Google

fuiſſe vt generatio & generatio, id eſt, dupli-
cata hominis ætas, (דור *dor*, propriè *tempus humanæ vitæ* ſignificat) qui annos tantùm 70. vixit: regnauit enim annos quadraginta; regnare autem cœpit anno ſuæ ætatis tricesimo, vt videre eſt 2. Sam. 5. 4. Vide ad verſ. 5. pſ. 21. Expone, ſi vis, ſimpliciter, *vt generatio & generatio*, hyperbolicῶs, hoc eſt, bene longi ac diuturni.

8 *Permaneat* vel *Sedeat* in throno. *In ſeculum*, hyperbolicῶs. *In conſpectu Dei*, id eſt, Deo ſeruiens, & quaſi coràm miniſtrans: aut quaſi Deum ſemper habens in conſpectu, cui ſuas omnes actiones ſtudeat probare. *Miſericordiam & veritatem* &c. Bene optabat miſericordiam & veritatem: nam *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem: & fulciet miſericordià thronum ſuum*, vt

A eſt Prô. 20. 28. *Miſericordia* ſignificat clementiam, & beneuolentiam, qua rex ſubditos, tanquam pater filios, complecti debet. *Veritas* ſignificat fidem; & conſtantiam promiſſi, pugnátque cum mendacio, hoc eſt, inconſtantia & ſimulatione, quæ Regem maximè dedecet; iuxta illud Prou. 17. 7. *Non decent ſtultum verba compoſita*, (ad verb. *labium excellentiæ*,) *nec*
B *principem labium mentiens*. Potes interpretari *miſericordiam & veritatẽ præpara*, &c. hoc eſt, Tu pro tua miſericordia & veritate mihi adeſto, me defendito: ita vt miſericordia & veritas ad Deum pertineant.

9 *Sic pſalmum dicam* &c. *Sic*, hoc eſt, Si tu mihi conceſſeris id, quod opto. *Vota mea*, laudis ſcilicet & gratiarum actionis. Vel accipe *vota*, vt ſonant.

PSALMVS

LXI. LXII.

VERSIO

VETVS.	NOVA.
IN finem, pro Idithun, Pſalmus Dauid.	PRAECENTORI ſuper Idithun, Pſalmus Dauid.
2 *Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum.*	2 [a] Tantummodo ad Deum ſilet anima mea: ab ipſo (enim) ſalus mea.
3 *Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus: ſuſceptor meus, non mouebor ampliùs.*	3 Tantummodo ipſe (eſt) petra mea, & ſalus mea: arx mea; non mouebor multùm.
4 *Quouſque irruitis in hominem? interficitis vniuerſi vos: tanquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ?*	4 Quouſque praua moliemini in hominẽ? [b] interficietis vniuerſi vos, tanquam parietem inclinatum, (&) maceriam impulſam?
5 *Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in ſiti: ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.*	5 Vtique de excellentia eius conſultant depellere (eum:) diligunt mendacium; ore ſuo benedicunt, & [c] corde ſuo maledicunt.
6 *Verumtamen Deo ſubiecta eſto anima mea: quoniam ab ipſo patientia mea.*	6 Tantummodo Deo tace anima mea: quoniam ab ipſo expectatio mea.

a vel *Vtique*

b Iuxta aliam lectionem *interficiemini* &c. Vide in Comment.

c heb. *in intimo ſuo*.

Digitized by Google

7 Tantummodo ipſe petra mea, & ſalus mea: arx mea; non mouebor.

8 In Deo ſalus mea, & gloria mea: petra fortitudinis meæ, refugium meum in Deo (eſt.)

9 Sperate in eo omni tempore, ô populeſ; effundite coram illo [d] corda veſtra: Deus refugium nobis.

d heb. cor veſtrũ:

10 [e] Tantummodo vanitas filij hominum, mendacium filij viri: in ſtateris vt aſcendant ipſi præ vanitate ſimul.

e Vtique

11 Nolite ſperare in [f] iniquitate, & in rapina ne vaneſcatis: diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.

e heb. fraude,

12 Semel loquutus eſt Deus, bis hoc audiui, quòd poteſtas Dei (eſt.)

13 Et tibi Domine miſericordia: quia tu reddis vnicuique iuxta [g] opera ſua.

g heb. opus ſuum.

7 Quia ipſe Deus meus, & ſaluator meus: adiutor meus, non emigrabo.

8 In Deo ſalutare meum, & gloria mea: Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.

9 Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adiutor noſter in æternum.

10 Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris: vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.

11 Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere: diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.

12 Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *DAuid hunc pſalmum edidit, quum eſſet in ſummo vitæ diſcrimine, vt docet verſus 4. nimirum à Saule, vt ex contextu videre eſt: quanquam ad Abſalomi coniurationem poteſt referri. In hoc igitur pſalmo Dauid malis preſſus ad Deum reſpicit, ab eòque ſolo auxilium expectat. Poſtea in ſuos hoſtes inuehitur, qui tam crudeliter in ſe ſæuiant: ijs exitium denuntiat: eorum perfidiam damnat. Mox iterum ad Deum reſpicit, ab eòque vno ait ſe velle pendere. Tum ſuo exemplo hortatur ſuos, vt à Deo ſolo auxilium expectent; vt in iſtum omnes animi curas & anxietates effundant: ſiquidem hic vnus tutiſſimum ſit perfugium: mortales autem mera ſint vanitas, imò ipſa vanitate leuiores: neque idcirco illorum potentia ſit quicquam metuenda, aut aliquod auxilium ab ijs expectandum. Eoſdem præterea monet, ne opibus, quæcumque eæ ſint, nitantur, ſed Deo, qui cùm ſolus poſſit ſeruare, nunquam etiam ſuis deeſt pro ſua clementia.*

1 *Super Idithun*. Raſi exiſtimat Idithun nomen eſſe inſtrumenti muſici. Non probat Ezra, qui exiſtimat לִידוּתוּן *lidhuthun*, ita enim hic legit, vt in tit. pſ. 39. fuiſſe initium carminis, quod conſcripſerit Idithun, aut aliquis alius de illo. Kimhi, vt & alij, legit עַל-יְדוּתוּן *al Ieduthun*, exiſtimauítque עַל *al*, eſſe pro אֶל *el*, id eſt, *ad*, vt 1. Sam. 1. 10. *orauit* עַל- *ad Dominum*, & aliàs. Itaque in huius ſententia vertendum, *ad Idithun*, ſeu A *Ipſi Idithun*, commiſſus ſcilicet ſeu traditus à Dauide pſalmus, vt decantaretur.

2 *Tantummodo ad Deum ſilet anima mea*: &c. Abruptum exordium, vt in magna animi perturbatione. *Tantummodo*, vel *Vtique*. *Ad Deũ*, ſup. reſpiciens, *ſilet* B *anima mea*. Anima noſtra ad Deum ſilet, quum res aduerſas patienter & placidè fert, à Deo ſolo petens & expectans auxiliũ: ac dum ſic ſilet, tamen interea clamat, & voces eius penetrant cælos. Similis

loquendi

Digitized by Google

loquendi modus occurrit pſ. 37.7. *Sile Domino & expecta eum.* Thren. 3. 26. *Bonum eſt quòd expectet, & ſit ſilens ad ſalutem Domini:* quod Vulg. interpretatus eſt, *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini.*

Tantùmodo ad Deum ſilet anima mea. Latinus poſt Græcum habet eodem ſenſu, *Nonne Deo ſubiecta erit anima mea?* hoc eſt, Certè, quæcumque mihi accidant, animo Deo obnoxio ac ſubiecto eſſe decreui. Verſu etiam cit. pſal. 37. Latinus poſt Græcum reddidit, *ſubditus eſto Domino. Ab ipſo (enim) ſalus mea* ſub erit, eſt, vel pendet. *Ab ipſo*, haud ab hominibus.

3 *Tantùmodo ipſe (eſt) petra mea*, hoc eſt, ipſe ſolus meum eſt propugnaculum. *Non mouebor multùm.* Hoc tene, *Cùm ceciderit* juſtus, *non ſuccumbet: quia Dominus ſuſtentat manum eius.* Pſ. 37. 24.

4 *Quouſque praua moliemini* &c. Hoſtes compellat per apoſtrophen. *In hominem*, prop. *virum*, me ſcilicet: gallicè, *contre vn pauure hõme. Interficietis vniuerſi vos, tanquam* &c. Senſus, quouſque vitam meam, meámque fortunam petetis, atque me euertere conabimini, quòd videatis me inſtar parietis inclinantis labaſcere? Irruitis in me, vt ſi quis in parietem iam inclinatum incumbat, quõ ipſum prorſus euertat. Optimè hoc aulicis conuenit, qui pro Regis animo odium aut amorem concipiunt: ac ſi quem principi charum vident, eum colunt: ſi inuiſum, non oderunt modò, ſed etiam, quibus poſſunt artibus, principis odium accendunt. Poteſt eſſe ſenſus, quouſque vitam meam petetis, atque me euertere conabimini, quaſi nulli ampliùs vſui eſſe poſſim, ideóque ſicuti paries inclinans & maceria labaſcens deijciuntur, antequam ſua ſponte cadant, ita ego iam nunc è medio tolli debeam? *Omnes vos* vnum hominem, emphaticè admodum. Iuxta R. Aharon filium Aſcher, alterum è Maſſoretis punctorum inuentoribus, quem ſequuntur Occidentales, legendũ תְּרֹצְּחוּ *terotstsechu*, cum camets chatuph ſub ר, in fut. Pual, vertendúmque *interficiemini vniuerſi vos, tanquam paries inclinatus, (&) maceria impulſa*, optimo ſenſu, vos omnes tam facilè euertemini, quàm murus inclinatus euerti poteſt, ac deijci: vel, vos omnes liuore & nequitia veſtra conſumemini, vt murus pandus atque diſſiliens ſua ipſius mole corruit. Similis eſt comparatio Eſa. 30. 13. *Propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut ruptura cadens, (&) tumor in muro excelſo, cuius ſubitò repentè veniet contritio.* Iuxta R. Iacob filium Naphtali, alterum Maſſoretam, quem ſequuntur Orientales, legendum תְּרַצְּחוּ *teratstsechu*, *interficietis*, cum pathach ſub ר, in fut. Piel. Hunc ſequuti ſunt Græcus & Latinus, necnon Chaldæus.

5 *Vtique de excellentia eius conſultant depellere (eum)* hominem ſeu virum, cuius in priore membro ſuperioris verſus fit mentio. De ſe modeſti animi cauſſa in tertia perſona ſic loqui videtur. Toti, inquit, in eo ſunt, vt me labaſcentem è dignitate exturbent. Potes vertere, *Vtique ne extollatur is, conſultant impellere*, ac proſternere. Metuebant, ſi Dauidis authoritas creſceret, ne ille iniuſtis ipſorum cupiditatibus ſeſe opponeret. Alij aliter vertunt. Sunt qui ſic, *Vtique propter exaltationem eius conſultant depellere (eum,)* hoc ſenſu, Inſidiantur mihi coniuratione facta, propterea quòd vident me ad ſummam dignitatem honoréque perueniſſe: cui ſimile legitur pſ. 12. 9. *In circuitu impij ambulant, quum extollitur vilis aliquis* &c. *Diligunt mendacium*, hoc eſt, ſtudent dolis, arte & fallacibus blanditiis me captant, verbo ſimulantes amicitiam, re & animo hoſtes; quò pertinet quod ſequitur; *ore ſuo benedicunt*, &c.

Ore ſuo. Suo in ſing. in Hebræo, quiſque nimirum ore ſuo: diſtributiuè enim eſt exponendum ob verbum num. plur.

6 *Tantummodo Deo tace* &c. Vt iterum vincat animi perturbationem, quæ, vt fit in magnis malis, recurrit, animam ſuam compellat, iubens vt fortẽ ſe præbeat, quæ Deũ adiutorem habeat; eademque pene dicit, quæ initiò. Forſan eadem repetit hac tantũ de cauſſa, vt magis ac magis ſuam in Deo ſpem ac fiduciam exprimat, & teſtetur: non quòd animi perturbatio rediiſſet: præclarè enim ſentiendum de Dauide, nec credendum virum adeo fortem ac conſtantem facilè perturbatum.

7 *Non mouebor.* Antea, verſu 3. dixit, *non mouebor multùm*, nunc ſimpliciter & abſolutè ait, *non mouebor*, ſeu *vacillabo*, vt oſtendat ſe Deo vno fretum nihil metuere, ac ne tantillum quidem vacillaturum vnquam.

8 *In Deo* tantummodò, & in nullo alio. *Gloria mea:* me quippe ampliſſimis honoribus affecit, ac reſtituet in priſtinum dignitatis gradum.

9 *Sperate in eo* &c. Verſu 4. poſt expoſitam ſuam in Deo fiduciam hoſtes obiurgat: nunc eos, qui à ſuis partibus ſtabant, hortatur ſuo exemplo, vt in Deo ſpes ſuas ponant, & omnes curas & cogitationes in eum reijciant ac veluti effundant, qui miſeris tutiſſimum eſt per-

fugium. *Omni tempore , ô popule.* Latinus habet , *omnis congregatio populi* : legit enim כָּל-עֲדַת *chol adhath*, pro בְּכָל-עֵת *vecol-eth.* Fingit hîc Genebrardus ſyncopē עת *eth*, pro עדת *adhath. Deus refugiũ nobis:* neq; verò refugiũ mendacij eſt refugium illius, ſicuti eſt refugium hominum : idcóque mox ait , *Tantummodo vanitas filij hominum.* Sic ad hanc partem Kimhi.

10 *Tantummodo vanitas filij hominum,* &c. Senſus huius verſus eſt clarus & illuſtris admodum , Cùm Deus noſtrum ſit perfugium, non eſt cur homines timeatis, aut ſpem aliquam in iis reponatis : iſti enim , ſiue ignobiles , ſiue nobiles & magnates , in quibus plus aliquanto videtur eſſe virium & roboris , mera ſunt vanitas: adeo vt tam hi quàm illi , ſi ſimul in alteram libræ lancem imponantur , vanitas verò in alteram, hæc multò præpōderet, illi eleuentur. Qui appellentur in ſacris litteris *filij hominum* ſeu *hominis*, qui *filij viri*, alibi notatum eſt, ad verſ. 2 pſ. 44. *In ſtateris* (prop. *bilance*) *vt aſcendant* &c. hoc eſt, ita vt in bilancem vniuerſi ſimul coniecti *aſcendant præ vanitate*, hoc eſt, eleuentur à vanitate & nihilo. Hîc ſynchiſis poëtica in voce *ſimul*, eſt enim extra ordinem collocata , cùm dicendum fuerit *in ſtateris ſimul* poſiti: vel, *vt aſcendant ſimul.* Iuxta Raſi, Ezram, Kimhi, & alios Hebræorum vertendum & exponendum , *in bilancem* (*ſtateras*) *ſi aſcendant*, (ad verb. *ad aſcendendum*,) hoc eſt, in libram ſi imponantur, *ipſi præ vanitate ſimul*, hoc eſt, ipſi leuiores ſunt vanitate : *ipſi ſimul.* Siue hoc, ſiue illo modo vertas & exponas, eadem eſt ſententia. Vetus verſio *in ſtateris vt decipiant de* (vellem eſſet *præ*) *vanitate in idipſum*, hoc eſt, vt aliàs ſemper in Vulgatâ, vnà, ſimul , poteſt ſic explicari, adeo vt vniuerſi ſimul homines in vna libræ lance poſiti *decipiant præ vanitate*, cui præponderaturi putabãtur ; cùm hæc alteram lancem deprimat. Quæ ſententia in ſuperiorem recidet , éſtque ferè Genebrardi. Sed cur , *vt decipiãt*, & vnde ? Card. Bellarminus docet mutatis punctis poſſe ſic reperiri in Hebræo. Fruſtra. Neque mihi placere poteſt eius interpretatio.

11 *Nolite ſperare in iniquitate*, prop. *fraude*, &c. Suos monet ne opibus malis artibus quæſitis nitãtur, quæ omnino ſpem fallent: imò ne etiam ad eas diuitias, quæ ſponte affluunt, aut iuſto titulo obtingunt, animum adiiciãt, aut in iis ſpem collocẽt, ſed in Deo,

A qui ſolus poteſt, quos vult, ſeruare, vt dicetur in ſequente verſu. *In iniquitate* ſeu *fraude*, hoc eſt, in diuitiis fraude comparatis. עשק *oſchek* , hîc ſignificat rem interuerſam, & callidè ſurreptam : quum quis rem commodatam aut creditam ſibi vendicat, dolóque , ne domino reſtituatur , efficit. Sic ferè Kimhi vim huius vocis explicat. *Et in rapina* , hoc eſt , opibus vi raptis, *ne vaneſcatis*, hoc eſt, fruſtra ſperetis aut ſuperbiatis. Potes ſic diſtinguere,
B *Nolite ſperare in fraude , & in rapina , ne vaneſcatis. Ne vaneſcatis* , hoc eſt , ne vos fallat ſpes veſtra , & ambulantes poſt vanitatem fruſtra ſitis. *Diuitiæ ſi affluant*, (*creſcant*,) &c. Idem repetitur. Forſan tamen hoc membrum accipiendum de diuitijs , quæ ſponte affluunt , & obtingunt , vel à parentibus , vel ex prouentibus agrorum , vel alia quapiam ratione abſque alterius iniuria. Etſi enim illæ diuitiæ , quæ per fraudem & vim parantur , maximè ſunt fallaces : tamen etiam illæ , quæ iuſtè poſ-
C ſidentur , homines fruſtra habent, ſi fiduciam in iis collocant : & quò magis creſcunt, eò magis ſuſpectæ eſſe debent , plúſque curarum atque ærumnarum excitant, maioráque conflant pericula , perinde vt amnes , qui quò magis augentur imbribus, eò crebriores maioréſque vndas tollunt.

12 *Semel loquutus eſt Deus, bis* &c. Senſus, Semel, atque iterum dixit Deus, ac ſæpe audiui ex Prophetis, aliiſque diuini verbi in-
D terpretibus, *quòd poteſtas Dei* (*eſt*,) ad verb. *fortitudo Deo* (*eſt*,) ſolúſque Deus poteſt ſeruare: ideóque non debet homo ſpem reponere in homine , neque in ſuo robore , neque in ſuis opibus ; quia hæc omnia ſunt vanitas ; ſed in ſolo Deo, cuius ſolius eſt poſſe ſeruare , quos velit.

Semel loquutus eſt Deus, bis hoc audiui. Similis loquendi formula occurret Iob 39. ver. vlt. *Semel loquutus ſum , nec reſponde-*
E *bo: & bis, (ſecundò ,) nec addã.* Cuius verſus hæc ſententia , Semel atque iterũ loquutus ſum , nec vltrà quicquam loquuturus ſum.

13 *Et tibi Domine miſericordia* : &c. Senſus, Non modò maximus es, ſed etiam optimus. Quid dicebam te poſſe ſeruare? Dico etiam velle te ſeruare, nec vnquam tuis deeſſe, quæ tua eſt benignitas & miſericordia: nam pro eo ac quiſque ſe gerit, ita erga ipſum te geris : eos, qui te colunt, & tuam miſericordiam implorant , miſericorditer tractas : ſicut econtrà iis, qui viribus nituntur, ſuáſque magis opes , quàm te colunt , vires adimis, illóſque ſuis ipſorũ viribus euertis.

Digitized by Google

PSALMVS

LXII. LXIII.

VERSIO

VETVS.

PSalmus Dauid, cùm eſſet in deſerto Idumææ.

2 *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.*

3 *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.*

4 *In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa: ſic in ſanƈto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.*

5 *Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: labia mea laudabunt te.*

6 *Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.*

7 *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.*

8 *Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adiutor meus.*

9 *Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.*

10 *Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.*

NOVA.

PSALMVS Dauid, quum eſſet in deſerto Iudææ.

2 Deus, Deus meus es, quæro te manè, ſitit ad te anima mea, deſiderat ad te caro mea, in terra ſiticuloſa, & inaquoſa.

3 Sic in [a] Sanƈto contemplabor te, vt videam virtutem tuam, & gloriam tuam.

[a] Sanctitate

4 Quoniam melior (eſt) miſericordia tua vitâ, labia mea laudabunt te.

5 Sic benedicam te in vita mea: in nomine tuo leuabo manus meas.

6 Sicut adipe & pinguedine ſatiabitur anima mea, & labiis [b] exultationum laudabit os meum.

[b] iubilationum

7 Quum memor ſum tui ſuper ſtrata mea, (&) in vigiliis meditor in te:

8 Quòd fuiſti [c] adiutor mihi: & in vmbra alarum tuarum exultabo:

[c] heb. auxilium

9 Adhæret anima mea poſt te: me ſuſtentat dextera tua.

10 Ipſi verò (qui) ad deſolationem quærunt animam meam, introibunt in inferiora terræ.

11 Tradentur in manus gladij: pars vulpium erunt.

Digitized by Google

12 Rex verò lætabitur in Deo; gloriabitur omnis qui iurat in eo: quia obſtruetur os loquentium mendacium.

11 *Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.*

COMMENTARIVS.

Argumẽtum. *A*Pparet ex titulo hunc pſalmum etiam à Dauide editum, quum Saulem fugeret, eſſetque in deſerto Ziph: nam Kimhi per* deſertum Iuda *ſeu* Iudææ *deſertum* Ziph *vult intelligi. Legenda hiſtoria* 1. Sam. 23. 14. *Hic pſalmus partes habet duas. In priore parte declarat deſiderium incredibile adeundi ad Arcam, à qua longè abeſſet propter inimicitias Saulis. Declarat item, quum in patriam reuerſus fuerit, adeòque licebit frequentare illum locum, quanto animi ardore, & voluptate diuinam ibi præſentiam ac maieſtatem contemplabitur: quot & quantis laudibus Deum celebrabit. In 2. parte, quæ incipit verſu 7. ne deſiderio victus ſuccumbat, ſeſe recolligit, ſpéque confirmat, Quum, inquiens, in his malis cogito ex quibus me periculis olim eripueris, & quàm ſæpe, enimuerò tum in te ſecura acquieſcit mens mea, tibi innititur: méque nutantem, ac ruiturum retinet tui ſpes auxilij: & confido fore, vt qui me ad necem quærunt, ipſi breui interituri ſint, ac plerique quidem gladio trucidandi, & honore ſepulturæ carituri: cùm ego, & quotquot mihi fidem dederunt, in Deo ſimus aliquando lætaturi, mendacium hominum ore obſtructo.*

2 *Quæro te manè.* Manè ante omnia quærendus eſt Deus: alioquin fruſtra quæritur: ac ſicuti manna, niſi prima luce colligeretur, exiguo ſolis radio calefactum liqueſcebat, cùm ab igne corrumpi nullatenus poſſet: ſic Deus ſub lucis ortum quærendus atque interpellandus eſt: alioquin profectò omnes ſpes noſtræ velut hyberna glacies ſubitò liqueſcent, inſtárque inutilis aquæ diffluent. Vide Sap. 16. in fine. Angelos tradunt Hebræi quotidie manè τρισάγιον illud Eſaiæ, *Sanctus, Sanctus,* B *Sanctus* &c. Deo canere: atque hinc ex illis quidam cum Paraphraſte Hieroſolymitano explicant illud Angeli, qui, vt eſt Gen. 32. poſtquàm cum Iacob ad ortum auroræ vſque colluctatus eſſet, nec poſſet illum ſuperare, *Dimitte me*, ait: *iam enim aſcendit aurora*: quaſi dicere voluerit, aſcendit aurora, & venit (ſunt hæc Paraphraſtis Hieroſolymitani verba) hora Angelorum ad laudandum. Hebræi niſi hoc dicant intelligántque ex more hominum, falluntur multùm: Angeli enim perpetuò hymnum illum gloriæ diuinæ concinunt, ac ſine fine dicunt. *Sitit ad te anima mea*, hoc eſt, vehementer cupit animus meus coràm videre maieſtatem tuam aſpectabilem, hoc eſt, ſanctam illam Arcam. Erat tunc Arca in Cariathiarim: Tabernaculum verò conuentus in Gabaon. *Deſiderat ad te caro mea*, hoc eſt, corpus. Quum animam & corpus nominat, ſignificat ſe totum flagrare videndi Dei deſiderio. *Deſiderat ad te.* Iuxta Ezram, *areſcit ad te*, hoc eſt, tui A deſiderio conſumitur. Græcus habet ποσαπλῶς σοι: Lat. *quàm multipliciter tibi:* Th. ποσαχῶς: legerunt enim כַּמָּה *camma*, pro כָּמַהּ *camah*, quod alibi quàm hîc non occurrit. *In terra ſiticuloſa* &c. Periphraſis deſerti. *Et inaquoſa*: ad verb. *& ſitibunda ſine aqua.* Quum ait, *ſitit ad te anima mea in terra ſiticuloſa*, &c. videtur hoc velle dicere, in arente hoc ſolo etſi vehementer ſitio, imprimis tamen me tui videndi ſitis tenet. Per *terram ſiticuloſam* &c. voluit notare præſertim terram carentem aquis verbi diuini, quæ veræ aquæ ſunt.

Exod. 16. 21.

3 *Sic in Sancto* &c. Senſus, Tunc, quum mihi dabitur id, quod nunc tam vehementer opto ac deſidero, ſcilicet ad Arcam accedere, te videre, te frui, ibi certè ſumma cum voluptate tuam potentiam & maieſtatem contemplabor. *Sic*, id eſt, Tunc. In Targum pro אָז *az, tunc*, eſt בְּכֵן *bechen*, quod ſonat *in ſic*, ad verbum. In ſacris quoque litteris, Eccl. 8 10. Eſter 4. 16. C בְּכֵן *tunc* ſignificat. Exponere potes hunc in modum, *Sic in Sancto* &c. Vt quis ſumma cum auiditate ingentem ſitim reſtinguit, ſic aliquando in Sanctuario te contemplabor, hoc eſt, ſummo cum ardore. *Sic*, id eſt, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens. In vtroque ſenſu eſt conciſa & abrupta loquutio, nec abs re, vt in magno animi motu. *In Sancto* ſeu *Sanctitate*, id eſt, in Arca, ſeu ad Arcam. Sic 1. Reg. 8. 8. *Et extraxerunt vectes, apparebántque capita vectium è Sanctitate*, pro quo 2. Paral. 5. 9. legitur *ab Arca*. Hinc locus, in quo Arca

Digitized by Google

erat repoſita, *Sanctum Sanctorum* appellabatur. *Contemplabor te.* In Fonte verbum eſt præt. temp. ſed per futurum exponendũ, maximè propter tot verba, quæ ſequuntur, fut. temporis. *Contemplabor te, vt videam* &c. Senſus, te contemplabor, tantùm tuam vt potentiam, ac maieſtatem, id eſt, ſacroſanctam illam Arcam cernam, non quò tibi ſupplicem, vt aliàs ſæpe feci. *Virtutem (fortitudinem) tuam, & gloriam tuam,* hoc eſt, Arcam fœderis, ex qua Deus vim ac numen ſuum inſigniter oſtendere ſoleret. Hinc Aſaph, quum dicere vellet Arcam permiſſu Dei in hoſtium poteſtatem veniſſe, ait, pſ. 78. 61. *Et tradidit in captiuitatem virtutem ſuam, & pulchritudinem ſuam in manus inimici.* Vxor Phineæ, cùm de illa clade & capta Arca accepiſſet, &, quòd tum vicina eſſet partui, dolore correpta peperiſſet, filio moriens *Ichabod,* hoc eſt, *non* (vel *vbi*) *gloria*; nomen impoſuit, *Tranſlata eſt,* inquiẽs, *gloria de Iſraël: quòd capta eſſet Arca Dei.* &c. 1. Sam. 4. ſub finem.

4 *Quoniam melior* ac potior eſt *miſericordia tua*, quòd ſcilicet in medio Iſraëlitarum habites; ipſa *vitâ*: idcirco ad Arcam, hoc eſt, ſanctum tuum domicilium, reuerſus totis viribus te, illámque tuam bonitatem prædicabo. Potes vertere, *Quoniam melior (eſt) miſericordia tua, quàm viuorum,* hoc eſt, hominum, hoc ſenſu, Saul charum me olim habuit, principem me eſſe voluit, ſuam mihi filiam in matrimonium dedit, multis me beneficiis affecit; nunc verò me ad necem quærit; ex quo colligo mortalium gratiam incertam prorſus eſſe ac infirmam. Poſtquam igitur tu me pro tua miſericordia in patriam, & ſanctuarium reduxeris, celebrabo te palàm, quòd melior ſit ac certior tua miſericordia hominum miſericordiâ.

5 *Sic benedicam te* &c. Tunc quum reuerſus fuero ad Arcam, celebrabo te omni vitæ meæ tempore. Vel *Sic*, hoc eſt, ſummo animi ardore, ac cupiditate. Vide ſuprà ad verſ. 3. *In nomine tuo,* id eſt, benedicendo nomini tuo, celebrando nomen tuum vnà cum cæteris, *leuabo manus meas* cælum verſùs, vt facere ſolent, qui Deum laudant.

6 *Sicut adipe* &c. Senſus, Tunc, quum ero apud Arcam, omni voluptate perfundetur animus. *Adipe & pinguedine.* Duæ ſunt voces idem ſignificantes ad maiorem emphaſim, & in iis eſt metaphora. Pinguis cibus gratior eſt & ſuauior. Dicit ergo, *Sicut adipe & pinguedine,* id eſt, tanquam ſuauiſſimo cibo, *ſatiabitur anima mea. Et labiis exultationum laudabit os meum,* hoc eſt,

A ego lætus te, tuáque beneficia prædicabo. *Labijs,* hoc eſt, verbis. Sic Gen. 11. 1. *Erat autem vniuerſa terra labij vnius, & verborum eorundem. Exultationum* ſeu *iubilationum* in num. multitudinis emphaticè. *Laudabit* te.

7 *Quum memor ſum tui* &c. Hactenus deſiderium redeundi ad Arcam expoſuit: nunc, vt ſubiti ſunt animi motus in magnis doloribus, ne iſto deſiderio nimiùm prouectus præſentibus malis ſuccumbat; animúmque deſpondeat, ſeſe recolligit &

B confirmat. Quum, inquit, in hoc exilio de te noctu cogito, te toties olim mihi fuiſſe auxilio, ideóque futurum, vt tandem ſub alarum tuarum vmbra non conquieſcam modò, ſed etiam exultans triumphem, in te ſecurus quieſcit animus meus, méque labaſcentem ſuſtinet, atque erigit ſpes tui auxilij. Hæc eſt ſententia, hic contextus huius, & duorum ſequentium verſuum. Phraſes & voces nunc conſideremus. *Quum.* אם *im*, hoc loco videtur ſignificare *quum*, vt Num. 36. 4. ואם *vem*, *Et quum*

C (*ſi*) *fuerit Iubileus*: ſi, pro, quum. Aliàs exempla occurrent. *Memor ſum, meditor.* In Fonte præt. & fut. pro præſentibus. *Strata mea* in plur. quòd non vno in lecto cubaret, qui ſubinde ſedes mutare cogeretur metu periculorum. *In vigilijs.* אשמרות *aſchmuroth*, 1. vigilias definit Kimhi noctis tempora, quibus homo è ſomno expergiſcitur. Tres eſſe notat citans illud Exo. 14. 24. *Iámque aduenerat vigilia matutina:* necnon illud Iud. 7. 19. *principio vigiliæ mediæ.*

D 8 *Adiutor.* Heb. *auxilium*, vel *in auxilium.* Vide ad verſ. 27. pſ. 44. *Et in vmbra alarum tuarum exultabo.* Senſus, atque ideo futurum ſpero, qui toties opem tuam ſum expertus, vt ſub alarum tuarum vmbra aliquando conquieſcam, imò & exultans triumphem.

9 *Adhæret anima mea poſt te:* hoc eſt, In te ſecurus quieſco. *Poſt te.* Habet hoc vim magnam poſt verbum *adhærendi:* quaſi velit dicere, De te dum cogito, tuáque

E erga me beneficia recolo, etſi fugere aut ſubducere nunc te à me velle videaris, ego veſtigiis fugientis inſiſto, téque perſequor, ne vnquam te è conſpectu amittam meo. *Adhærere poſt aliquem* nihil aliud eſſe videtur quàm veſtigijs fugientis inhærere.

Dextera tua, hoc eſt, auxilium tuum, ſeu ſpes auxilij tui.

10 *Ipſi verò (qui) ad deſolationem* &c. Sic connecte cum præcedente verſu, *me ſuſtentat dextera tua:* ipſi autem qui me ad necem quærunt, ac perire volunt, certò perituri ſunt. *Deſolationem* ſeu *interitum.*

Digitized by Google

Græcus & Latinus habent *in vanum*: legerunt quippe לַשָּׁוְא *laſchſchau*, pro לְשׁוֹאָה *leſchoa*. *Introibunt*, hoc eſt, penetrabunt, emphaticè. *In inferiora terræ.* Emphaticè ſignificat ſepulchrum, ſed altum & profundum. Non intelligo *infernum*, propter ſequentem verſum, in quo de morte corporali tantùm agitur.

11 *Tradentur in manus gladij:* &c. Plus hîc dicit, quàm in ſuperiore verſu: nam pleroſque hoſtium ait gladio perituros, & honore ſepulturæ carituros, futuróſque vulpium & cæterarum ferarum pabulum, ac prædam. Quod vaticinium fuiſſe verum docet caput poſtremum lib. 1. Sam. *Tradentur in manus gladij*: ad verb. *Diffluere facient eum per manus gladij*, hoc eſt, Occident gladio. *Diffluere facient* apte vſurpatur de homine gladio occidendo. Alij vertunt *Trahent eum in* (ad verb. *ſuper*) *manus gladij*, eodem ſenſu. *Diffluere facient*, vel *Trahent* aliqui, quicumque ſint. Sæpe tertia perſona, pluralis potiſſimùm, abſque antecedente nominatiuo linguæ hebraicæ conſuetudine non ſine elegantia ponitur. *Eum.* Quem eum? Saulem aliqui putant, qui ne viuus in hoſtium poteſtatem veniret, ab iiſque interimeretur, gladio ſuo incubuit, ſicque *tractus* dici poteſt *in (ſuper) manus gladij*, hoc eſt, adactus metu, vt ipſe ſibi mortem conſciſceret. Malo ego *eum* exponere vnumquemque ex ijs, ſingulos illorum: quo modo iam ſæpe hæc particula occurrit explicanda, diſtributiuè ſcilicet, ex. gr. pſ. 12. 6. & 8. & aliàs. *Manus gladij*, hoc eſt, aciem, quæ alibi *os gladij* appellatur: niſi mauis ictus, vel poteſtatem gladij intelligere. Vel *per manus gladij*, hoc eſt, opera gladij, ſeu per gladium. *Diffluere facient eum per manus gladij*, vel *Trahent eum in manus gladij*. Similis occurrit phraſis Ierem. 18. 21. *Propterea da filios eorum in famem, & diffluere fac eos per manus gladij*, vel *trahe* (in Vulg. *deduc*) *eos in manus gladij*. Ezech. 35. 5. *& diffluere feceris filios Iſraël per manus gladij*, vel *traxeris* (in Vulg. *concluſeris*) *filios Iſraël in manus gladij*. Vtroque in loco Ierem. & Ezech. Chaldæus expreſſit verbo *tradendi*, ſicuti hîc Græcus & Latinus, vbi Chaldæus, quòd legerit יְגוּרֻהוּ *ieghurehu*,

A pro יְגִּירֻהוּ *iaggiruhu*, vertit, ſanè parum ad rem, *Timebit eum propter percuſſionem gladij*. Bene & perſpicuè reddiderunt ad ſenſum Græcus & Latinus, *Tradentur in manus gladij*.

12 *Rex verò lætabitur* &c. Qui rex? Seipſum intelligit, qui non tum quidem regnaret, ſed in regem vnctus eſſet à Samuele, vt conſtat ex hiſtoria. Sic ex Raſi. Poteſt referri τὸ *Rex* ad illud tempus, quũ Dauid regno adepto lætaturus eſſet. *Omnis qui iurat in eo*, ſeu, *per eum*, hoc eſt, quicumque B me colit. Per eos ſolemus iurare, quos colimus. Hinc illa iurandi formula in Sacris literis paſſim, *Viuit anima tua, domine mi:* &c. 1. Sam. 1. 26. *Viuit Dominus, & viuit anima tua*, &c. 1. Sam. 20. 3. *Viuit Dominus, & viuit dominus meus Rex*, &c. 2. Sam. 15. 21. Adde illud Ioſephi, *viuit Pharao, ſi egrediemini hinc*, &c. Gen. 42. 15. Qua formula (vt obiter & in trãſcurſu dicam) ſignificabatur verũ eſſe id, quod quis affirmaret, vt hũc aut illum viuere, vel, vt optabat hunc aut illum viuere. Ad rem redeo. Quid? ſi quis vertat, *omnis qui iurauit in eũ*, hoc eſt, quiſquis fide & ſacramento ſeſe illi obſtrinxit. Latini C dicunt *iurare in verba alicuius*. Multi, ex Hebræis etiam, in quibus Raſi, Ezra, & Kimhi, τὸ *in eo*, ad Deum referunt, & per *iurantem in Deo* ſeu *per Deum*, quiſquis piè & ſanctè Deum colit, adeóque per eum, ſi opus eſt, iurat, intelligunt: quo ſenſu Deut. 6. 13. legitur, *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſeruies, (illum coles,) ac per nomen illius iurabis. Illius* ſolius, non aliorum deorum. Eſa. 19. 18. *iurantes per Dominum* (vel *Domino*) *exercituum*. Iurare per Dominum pro colere Dominũ. per ſynecdochẽ. D Vide ad verſ. 4. pſ. 24 Magis eſt è cõtextu, & argumento pſalmi, vt dicat Dauid ſe & quotquot à ſuis partibus ſtant, ac fidem ſibi dederunt, in Deo lætaturos aliquando: quòd ij ſcilicet, qui ſe & illos cùm apud Saulem, tum apud populum calumniis & mendaciis in inuidiam adducere conantur, obſtructo ore partim morte propria, partim alienæ exemplo, tandem conticeſcent; quò pertinet τὸ *quia obſtruetur os loquentium mendacium*, hoc eſt, Doëg & ſimilium hominum.

Digitized by Google

PSALMVS

LXIII. LXIV.

VERSIO

VETVS.

IN finem, Pſalmus Dauid.
2 *Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor : à timore inimici eripe animam meam.*
3 *Protexiſti me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.*
4 *Quia exacuerunt vt gladium linguas ſuas : intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum.*
5 *Subitò ſagittabunt eum, & non timebunt : firmauerunt ſibi ſermonem nequam.*
6 *Narrauerunt vt abſconderent laqueos : dixerunt : Quis videbit eos?*
7 *Scrutati ſunt iniquitates : defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.*
8 *Accedet homo ad cor altum : & exaltabitur Deus.*
9 *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum : & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.*
10 *Conturbati ſunt omnes qui videbant eos : & timuit omnis homo.*
11 *Et annuntiauerunt opera Dei : & facta eius intellexerunt.*
12 *Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.*

NOVA.

PRAECENTORI, Pſalmus Dauid.
2 Audi Deus vocem meam in oratione mea : à timore inimici cuſtodi vitam meam.
3 Abſconde me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem :
4 Qui exacuerunt vt gladium [a] linguas ſuas : tetenderunt ſagittam ſuam, verbum amarum :
5 Vt ſagittent in occultis [b] immaculatum : ſubitò ſagittant eum, & non timent.
6 Firmant [c] ſibi [d] ſermonem nequam ; narrant vt abſcondant laqueos : dicunt, Quis videbit eos?
7 Scrutantur iniquitates, perficiunt ſcrutinium ſcrutatum, & intimum [e] hominis, & cor profundum.
8 Et ſagittauit eos Deus ſagittâ ſubitò : (ſubitò) fuerunt plagæ eorum.
9 Et impingere fecerunt in ſemetipſos ipſam linguam ſuam : fugient omnes qui videbunt eos.
10 Et timuerunt omnis homo, & annuntiauerunt opus Dei : & factum eius intellexerunt.
11 Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo : & gloriabuntur omnes recti corde.

a ad verb. *linguam ſuam.*
b *integrũ*
c vel *illi*
d *verbũ,* ſeu, *rem*
e *viri.*

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Argumentū. *HVnc quoque pſalmum, ſi Kimhio credimus, ſcribebat Dauid, poſtquam exceſſiſſet ex aula Saulis. In eo ad Deum confugit, à quo petit ſe defendi ab hoſtium technis & coitionibus. Linguam hoſtium virulentam & ingenium ſubdolum pulchrè depingit. Poſtea eorum exitium prædicit & cladem, quam omnes à Deo eſſe fateantur: séque tunc ait, & vnà quotquot rectum colunt, de Dei ope palàm gloriaturos, magiſque ac magis ſpem in Deo collocaturos. Aliud argumentum reperies in fine Commentarij.*

2 *Audi Deus vocē meā* &c. Propoſitio. *In oratione mea* querula, quam ingentibus malis compulſus ad te fundo. *A timore inimici* Saulis, qui me ad necem quærit.

3 *Abſconde me.* Protege me. *A conuentu* ſecreto, quem propriè ſignificat סוד *ſodh.* In loco vſus eſt verbo *abſcondendi*, quaſi dicat, Illi abſcondunt & occultant ſe: occulte ineunt conſilia: ſed tu abſconde me ab eorum conuentibus, fácque vt declinare queā inſidias, quas occultè mihi moliūtur. *A multitudine*, & tumultuoſo, ac ſubito B concurſu: hoc enim propriè ſignificat רִגְשַׁת *righſcha.* Abſconde me etiam, inquit, à manifeſta vi. Verbum *abſcondendi*, quatenus ad poſterius membrum pertinet, opponitur manifeſtę vi.

4 *Qui exacuerunt vt gladium* &c. Linguam maledicam gladio acuto comparat, & calumnias ſagittis. Vt enim gladius acutus grauiter lædit, ſic lingua maledica: vtque ſagittæ procul & incogitantem lædunt, altéque penetrant, ſic calumnia. *Tetenderunt ſagittā ſuā* in arcu, vel in neruo. Pro C hoc pſ. 11. 2. *parauerunt ſagittā ſuam ſuper neruum.* *Sagittā ſuā.* In Græco τόξον αὐτῶν, in Lat. *arcum*, ad ſenſum benè: propriè enim tenditur arcus, vt emittantur ſagittæ, ſicuti obſeruauimus ex Ezra ad verſ. 8 pſ. 58. Vide ſimilem ferme comparationem, atque hìc, pſal. 11. 2. pſ. 57. 5. *Verbum amarum.* Sic calumnias vocat. *Tetenderunt ſagittā ſuam, verbū amarum*, id eſt, tetenderunt tanquam ſagittas calumniam. D Poteſt etiam inquit Ezra, opus ſeu facta eorum intelligi. Hoc modo accepiſſe videntur Græcus & Lat. qui verterunt *rem amaram.* Accipio ego priore modo propter prius membrum, in quo linguæ fit mentio.

5 *Vt ſagittent in occultis:* idcirco *Abſcōde me.* Ezra. *Immaculatum* ſeu *integrum*, quippe qui nullius culpæ mihi ſum conſcius, & nemini illorum iniuriam feci. Integritas hoc loco intelligatur reſpectu hoſtium, quos nulla iniuria Dauid affecerat, non Dei, quocum abſit, vt vir ſapiens,

A quantumuis iuſtus, intrare velit in iudicium. Vide ad verſ. 1. pſ. 26. *Subitò ſagittant eum, & non timent.* Elegans paronomaſia eſt in Fonte; יֹרֻהוּ וְלֹא יִירָאוּ *ioruhu, velo ijrau, ſagittant eum, & non timent.* *Subitò*, hoc eſt, ex improuiſo, incautum, *ſagittant eum* calumniis, ſic tanquam ſagittis. *Et non timent* Deum, quem ſe latere putant: cùm tamen nihil illum lateat eorum, quæ agunt vel in penitiſſimis latebris. Accipe, ſi vis, *non timent*, ſimpliciter, pro, nil metuunt: excuſſo omni Dei & hominum metu agunt, quicquid agunt.

6 *Firmant ſibi ſermonem nequam*, hoc eſt, Seſe inuicem in peſſimis conatibus, & conſiliis magis ac magis confirmant. Sic ex Ezra. *Sermonem* ſeu *verbum*, quod hîc, vt aliàs ſæpe, pro re potes exponere. Kimhi accipit, vt ſonat, ac ſic ferè interpretatur, Calumnias, quibus me apud Saulē lacerant, firmant validis rationibus, necnon frequenti atque iterata repetitione. Sic fortaſſe eſt vertendum *Firmant illi* Sauli &c. vt לָמוֹ *lamo*, ſit pro לוֹ *lo*. Sic עָלֵימוֹ *alemo*, pro עָלָיו *alau*, Iob 22. 2. *Narrant* & conferunt inter ſe, vel *narrant* Sauli, *vt abſcondant laqueos*, id eſt, de abſcondendis laqueis, & ſtruendis inſidiis, quibus me capiant. *Dicunt*, *Quis videbit eos* laqueos? hoc eſt, proponunt eas inſidias, quas à quoquam animaduerti poſſe negant. Potes τὸ *eos*, vel potius *ſe*, reciprocè, referre ad hoſtes, hoc ſenſu, atque ij qui maledictis me onerant, & de ſtruendis mihi inſidiis clàm ſermones conferunt, cogitant ſe Deū etiam latere, ideóque ipſum non timent, vt dictū eſt mox præcedente verſu. Habes ſimile pſ. 10. 11. & 13. Impij putant aut Deum nō eſſe, aut eum res humanas, & quæ in terris geruntur, neſcire, aut non curare ſaltem ſibi perſuadent. *Quid nouit*, inquiunt, Iob 22. *Deus? nunquid per caliginem iudicat? Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* Sic Cain Deo interrogāti, Vbi eſſet eius frater, quaſi putaret Deum latere ſuum facinus, reſpondit ſe neſcire, addens non ſine impudentia & verbo-

Digitized by Google

rum petulantia, *nunquid cuſtos fratris mei* (*ſum ! ego ?* Gen. 4. 9. vbi habet Raſi, נַעֲשָׂה כְּגוֹנֵב דַּעַת הָעֶלְיוֹנָה *naaſa chegbonen daath haeliona*, id eſt, *Factus eſt tanquam furans ſcientiam excelſam.* Sic Hebræi de eo loquuntur, qui prouidentiam negat.

7 *Scrutantur iniquitates*, id eſt, Veſtigant varias nocendi vias & artes. Gallicè *Ils ſongent creux.* *Perficiunt*, ſeu, *conſummant*, vel etiam *conſumunt ſcrutinium ſcrutatum*, hoc eſt, nil reliqui faciunt ad excogitanda ſcelera: omni arte ac diligentia ſcrutantur dolos, & ſcelera: perfectè ſcrutantur: omnem ſcrutandi rationem adhibent & conſumunt. Hoc ſenſu accipit hoc Kimhi. Græcus etiam & Lat. vt videtur, quorum ille vertit, ἐξέλιπον ἐξερευνῶντες ἐξερευνήσεις, hic autem, *defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* Vide vt creſcit oratio. Additur haud abſque magna emphaſi, *ſcrutatum*, paſſiuè, hoc eſt, perueſtigatum: vt nihil ſcilicet deſit ad ſcrutinium diligens & accuratum exprimendum. *Perficiunt.* In Fonte תַּמּוּ *tamnu*, pro, *tammu*, daghes in מ reſoluto. Ezræ, Kimhio, & aliis Hebræorum hoc verbum eſt 3.ª perſonæ. Hoc annoto, quia videri poſſet, & videtur quibuſdam, primæ perſonæ, quam tamen, pace illorum dixerim, hic locus non videtur admittere. Notat Kimhi eſſe hîc verbum actiuum. Non probat exemplo. Sed ecce tibi ex Ierem. 27. 8. *donec conſumam* (ad verb. *conſumere me*, idémque verbum quod hîc) *eos in manu eius:* in Vulgata *conſumam.* Raſi legit טָמְנוּ *tamenu*, per ט, i. *occultant*, ſcilicet *ſcrutiniũ ſcrutatum* ſeu *veſtigatũ* à ſe, hoc eſt, callidè porrò ſua tegunt conſilia, ſuas diſſimulant fraudes atque artes. *Et intimum hominis*, ſeu, *viri*, *& cor profundum* repete *perficiunt*, ſeu *conſummant*, vel, *conſumunt*, hoc eſt, quicquid ſceleris humana induſtria, & profunda cogitatio inuenire poteſt, illi perfectè comminiſcuntur: omne quod eſſe poteſt hominis ingeniũ in excogitandis ſceleribus & aſtutiis conſumunt. Ad mẽtem Raſi vertendum, *& intimum vnuſquiſque, & cor profundum* ſup. *occultat*, hoc eſt, quiſque illorum probè ſcit tegere ſua conſilia. Multùm diſcrepant Græcus & Lat. ab Hebræo. Nam pro, *& intimum hominis, & cor profundum*, habet Græcus προσελεύσεται ἄνθρωπος καὶ καρδία βαθεῖα, καὶ ὑψωθήσεται ὁ θεός: Lat. verò, *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus:* vterque enim legit aliis punctis, quàm quæ hodie ſunt, וְקָרַב *vekarau*, *Et accedet*, fortaſſe יִקְרַב *ijkrau*, *Accedet*, pro וְקֶרֶב *vekereu*, *& intimum:* & hîc vterque verſus initium fecit. Latinus, vbi Græcus cum Hebræis וְלֵב *veleu*, *& cor*,

A legit, vt apparet לֵלֵב *leleu*. Denique, vbi Hebræi inchoant verſum 8.um Græcus & Latinus finiunt verſum 8.um quem ex poſtremo membro verſus 7.i Hebræorum, & primis duabus vocibus 8.i verſus eorundem efficiunt, & habent quidem, *& exaltabitur Deus*, quòd legerint ſcilicet וְיָרֹם אֱלֹהִים *vaiiarom Elohim*, vbi Hebræi וַיֹּרֵם אֱלֹהִים *vaiiorem Elohim*, *& ſagittauit eos Deus.* Nihil habent tale alij ex veteribus interpretibus.

8 *Et ſagittauit eos Deus* &c. *Sagittauit*
B pro *ſagittabit*, more prophetico. Nunc vaticinatur de hoſtium pœnis & interitu. Hoſtes, inquit, meos, qui me calumniis, tanquam ſagittis, incautum petunt, Deus, qui paria ſolet reddere, tandem ſagittis ſubitò conficiendos dabit. Videbat in ſpiritu prophetico Saulis, eiúſque vniuerſi exercitus caſum, qui deſcribitur 1 Sam. 31. & 1. Paral. 10. Facta enim illa clades ſagittis, quibus tum pugnabatur, vt conſtat ex eo loco Simile eſt hoc vaticinium illi pſalmi 7. verſ. 13. & ſequentibus.
C *Subitò.* Optimè coniungitur cum verbo *ſagittandi.* Nam ſagittæ ictus ſubitus eſt, & incautum lædit. Additum ergo aduerbium *ſubitò* verbo *ſagittandi* ſingulari cum emphaſi, & energia. Fortaſſe ſimplicius erit accipere, *& ſagittabit ſubitò*, metaphoricè dictum, pro, perdet & euertet eos ſubitò & inopinantes: partim in eo caſu, de quo mox dicebamus, quum plerique fortaſſe ſua opinione victoria ſibi videbantur potituri: partim in alia occaſione.
D *Sagittandi* autẽ verbo vtetur, ad ſubitam ruinã, & repentinum exitium notandum, addito præterea aduerbio *ſubitò* non ſine emphaſi. Nunquam profectò ſatis exprimi poteſt, quàm ſubitò interdum & inopinantes impios Deus opprimat. Nam ira eius, ſicut fur in nocte, ita venit. & cùm dicunt illi, Pax & ſecuritas: tunc repentinus eis ſuperuenit interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugiunt. Vide de repentino impiorum exitio, quod iam notauimus ad verſ. 6. pſ. 11. Omiſeram quod
E hîc ait, *Et ſagittauit eum ſagittâ ſubitò*, opponere τῷ verſus 4. & ſeq. *tetenderunt ſagittam ſuam*, &c. *Vt ſagittent* &c. *ſubitò ſagittant eum*, &c. (*Subitò*) *fuerunt* (pro *erunt*) *plagæ eorum.* Idem dicit quod antea. Ego puto cum Kimhi ex priore membro repetendum hîc eſſe *ſubitò:* alioquin ſenſus conſtare non poteſt. Quòd ſi non placet repetere, ad poſterius membrum non dubium eſt quin potiùs pertineat. Alioquin quis erit ſenſus? Nil obſtabit Athnach, qui in Pſalmis, Iob & Prouerbijs non ſemper diſtinguit. Poſſis vertere, *Et*

1. ad Theſſal. 5.

Digitized by Google

ſagittauit eos Deus: (*à*) vel (*in*) *ſagittà* A
ſubitò fuerunt plagæ eorum. Verte, ſi vis, *ſagittæ ſubitò fuerunt plagæ eorum. Sagittæ:* ad verb. *ſagitta*, quod collectiuè ſumendum eſt. Sic vertit Aquila βέλη παραχρῆμα ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν. Sic Symmachus, βέλος ἀφνίδιον ἔσονται αἱ πληγαὶ αὐτῶν. Græcus & Lat. verterunt, *Sagittæ* (Græc. βέλος) *paruulorum ſunt plagæ eorum:* vterque enim legit פְּתָאִים *pethaim*, *ſimplicium*, *paruulorum*, pro פִּתְאֹם *pithom, ſubitò.*

9 *Et impingere fecerunt in ſemetipſos ipſam linguam ſuam.* Ad verb. *Et impingere fecerunt ipſam ſuper ſe linguam ſuam.* Relatiuum hîc vnà cum antecedente pro antecedente ſolo, Hebræorum more: id quod vim quandam & emphaſim habet. *Impingere fecerunt*, pro, *impingere facient*, præt. pro fut more prophetico. Senſus, Scio, aliter enim non fert Dei iuſtitia, peribunt illi, & quod mihi ſuis calumnijs exitium parant, in ipſorum capita tandem recidet: qui ſi me cum Saüle in concordiam reducere ſtuderent, nunquam illis eueniret hoc malum. Non dicit autem ſimpliciter *impegerunt*, ſeu, *impingent*, ſed *impingere fecerunt*, ſeu, *facient*, quaſi ipſi ſibi ſuorum malorum autores futuri ſint. Sanè verum eſt Deum ſic in ſceleratorum capita perniciem, quam alijs intentant, retorquere, vt vltro ipſi ſe in ſuos laqueos induere videantur. *Et impingere fecerunt* &c. Opponit hoc τῷ *Qui exacuerunt vt gladium linguam ſuam:* idcirco, opinor, dicit, *Et impingere fecerunt ipſam*, cuius ſcilicet iam facta eſt mentio, *linguam ſuam.*

Fugient omnes &c. Propter alia verba præt. temp. vertere poſſis hoc, quanquam fut. temporis in Fonte, per præt. tempus, quod tamen per futurum exponi debeat, vt apud Prophetas ſolet. *Fugient omnes* &c. metuentes ne ſimilibus pœnis inuoluantur. Factum eſt: ſcribitur quippe 1. Sam. 31. 7. & 1. Paral. 10. 7. *Videntes autem viri Iſraël, qui erant trans vallem, & trans Iordanem, quòd fugiſſent viri Iſraëlitæ, & quòd mortui eſſent Saul, & filij eius, reliquerunt ciuitates, & fugerunt.*

10 *Et timuerunt omnis homo* alieni ſupplicij & mortis exemplo, ac ſpectaculo attoniti. Refer hoc quoque præſertim ad Sam. & Paral. hiſtoriam mox notatam.

Et timuerunt. In quibuſdam exemplaribus legitur וַיִּרְאוּ *vaiijru*, *& viderunt*, pro וַיִּירְאוּ *vaiijreu.* Chald. vertit *Et timebunt.* In hoc verſu præterita ſunt pro fut.

Et annuntiauerunt (*annuntiabunt*) *opus Dei:* &c. hoc eſt, agnoſcent, & palàm fatebuntur iſtud non fortuitò eueniſſe, ſed Dei voluntate & conſilio. *Intellexerunt.* Vertere potes, *intelligere fecerunt*, vt idem pro more repetatur.

11 *Lætabitur iuſtus* &c. Seipſum intelligit, quemadmodum ſuprà, vbi *immaculatum* ſeu *integrum* nominat. Ius quippe ab eo ſtabat, & nulla ſua culpa laceſſebatur. Sic ferè Kimhi. Ego acciperem potiùs de quouis iuſto. *Lætabitur in Domino*, hoc eſt, tunc palàm atque audacter in Dei fauore, atque auxilio gloriabitur. B *Et ſperabit in eo* magis ac magis, quum videbit ſe non eſſe fruſtratum ſua ſpe. Vel quiuis iuſtus confirmabitur hoc exemplo, vt maiore deinceps fiducia ſua omnia Deo committat. *Et gloriabuntur* pariter mecum *omnes recti corde*, id eſt, quicumque rectum amant: quicumque animo puro iuſtitiam & pietatem colunt.

Hunc Pſalmum allegorici & myſtici Hebræorum interpretes ad Danielem, quãdo in leonum foueam eſt coniectus, accommodant. In ijs Raſi. Non negat Kimhi C in Danielem pulchrè conuenire. Lyranus quoque de eodem exponit. Nos ex Raſi ferè in iſto argumento ſic exponimus: Dauid ſancto afflatus ſpiritu præuidebat quicquid Danieli è ſua ſtirpe oriundo euenturum erat. Eius ergo verbis, & nomine precationem, quæ hoc pſalmo continetur, conſcripſit. Quòd è Dauidis ſtirpe Daniel fuerit, hinc probat Raſi, quòd Ezechiæ Eſaias prænunciarit, 2. Reg. 20. 18. *Sed & de filijs tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis:* D quæ prædictio ex laudato Raſi niſi de Daniele, Anania, Miſael & Azaria intelligi non poteſt. Legendum 1. caput Danielis.

1 *A timore inimici*, Satraparum ſcilicet, qui mei perdendi occaſionem captant, iuxta illud Dan. 6. 4. *Tũc Exarchi & Satrapæ quærebant occaſionem, vt inuenirent Danielĩ ex parte regni:* &c. מֵרִגְשַׁת *merighſchath, à multitudine* (prop. *tumultuoſo concurſu*) *operantium iniquitatem*, qui turmatim, ac tumultosè conueniunt, mei perdendi occaſionem captantes, ac quærentes, iuxta illud Dan. 6. 6. E *Tunc Exarchi & Satrapæ* הַרְגִּשׁוּ *hargiſchu, congregauerunt ſeſe apud Regem*, &c.

6 *Narrant, vt abſcondant laqueos:* &c. Altiùs res eſt repetenda. Exarchi, & Satrapæ, quos regno Darius præfecerat, inuidiâ in Danielem accenſi hunc in modum illi inſidias ſtruunt. Callidè Regem adeunt, ita vt illorum conſilium non poſſet perſentiſcere. Suadent, & id impe-

Digitized by Google

erant, edicat, vt intra dies proximos triginta nemini liceat cuicumque Deo vel homini, niſi Regi ſupplicare. Quo animo? Quò Danielem, ſcilicet addùcendum nunquam, orare Deum vt deſiſteret, in crimen læſæ maieſtatis coniicerent. Ad hanc hiſtoriam vult ſpectare Raſi illud quod hîc dicitur, *narrant* & ſuadent Regi. Quid? Id quod dictum. Quorſum? *vt abſcondant laqueos*, meæque vitæ inſidias ſtruant. Vide hanc hiſtoriam Dan. 6.

7 *Scrutantur iniquitates.* Quærunt aliquam occaſionem calumniæ contra me. Pertinet hoc ad illud Dan 6. 4. *quærebant occaſionem vt inuenirent Danieli. Occultant* (ſic enim legendum ex Raſi) & cautè diſſimulant ſuum conſilium, *ſcrutinium* ſcilicet occaſionis calumniæ aduerſùs me. *Scrutatum* à ſe, id eſt, quod ipſi ſcrutantur. *Et intimum vnuſquiſque* illorum occultat, &c.

8 *Et ſagittauit eos Deus ſagittà* &c. Interpretari cōmodè potes in hoc argumento, poſt Raſi, *Et proiecit* (*iaculatus eſt*) *eos* (*tanquam*) *ſagittam* &c. De re futura, tanquam iam facta, loquitur vt propheta. Non dubium autem eſt quin hoc referri debeat ad illud Dan. 6. 24. *Iubente autem rege adducti ſunt viri illi, qui accuſauerant Danielem, & in foueam leonum proiecti ſunt, ipſi, filij eorum, & vxores eorum: & non peruenerunt vſque ad pa-*

A *uimentum foueæ, donec arriperent eos* (in Fonte *quum dominati ſunt in eos*) *leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt.* (*Subitò*) *fuerunt plagæ eorum.* Hoc accuſatoribus Danielis pulchrè competit, quos cùm Darius obijci leonibus imperaſſet, non ſimili ipſi exemplo, quo Daniel, cui à beſtiis nullum periculum fuerat, perfuncti ſunt, ſed continuò deuorati ferarum famem ac rabiem expleuerunt, vt ex loco mox cit. conſtat.

B 9 *Et impingere fecerunt in ſemetipſos* &c. Senſus, Ipſi in ſua capita pœnam, quam mihi machinabantur, accerſierunt, &, quæ iuſtiſſima eſt pœna, ſua lingua & arte perierunt. *Mouebunt ſe* (ſic enim ex Raſi vertendum) *omnes qui* &c. id eſt, quiſquis eos videbit, caput per ludibrium agitabit, ac mouebit. *Mouebunt ſe*, hoc eſt, mouebunt capita.

10 *Et timuerunt omnis homo*, &c. Re-
C ferri hoc debet ad illud Dan. 6. 26. *A me conſtitutum eſt decretum, vt in vniuerſo imperio regni mei tremiſcant & paueant à conſpectu Dei Danielis.* Hoc non habet Raſi.

11 *Lætabitur iuſtus*: Daniel. *Et gloriabuntur omnes recti corde*: gloriabuntur in animi rectitudine, ſecuri, ac certi de Dei ope. Sic ferè hunc pſalmum expoſuimus ex Raſi, niſi quòd nonnulla de noſtro addidimus perſpicuitatis gratia, & alia quæ deerant.

Digitized by Google

PSALMVS

LXV. | LXIV.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI Pſalmus, Dauidis canticum.

2 Te decet [a] hymnus, Deus, in Sion, & tibi reddetur votum.

3 Exaudis orationem: ad te omnis caro veniet.

4 Verba iniquitatum præualuerunt ſuper [b] nos: [c] impietatibus noſtris tu propitiaberis.

5 Beatus (quem) elegeris, & accedere feceris (tibi; qui) inhabitabit in atriis tuis: ſaturabimur bono domus tuæ, ſancto palatij tui.

6 Terribiliter in iuſtitia exaudies nos, Deus ſalutis noſtræ: ſpes omnium finium terræ, & maris diſtantium.

7 [d] Præparans montes in virtute [e] tua: accinctus potentia.

8 [f] Qui cõpeſcis ſonitum marium, ſonitum fluctuum eorum, & ſtrepitum gentium.

9 Et timẽt qui habitant terminos, ob ſigna tua: (ob) exitus matutini & veſperæ cantare facis.

10 Viſitaſti terram, & inebriaſti eam; multùm locupletabis eam; riuus Dei repletus eſt aquis: præparas frumentum illorum, quoniam ita præparas eam:

a laus,

b ad verb. me:

c prop. præuaricationibus ſeu defectionibus

d vel Stabiliens

e ad verb. ſuas

f heb. Cõpeſcens

VETVS.

IN finem, Pſalmus Dauid.

Canticum Ieremiæ & Ezechielis populo transmigrationis, cùm inciperent exire.

2 *Te decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Ieruſalem.*

3 *Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.*

4 *Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propitiaberis.*

5 *Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atriis tuis.*

6 *Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.*

7 *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.*

8 *Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius.*

9 *Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis: exitus matutini & veſpere delectabis.*

10 *Viſitaſti terram & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.*

11 *Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum: quoniam ita eſt præparatio eius.*

Digitized by Google

12 *Riuos eius inebria, multiplica ge-*
nimina eius: in ſtillicidiis eius lætabitur
germinans.
13 *Benedices coronæ anni benignitatis*
tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.
14 *Pingueſcent ſpecioſa deſerti: &*
exultatione colles accingentur.
15 *Induti ſunt arietes ouium, & val-*
les abundabunt frumento: clamabunt,
etenim hymnum dicent.

11 Liras eius inebriando, deprimen-
do glebas eius: imbribus liquefacis
eam; germini eius benedicis.
12 Coronas annum benignitatis
tuæ: ſemitæ tuæ ſtillant pinguedi-
nem.
13 Stillant tuguria deſerti: & exul-
tatione colles accinguntur.
14 Induunt ſe planities [f] ouibus, [f] [illegible]
& valles operiuntur frumento:
clamant, etiam canunt.

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *QVinque poſtremi huius pſalmi verſus cogunt me vt credam, ſaluis tamen aliorum opinionibus, hunc pſalmum à Dauide editum poſt impetratam à Deo tempeſtiuam pluuiam in ſumma quadam agrorum ſiccitate. Scriptum autẽ exiſtimarim totius populi verbis, & apud Arcam, quæ tunc eſſet in Sionis arce, publicè decantatum celebrandi eius beneficij gratia: Quidni dicam quod ſentio, dum alijs liberum relinquam ſentire quod velint? Autorem habeo Ezram, qui ferme mecum ſentit. In hoc pſalmo à verſu* 10. *ad finem vſque omnino poëticè & eleganter pluuiæ vis deſcribitur. Inſcriptio Græca & Latina aliud poſtulant argumentum. Sed quæ ibi præter Hebraicam litteram leguntur, Theodoretus affirmat à poſterioribus eſſe addita, neque haberi in editione Græca ſeptuaginta Interpretum. Certè non carent difficultate. Namque Ieremias in Babyloniam non fuit abductus, vt ex Ier.* 39. *conſtat, erátque dubio procul mortuus, quum ſoluta fuit captiuitas Babylonica. Probabile etiam eſt Ezechielem tunc fuiſſe mortuum.*

2 *Te decet hymnus*, (ſeu *Tibi congruit laus*,) *Deus, in Sion.* Alij aliter atque aliter hoc membrum vertunt atque exponunt, ſed parum ad rem. Nos hîc ſequuti ſumus Græcum & Latinum interpretem, necnon ex Hebræis Ioſeph Kimhi. Verbum דָּמָה *dama*, propriè *ſimilem eſſe*, & inde *congruere* ſignificat, quòd ſimilis ſimili magis congruat. Hinc illud Comici in Phormione, *mulier mulieri magis congruet.* Potes vertere, *Te expectat* (*manet*) *hymnus, Deus, in Sion.* Senſus huius verſus eſt, Hic profectò locus, vbi colendus, & celebrandus es præſertim: vbi te manent laudes: vbi tibi vota perſoluenda ſunt. Conuenit ſcilicet tum populus in Sion, vbi tunc erat Arca Domini, Deo hymnos dicturus, votáque perſoluturus, quæ ſinguli, vt fieri ſolet, vouerant, ſi Deus pluuiam concederet. *In Sion* ſcilicet *te decet*, vel *manet hymnus*. Græcus & Lat. poſteriori membro addiderunt *in Ieruſalem*: quod quidem manifeſtè probat quò ſit referẽdum τὸ *in Sion*. Potes tamen hoc ad Deum referre cum Chaldæo, qui interpretatus eſt, *Deus, cuius diuinitas in Sion*. Aliæ ſunt quampluA rimæ prioris membri huius verſus interpretationes, quæ ex Hebraicis vocibus quidem effici poſſunt: verùm alienæ ſunt ab argumento, nec cohærent cum eo, quod mox ſequitur, *& tibi reddetur votũ*. Exempli grat. illa, *Tibi ſilet laus*, id eſt, Nulla laus vnquam par eſſe poteſt magnitudini tuorum facinorũ: laus tui, quantumuis acB curata, nihilo magis eſt quàm merum ſilentium. Hoc ſenſu acceperunt Chaldæus, Raſi, & Kabuenaki. Et Chald. quidem ſic habet, *Coram te reputatur veluti ſilentium laus*. Omitto alias Hebræorum expoſitiones. Poſſet aliquis, ſi pateretur contextus, hanc quoque ex Hebraicis dictionibus elicere ſententiam, *Tibi ſilentium laus, Deus, in Sion*, id eſt, magis oportet te C ſilẽtio venerari & colere, quàm conari magnifica oratione tuas laudes aſſequi, ô Deus, qui habitas in Sion. De voce דֻּמִיָּה *dumiia*, vide Lexica in דָּמָה *dama*.

3 *Exaudis orationem* in Sion, id eſt, quæ hîc fit in Sion apud Arcam. Locus hic eſt, vbi ſi fit oratio, illam exaudis *de loco habitationis tuæ, (id eſt) de cælis.* *Ad te omnis caro veniet*, id eſt, huc omnes homines venire 2. Para. 6 21.

debent oraturi atque adoraturi te. Habes ſimile Eſa. 66. 23. *veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea. Omnis caro*, id eſt, omnes mortales, ſeu homines. Sic Gen. 6. 12. *omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Sic Eſa. loco notato, & aliàs.

4 *Verba iniquitatum præualuerunt* &c. Senſus, Si mole peccatorum opprimimur, vt certè, hic eſt locus, vbi venia obtinetur. *Verba iniquitatum*, hoc eſt, res iniquæ, peccata. Verbum pro re ab Hebræis appellari iam ſæpe dictum. *Super nos.* Ad verb. *præ me*: ita vt de ſe quiſque loquatur. Idcirco mox ſequitur *impietatibus noſtris*, noſtris in numero multitudinis. Commodè igitur Græcus & Lat. verterunt *ſuper nos. Impietatibus noſtris tu propitiaberis* vel *propitiaris. Tu* emphaſim habet, quaſi dicatur, tu, cuius ſolius eſt condonare peccata, & parcere: apud quem *propitiatio (eſt,) vt timearis*, ſicuti dicitur pſ 130. 4. tu, inquam, ex hoc loco condonare ſoles peccata.

5 *Beatus (quem) elegeris*, &c. Senſus, Cùm ita ſit, ô beatos & fœlices, quibus ſingulari priuilegio datur ad te, hoc eſt, ad Arcam tuæ maieſtatis domicilium accedere, tua atria frequentare. Nos certè, quibus id datum, ad ſatietatem paſcemur & perfruemur bonis domus tuæ, &c. Conſideremus iam ſingulas voces. *Elegeris.* Perpende hoc verbum. *Inhabitabit*, hoc eſt, verſabitur. *In atriis tuis*, in primore ædis tuæ parte. Non in Arcam introibat populus Deo preces aut vota facturus, ſed ante illã ſtabat: idcirco tantùm *in atriis tuis* ait. *Saturabimur.* Emphaſim habet. *Bono domus tuæ*, hoc eſt, bonis, quæ apud te, & in tua tantùm domo certò reperiri poſſunt. Intelligere videtur bona cùm corporalia, tum ſpiritalia; ſed ſpiritalia præſertim, quæ præcipua Dei dona ſunt: quòd mox ſequatur, *ſancto*, id eſt, re ſancta, *palatij tui*, ſcilicet *ſaturabimur*, quaſi dicat, ex Arca, vel potiùs ex te, qui Arcam incolis, omnis ſanctitas in nos redundabit. Potes vertere *ſancti palatij tui*, id eſt, ſanctioris loci palatij tui. Ex hoc & præcedentibus verſibus colligere eſt hunc pſalmum poſt ingens beneficium à Deo precibus publicis præ Arcâ impetratum, fuiſſe conſcriptum à Dauide, vt ad eandem illam Arcam decantaretur.

6 *Terribiliter in iuſtitia exaudies nos*, &c. Senſus huius verſus eſt hic, meo iudicio, Tu nos tuam opem ex hoc loco implorantes ſemper pro tua iuſtitia exaudies, & quidem *terribiliter*, hoc eſt, ſtupendis modis, & qui omnes in admirationem rapiant: exaudies, tu, qui non modò A Deus es ſalutis noſtræ, ſed ad quem etiam ab extremis vſque terris, & vltimo mari omnes reſpiciunt, tuorum miraculorum fama excitati. *In iuſtitia*, qua tu ferre opem debes miſeris & calamitoſis, qui ad te confugiunt. *Diſtantium* ſcilicet *finium*: ſic enim debet conſtrui.

7 *Præparans montes in virtute* ſeu *potentia tua*, hoc eſt, Tu qui montes ipſos, duriores alioquin, ſubigis atque emollis pluuia, quæ tua ſolius eſt virtus, ac ſic præparas, vt herbas & fructus producant: quo B ſenſu dicitur pſ. 147. 8. *Qui operit cælum nubibus, qui parat terræ pluuiam: qui producit*, ad verb. *germinare facit (in) montibus herbam*: in montibus, qui alioquin ſicciores ſunt, nec fluminibus aut fontibus irrigantur, ideóque magis pluuia indigent. Huc refer illud pſ. 104. 13. *Qui rigat montes de ſuperioribus ſuis.* Sic ex Raſi hoc exponendum. Sed cur addidit *in virtute tua?* Vt innueret pluuiam nequaquam caſu fieri, ſed Deo educente nubes ex terra & mari, eáſque circunducente quò C vult, iuxta illud pſ. 135. 7. *Educit nubes ab extremo terræ:* necnon Amos 5. 8. *qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomen eius.* Eódem pertinet id quod mox ſequitur, *accinctus potentia*, quod idcirco eſt additum, vt oſtendatur ſummæ eſſe potentiæ pluere, vbi opus eſt. *Quis eſt pluuiæ pater? vel quis genuit ſtillas roris* præter Deum? Iob 38. 28. *Nunquid ſunt in ſculptilibus (vanitatibus) Gentium qui pluant, & num cæli poſſunt* D *dare imbres? nonne tu es Dominus Deus noſter? te igitur expectamus: tu enim feciſti omnia hæc.* Ierem. 15. 22. *Potentia tua*, in Hebræo *ſua*, ſubitò mutata ſecũda perſ. in tertiã. Non caret quidẽ hebraicè ſua venuſtate enallage illa: ſed latinis auribus durior eſt. Idcirco bene illam emendarunt hic Græcus & Lat. præſertim cùm altero abhinc verſu continuetur ſecunda perſona. Iſte ſenſus, quem attulimus, etſi argumento pſalmi prorſus conuenit, non ſatis tamen poteſt mihi probari ob ſequentes duos E verſus, qui ad extollendam ſimpliciter Dei potentiam pertinent, nec pluuiæ mentionem faciunt. Imò & poſteriore parte huius verſus quid aliud ſignificatur, quàm Dei potentia ſimpliciter? Sic igitur expono, *Stabiliens montes in virtute tua*, hoc eſt, Tu es qui ſtabiles reddis montes, ita vt nullis tametſi validiſſimis ventorum flatibus dimoueri poſſint. Sic ferè Euthymius. Vel, quod eódem recidit, Tu cuius tanta virtus eſt, vt ſolidum illud montium corpus, quaſi columnas quaſdam ſtabilias ac ſtatuas. Summa profectò Dei potentia in

Digitized by Google

præaltis illis montibus cernitur: & montes ex præcipuis ſunt Dei operibus: idcirco, inquiunt Ezra & Kimhi ad hunc locum, montes ipſi Dei dicuntur, pſ. 36. 7. In hoc ſenſu potiùs erit vertendum cum Sym. *Stabiliens*, quàm *Præparans*. *Accinctus potentia*, id eſt, tu, cuius eſt potentia. Simile quid legitur pſ. 93. 1. *indutus eſt Dominus fortitudinem, præcinxit ſe: etiam* (in Vulg. *etenim*) *firmabitur orbis terræ*, &c.

8 *Qui cōpeſcis ſonitū* ſeu *fremitum mariū*, &c. Hic quoque, & ſequens verſus pertinent ad ſummam Dei potentiam declarandam. *Et ſtrepitum gentium.* Græcus & Lat. habent hîc, *Turbabuntur* (pro Turbantur) *gentes*: legerunt enim וְהָמוּ *vehamun*, vel יֶהֱמוּן *iehemun*, pro וַהֲמוֹן *vahamon*, & aliter verſus diſtinxerunt, quàm hodie Hebræi: hîc enim inchoant verſum, haud profectò incommodè, vt tu facilè videre potes. D. Hieron. quemadmodum hodie Hebræi, diſtinxit.

9 *Et timent*, cum ſtupore nec abſque horrore quodam tuam potentiam admirantes. *Qui habitant terminos* terræ, & maris, de quibus verſu 6. *Ob ſigna tua*, quæ quotidie in cælo viſuntur, Solē videlicet, Lunā, & alia ſydera, quod probat ſequens membrū, (*ob*) *exitus matutini & veſperæ cantare facis*, hoc eſt, facis quotidie, vt illi tuas laudes canāt, quum ortus Solis, Lunæ, aliorūque ſyderum cernunt. Per *exitus matutini* intellige ortum Solis & ſtellarum, quæ cum Sole oriuntur; per *exitus veſperæ* ortum Lunæ, & nocturnorum ſyderum. *Exitus*, id eſt, ortus. Sic pſ. 19. 7. *A ſummo cælo egreſsio* ſeu *exitus eius*. Pſal. 75. 7. *Quia neque ab Oriente*, ad verb. *exitu*, &c. Ortus appellatur exitus, quòd Sol oriens egredi atque exire è terra aut mari videatur: contrà occaſus appellatur ingreſſus, quòd quādo Sol occidit, ingredi ac ſubire maria & terras putetur.

10 *Viſitaſti* (ſeu *Viſitas*) *terram*, &c. Præcedentes verſus ſunt exordij loco: hic verſus continet ipſam ſcribendi pſalmi occaſionem, narrationem videlicet beneficij conceſſæ pluuiæ, in qua exornanda & amplificanda conſumuntur quinque verſus, vt iure merito præcipua huius pſalmi materies cenſeri debeat. *Viſitaſti terram* pluuia. *Et inebriaſti.* Propriè *& irrigaſti*, ſeu *& irrigas*: quo modo ex Chaldæo, Raſi & alijs vertendum, qui וַתְּשֹׁקְקֶהָ *uatteſchokekeha*, explicant, ex affini ac vicino verbo הִשְׁקָה *hiſchka*, quod ſignificat *bibere fecit*: necnon *irrigauit*. Græcus & Latinus expreſſerunt emphaticè *inebriaſti*. Ex Ezra, Kimhi & alijs vertendum, *&* (pro *iam*) *deſiderare feciſti*, id eſt, deſiderare feceras: vel, quod malim, *poſtquam deſiderare feciſti eam*. ו, quod vulgò eſt *&*, interdum ſignificare *iam*, vel potiùs *poſtquam*, aliquot Scripturæ loci probant, ac præſertim iſte Eſa. 64. 5. *ecce tu iratus es, &* (pro poſtquam) *peccauimus*. *Multùm locupletabis eam.* Nam pluuiâ tuo munere conceſsâ fiet, vt terra varios fructus proferat. *Riuus Dei* &c. Notat dubio procul riuum fluentem ex Siloë, qui perfluebat Hieroſolymam ciuitatem Dei. Riuus, inquit, Siloë, qui nimia ſiccitate prorſus aut pene exaruerat ingenti ciuium incommodo, nunc pleno fertur alueo. Raſi exponit, *multùm locupletas eam riuo Dei*, hoc eſt, tuo, *pleno aquis*. Videtur nubes intelligere, atque illam interpretationem deſumpſiſſe ex Chaldæo, qui habet, *copiâ prouentus ditabis eam ex fonte Dei, qui* (*eſt*) *in cælis plenus pluuia*. *Præparas frumentum illorum* hominum. Relatiuum abſque antecedente, quod haud rarum eſt. Vide ad verſ. 8. pſ. 28. *Quoniam ita*, pluuia ſcilicet, *præparas*, ac fœcundas *eam* terram. In hoc & ſequentibus verſibus verba ſunt partim præt. partim fut. temporis: ideóque per præſens pro more exponenda. Regula enim eſt, Tunc ſumendum tempus præſens, quoad ſenſus ferre poteſt, quum verba præt. temporis cum verbis futuri permiſcentur.

11 *Liras eius inebriando*, &c. Exponit ampliùs quomodò Deus terram præparet, ſulcos aruorum irrigando, glebas, quæ ſata ſuffocarent, mitibus pluuiis comminuendo ac ſubigendo, ſolum liquefaciendo, &, quod ſummum eſt, germinanti ſemini benedicendo. *Inebriando. Deprimendo*, ad verb. *deſcendere faciendo*. Verba רַוֵּה *rauue*; & נַחֵת *nacheth*, exiſtimo eſſe infinitiui Piel: hoc enim magis eſt in promptu. Exodi 22. 23. exemplum prorſus ſimile τῶ רַוֵּה *rauue*, & in infinitiuo quidem, reperitur. *Glebas.* Malo quàm *ſulcos*: niſi ſic vertas, *deſcendere faciendo* (*in*) *ſulcos eius*, pluuiam nimirum. Sed hoc fortaſſe cuipiam videbitur duriuſculum. Sanè vox גְּדוּדִים *gedhudhim*, quam cum aliis expoſuimus *glebas*, alibi, puto, non extat in ſignificatione *glebarum*, aut *ſulcorum*. Itaque liberum eſt eligere, quod volueris. *Germini eius benedicis.* Vide. Terræ fœcunditatem tandem & potiſſimùm Dei benedictioni adſcribit. Ad rem eſt illud Malach. 3. 10. *ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero* (propriè *euacuauero*) *vobis benedictionem vſque ad non ſufficientiam* ſub. vaſorum & horreorum. Adde illud Eſa. 44. 3. *effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuū, & benedictionem meā ſuper germina tua*:

A

12 *Coronas annum benignitatis tuæ.* Terra pluuiâ madefacta multiplicium frugum ſpem vndique oſtentabat. Hinc ait, Annum hunc, qui verè annus tuæ benignitatis dici poteſt, omni bonorum genere ornas, ac veluti coronas. Pulchra eſt, & perquàm diues terræ adeóque anni corona, multiplex ac varia frugũ & florum copia. Tu potes exponere ex Ezra, *Coronas* &c. quaſi dicat, Facis, vt annus hic inter cæteros annos, quaſi rex aureâ corona indutus inter ſuos, emineat. Sic ferè Ezra, niſi quòd habet *regina:* quia vox שָׁנָה *ſchana*, quæ Hebræis B *annum* ſignificat, eſt fœm. gen. *Semitæ tuæ ſtillant pinguedinem. Semitæ tuæ*, hoc eſt, iuxta Raſi, cæli: iuxta Kimhi, nubes. Optimè. Nam nubes ſunt puluis pedum Dei, iuxta illud Nahum 1.3. *Dominus, in tempeſtate & turbine via eius, & nubes puluis pedum eius.* Nubes quoque aliàs equi Dei appellantur, Habac. 3. 8. *quia aſcendiſti ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.* Eiuſd. cap. v. 15. *Viam feciſti in mari (ſuper) equos tuos.* In vtroque verſu de tranſitu maris rubri ſermo eſt, quum Deus in co- C lumna ignis & nubis ſupra mare verſaretur, vt conſtat ex Exo. 14. 24. Deus *contignat in aquis ſuperiora (cœnacula) ſua; ponit nubes currum (vehiculum) ſuum: ambulat ſuper pennas ventorum*, ſicuti legitur pſ. 104. 3. *Stillant.* Habet emphaſim. *Pinguedinem*, hoc eſt, pluuiam, quæ agris adfert pinguedinem: Metonymicῶs.

13 *Stillant tuguria deſerti.* Senſus, Nubes non tantùm agros & cultas terras irrorant, ſed etiam incultas, ac deſertas. D *Stillant* actiuè hîc videtur poſitum pro irrorant: niſi ſupplere vis *ſuper*, ſic, *Stillant (ſuper) tuguria.* Per *tuguria deſerti*, totas illas manſiones intellige, quas paſtores ſibi procul ab vrbibus in deſertis ſolent deligere: tuguria ſcilicet, & paſcua illis propinqua. Sic Ioel. 2. 22. *Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt tuguria deſerti.* Sic pſ. 23. 2. *In tugurijs herbidis* &c. *Tuguria.* Græcus & Symm. verterunt ὡραῖα, Lat. *ſpecioſa*, נְאוֹת *neoth*, deducentes, ſicut & Ioel. 1. 19. ex נָאָה *naa*, quod eſt *pulchrum eſſe*, E non, vt volunt Hebræi, ex נָוֶה *naue*, quod vniuerſim *habitaculum* ſignificat: ſpecialiter *tugurium*, *caulam paſtoritiam*, & circa illam *paſcua*, ſynecdochicῶs. Non dubium tamen eſt, quin hîc per ὡραῖα, & *ſpecioſa*, Græcus & Lat. intellexerint *amœna paſcua:* cùm pſ. 23. 2. reddiderint נְאוֹת דֶּשֶׁא *neoth deſche, locum paſcuæ:* Græcus autem Ioel. 2. 22. *neoth* reddiderit πεδία. Chald. eodem pene modo interpretatus eſt, quo Græcus & Lat. nimirum *laudabilia deſerti. Et exultatione colles accinguntur*, hoc eſt, iámque colles incipiunt diuerſarum frugum florúmque amœnitate ſpectantium oculos oblectare. Sic Latini plantas & prata ridere dicunt. Vis eſt in verbo *accinguntur.* Placet hîc Kimhi, quum ſic ferè ait, hoc, *& exultatione colles accinguntur*, figuratè accipiendum, quaſi dicatur, iam colles ipſi vario frugum ac florum genere exornati videntur induiſſe lætitiam, pro eo quòd, arido ſolo, ſaccis ſeſe videbantur accinxiſſe. Metaphora erit deſumpta à conſuetudine Hebræorum, qui in luctu & triſtitia ſaccos induebant. Ad rem eſt verſ. 12. pſal 30. *Conuertiſti planctum meum in chorum mihi: diſſoluiſti ſaccum meum, & accinxiſti me lætitia.* Non alienum id quod Eſa. 32. 11. vbi ſterilitatis mentio eſt, habetur, *Obſtupeſcite opulentæ, conturbamini confidentes: exuite vos, & nudamini, & accingite vos ſuper lumbos*, ſaccis videlicet.

14 *Induunt ſe planities* &c. Meminit collium in ſuperiore verſu, nunc de planitiebus agit & vallibus. Planities, inquit, nunc veſtiuntur gregibus herbam pluuiæ beneficio productam depaſcentibus. *Induunt ſe.* Habet hoc emphaſim, quaſi diceretur, Planities gregibus ita plenæ ſunt, vt iis quaſi videantur veſtitæ: adeo terræ ſuperficies tegitur pecorum multitudine in agros immiſſorum, quò ſegetum luxuriem depaſcant, iuxta illud Eſa. 32. 20. *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas*, id eſt, omnem locum aquoſum, *qui immittitis pedem bouis & aſini*, nimirum in agros veſtros, vt luxuriantes ſegetes depaſcantur: ſic enim hic Eſaiæ locus ex Kimhi explicandus eſt: etſi Chald. Raſi & alij aliter accipiant. *Planities ouibus.* Græc. & Lat. habent *arietes ouium:* acceperunt enim כָּרִים *charim*, quod interpretati ſumus *planities*, in altera ſignificatione, quam interdum obtinet. Sed cur *arietes ouium*, cùm prædictum nomen non ſit in regimine? *Obſeruat* Ezra eſſe qui accipiant id vocis in ſignificatione agnorum. Eſto. Sed illi exponerent, & ſubindicat is, quem dixi, *Induuntur arietes gregibus*, hoc eſt, Arietes, qui erant antea rari, & quaſi nudi præ paucitate, quòd iam poſt pluuiam in agris herbeſcentibus bene paſcantur, multiplicantur, & quaſi in greges ſeſe induere videntur, hoc eſt, fiunt, & conuertuntur in greges. Sic accepiſſe videtur D. Hieron. qui vertit, *Veſtientur agnis greges.* Non cohæret tamẽ tã aptè hæc interpretatio cum eo, quod ſequitur, & valles operiuntur frumẽto. Card. Bellarminus obſeruat eſſe qui iſtud Vulgatæ, *Induti ſunt arietes ouium*, referũt ad vellera, quibus induuntur peco-

Digitized by Google

ra, quando bona paſcua inueniunt. Sed, inquit, qui ita exponunt, non conſiderant verba Hebraica, quæ non habent, *arietes ouium*, ſed *arietes*, ſiue potiùs *agni pecore* ſiue *oue induti ſunt*. Vides vt laudatus Card. Vulgatam verſionem ex Hebræi codicis fide vult hîc exponi. *Et valles operiuntur* &c. Vallium meminit de induſtria, quò ſignificet mitem & tempeſtiuam fuiſſe pluuiam, quæ tam montes, quàm valles fœcundarit, non vehementem, quæ duntaxat ſoli ſuperficiem ſtrinxerit, totáque adeo è montibus collibúſque in ſubiectas valles ruens ſata omnia ſtrauerit atque obruerit. *Clamant, etiam canunt* valles, metaphoricè: quo modo dixit ille, *Prata rident*. Eſt ſimilis figura verſu præcedente, *& exultatione colles accinguntur*. Similis Eſa. 55. 12. *montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnes arbores agri plaudent manu*. Vel, *clamant, etiam canunt* homines vnà cum iumentis & feris: tanta vbique lætitia. Vtroque modo accipiunt Hebræi. Ego ſic, omnia denique lætis clamoribus & cantibus perſonant, vt ſit Epiphonema. Non placet interpretari cum Kimhi & Kabuenaki, qui alias tamen adferunt expoſitiones, de ſpicis frumenti, in quas, quum plenæ ſunt, ſi flat ventus, eæ

A clamores & cantus videntur edere. Nam, vt omittam hoc videri coactum, vbi nomen *ſpicæ*? *Etiam*. Latin. habet *etenim*, quod multis in locis Pſalmorum videtur irrepſiſſe pro *etiam*. Natum iſtud videtur ex cõpendio ſcribendi olim vſitato ẽt. Atenim hîc & aliàs in Græco eſt καὶ γάρ. Ex Latino codice hoc fortaſſe fuit in Græcum codicem deriuatum. Simile quid pſal. 78. 36. Nam vbi ex Hebræo fonte legendum, *illexerunt*, Latinus codex ha-

B bet, *dilexerunt*, quod facilè ſuſpiceris irrepſiſſe pro *illexerunt*: & tamen in Græco eſt ἠγάπησαν. Pſal 106. 38. vbi ex Hebræo legendum *infecta eſt terra in ſanguinibus*, nuper ante Sixti Summi Pontificis correctionem, Lat. codex habebat, *interfecta*, quod nemo quidem non videat irrepſiſſe pro *ĩfecta*, quo modo compendiosè olim ſcribebant: & tamen hîc in Græco eſt ἐφονοκτονήθη. Vi-

C des quid hinc ſequatur. Hæc porrò, & alia, ſi quæ ſunt, obſeruabuntur ſeorſim ſuis locis, hícque tantùm per tranſennam dicta ſint, & in tranſcurſu. Repete id, quod notatum ad verſ. 9. pſ. 20. vbi pro *obliquati*, in Vulgatam irrepſit *obligati*, ex eáque, vt apparet, in Græco eſt συνεποδίσθησαν.

PSALMVS

LXVI. LXV.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI, Canticum Pſalmi.

Iubilate Deo omnis terra.

2 Pſallite gloriam nominis eius: ponite gloriam laudem eius.

3 Dicite Deo, Quàm terribilia (ſunt) opera tua! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

4 Omnis terra adoret te, & pſal-
a. pſallat lat tibi: [a] pſalmum dicat nomini tuo.

5 Venite & videte opera Dei, terribilis opere ſuper filios hominum.

6 Conuertit mare in aridam; in flumine pertranſierunt pede: ibi lætati ſumus in ipſo.

7 Dominatur in virtute ſua in
b prop. in æternum; oculi eius [b] ſuper Gentes reſpiciunt: rebelles non exaltentur
c ad verb. ſibi. [c] in ſemetipſis.

8 Benedicite populi Deum noſtrum, & auditam facite vocem laudis eius:

9 Qui poſuit animam noſtram in vitam, & non dedit in dimotionem pedes noſtros.

10 Quoniam probaſti nos Deus:
d conflaſti nos, [d] igne nos examinaſti, ſicut [e] exa-
e conflatur minatur argentum.

VETVS.

IN finem, Canticum Pſalmi reſurrectionis.

Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.

2 Dicite Deo quàm terribilia ſunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

3 Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo.

4 Venite, & videte opera Dei: terribilis in conſiliјs ſuper filios hominum.

5 Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede: ibi lætabimur in ipſo.

6 Qui dominatur in virtute ſua in æternum, oculi eius ſuper gentes reſpiciunt: qui exaſperant, non exaltentur in ſemetipſis.

7 Benedicite Gentes Deum noſtrum: & auditam facite vocem laudis eius.

8 Qui poſuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.

9 Quoniam probaſti nos Deus: igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.

Digitized by Google

10 *Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.*

11 *Tranſiuimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium.*

12 *Introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.*

13 *Et locutum eſt os meum, in tribulatione mea.*

14 *Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum: offeram tibi boues cum hircis.*

15 *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.*

16 *Ad ipſum ore meo clamaui, & exaltaui ſub lingua mea.*

17 *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

18 *Propterea exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.*

19 *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.*

11 Induxiſti nos in laqueum: poſuiſti anguſtiam in lumbis noſtris.

12 Equitare feciſti hominem ſuper capita noſtra; tranſiuimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos in irriguum.

13 Introibo (in) domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea:

14 Quæ diſtinxerunt labia mea, & loquutum eſt os meum in tribulatione mea.

15 Holocauſta [f] medullata offeram tibi cum incenſo arietum: faciam boues cum hircis.

f Medullatorum.

16 Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quod fecit animæ meæ.

17 Ad ipſum ore meo clamaui, & exaltatus eſt ſub lingua mea.

18 Iniquitatem ſi aſpexiſſem in corde meo, non exaudiſſet Dominus.

19 Profectò exaudiuit Deus: attendit voci deprecationis meæ.

20 Benedictus Deus: qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.

COMMENTARIVS.

Argumentum. *Arguit contextus hoc carmen poſt exitum è captiuitate Babylonica, & forſan adhuc in itinere, vt ſuo loco dicetur, fuiſſe compoſitum: à quo authore, titulus non docet. Profectò non eſſe Dauidis hunc & ſequentem pſalmum hinc quodammodo liquet, quòd epigraphe præcedentium & ſequentium pſalmorum Dauidis nomen præferat, horum verò non. Nam ſi eſſent Dauidis, cur non itidem appoſitum his eſſet Dauidis nomen, vt iis qui præcedunt & ſequuntur? Probat hac ratione Ezra hunc pſalmum non eſſe Dauidis, quòd in eo, ſecus quàm in plerisque Dauidis pſalmis, in numero multitudinis fiat ſermo. Hortatur, quiſquis eſt, omnes mortales ad Dei laudes celebrandas; & ad mirifica eiuſdem opera pro Hebræorum ſalute conſideranda; quo modo mare rubrum arefecerit, per ſiccum Iordanem Hebræorum copias traduxerit: quòd eius potentia ſemper ſit eadem, adeòque, vt olim, ſic nunc rebelles ac contumaces nullo negotio poſſit euertere. Iterum vniuerſas Gentes, vel certè Iudæos ipſos adhortatur, vt Deo benedicant, qui Hebræorum Gentem recenti beneficio affecerit, reſtituta libertate, atque adeo vitâ. Inde ſubitâ ad Deum Apoſtrophe captiuitatis mala elegantibus & poëticis figuris amplificat. Mox ſuo ipſe nomine Deo publicæ ſalutis autori gratitudinem pollicetur, quippe*

Digitized by Google

qui palàm audeat profiteri Deum ſe precibus exoraſſe, vt libertatem ac pacem reſtitueret.

1 *Canticum pſalmi.* Vide ad tit. pſ. 48. *Omnis terra*, hoc eſt, quotquot audiiſtis, & audietis, quæ Deus pro noſtra libertate egit.

2 *Pſallite gloriam nominis eius*, hoc eſt, Pſallite in gloria nomen eius: aut, Narrate ac celebrate gloriam nominis eius pſalmis & carminibus. Sic ferè Raſi. *Ponite gloriam laudem eius*, id eſt, facite, vt laus eius ſit glorioſa: ſplendidè & glorioſè prædicate illius laudes. Ezra alio ſenſu explicat, *ponite gloriam laudem eius*, id eſt, honori & gloriæ vobis ducite laudum eius celebrationem. Fauere videtur huic interpretationi accentus diſtinguens *reuia*, qui eſt in כָּבוֹד *chauodh, gloriam*, q.d. *ponite gloriam*, quid? *laudem eius*.

3 *Dicite Deo*, &c. Hoc & ſequente verſu præſcribitur formula celebrandarum Dei laudum. *Quàm terribilia (ſunt) opera tua*, qui è poteſtate validiſſimę & potentiſſimæ gentis imbellem & imbecillem Hebræorũ gentem eduxiſti! *Quàm terribilia (ſunt) opera tua!* Ad verb. *Quàm terribile opera tua!* adiectiuo ſing. cum ſubſtantiuo plur. ad diſtributionem ſignificandam, hunc in modum, Quàm terribile vnumquodque operum tuorum! Sic Raſi & Ezra, quorum hic profert ſimile ex Gen. 49. 22. *filiæ*, hoc eſt, vnaquæque filiarum, *diſcurrit*, ita enim eſt ad verbum. Sed hęc ex Syntaxi peti debent. *In multitudine* (ſeu *propter multitudinem*) *virtutis* (ſeu *fortitudinis*) *tuæ mentientur tibi inimici tui*, negãtes præ timore ſe quicquam mali aduerſum te, atque Iſraëlitas molitos eſſe. Hoc ſenſu accipit Kimhi. Alij exponunt *mentientur tibi*, hoc eſt, tuâ cauſsâ fœdera cum aliis inita violabunt. Alij ſic, mendaciter ſeſe dedent tibi, hoc eſt, ſeruili & illiberali animo. Vide de hac phraſi ad verſ. 45. pſal. 18. Similis eſt & loquendi modus pſal. 81. 16.

4 *Omnis terra* &c. id eſt, Omnes terræ incolæ adorent &c. *Adoret*, vel, *adorabit*. Idem iudicium de aliis verbis. Kimhi refert hunc verſum ad illud Sophoniæ. 3. 9. *Quia tunc vertam ad populos labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, vt ſeruiant ei humero vno.*

5 *Venite* &c. Hortatur poëta omnes ad conſideranda mirabilia Dei facinora pro Hebrææ gentis ſalute atque incolumitate. Porrò ab ipſa vſque liberatione Ægyptiaca rẽ repetit, vt liberationẽ, de quâ in Argumento, cùm illa conferat, ac ſic amplificet. *Venite*. Hortandi particula. Eſt A Ierem. 18. 18. *Venite, & excogitemus* &c. & aliàs. *Terribilis* Dei. Vel *terribilis (eſt)* &c. *Super*, id eſt, erga.

6 *Conuertit mare* rubrum *in aridam; in flumine* Iordanis *pertranſierũt pede* ſicco. *Ibi*, cùm apud Mare rubrum, tum apud Iordanem, *lætati ſumus in ipſo* Deo, ei varia concinentes epinicia. *Lætati ſumus*, id eſt, gens noſtra læta eſt. Simile eſt pſ. 81 6. Quum dicit autem *lætati ſumus*, ſignificat illud beneficium, quod maioribus fuit exhibitum, ad poſteros quoque pertinere. B Verba in hoc verſu, etſi fut. temporis, per præteritum exponi debent, ſenſu id poſtulante.

7 *Dominatur in virtute ſua in æternum*; Senſus, Dei poteſtas, poteſtas æterna; regnum eius, regnum ſempiternum eſt: (*Dan. 7.*) & omnes poteſtates ei ſeruiunt atque obediunt: & quemadmodum olim in exſiccando rubro Mari & Iordane ſuam potentiam oſtendit, ſic nunc in reſtituenda nobis libertate. *Oculi eius ſuper* (heb. *in*) *gentes reſpiciunt*. Senſus, omnes per vni- C uerſum orbem diſperſas gentes cœlitus obſeruat, quid agant, quid conſilij captent: & quemadmodum olim *reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis contriuit exercitum eorum*, ſicuti legere eſt Exo. 14. 24. ita nunc, ſi qui ex Babyloniis aut aliis Gentibus Dei voluntati parere nolint, nóſque ab inſtituto itinere conentur reuocare, eos dubio procul perdet. Videant ergo rebelles, ſi qui ſunt, & Ægyptiorum exemplo docti ne efferantur ſuis viribus. *In* D *æternum*. Sunt qui vertant *ſeculo* ſeu *mundo*. Sed עוֹלָם *olam*, vt apud Rabbinos ſignificet *mundum*, non certè in Sacris litteris. Fauere tamen videntur poſteriori interpretationi D. Hieron. qui vertit, *Qui dominabitur in fortitudine ſua ſeculo*: Felix, qui, *Dominatur in potentia ſua ſeculo*. Chaldæus quoque poſteriore modo accepit, qui interpretatus eſt, *Qui dominatur in virtute fortitudinis ſuæ ſuper mundum*. E *Rebelles* ſeu *refractarij*. *Non* (vel *ne*) *exaltentur* (vel *extollant ſe*) *in ſemetipſis*, ad verb. *ſibi*.

8 *Benedicite populi* &c. Per populos vel Hebræos intelligit in duodecim tribus, tanquam in duodecim populos, diſtinctos, vel cæteros omnes orbis terrarum populos. Priore modo vt accipiatur magis probat Ezra, qui profert ſimile ex Iud. 5. 14. *poſt te Beniamin in populis tuis*. Kimhi poſteriore modo accepit. Sic quoque Græcus

Digitized by Google

& Lat. qui verterunt *Benedicite Gentes.* A
Dum omnes nationes hortatur ad canen-
das laudes Dei, affectum exprimit animi
grati & pij, qui cupiat potentiam & mi-
ſericordiam Dei vniuerſis mortalibus eſſe
notam. *Auditam facite* vel *audire facite.*
In frag. Symm. ἀκουςὴν ποιῆτε.
9 *Qui poſuit animam noſtram in vi-
tam.* Senſus eſt; Qui nos in tot ac tan-
tis miſerrimæ captiuitatis malis ſaluos &
incolumes adhuc conſeruauit. Vel, Qui
nos in libertatem reſtituit, atque aſſeruit,
abſque qua nulla vita eſt. *Et non dedit* B
in dimotionem &c. hoc eſt, & ſolus prohi-
buit ne corrueremus, ac periremus.
10 *Quoniam probaſti nos* &c. Subita ad
Deum Apoſtrophe, in qua captiuitatis ma-
la exaggerat, vt inde illuſtrior appareat li-
beratio. Quò huius verſus cum pręcedente
connexio appareat, nonnulla ex præce-
dente hunc vel ſimilem in modum ſupplen-
da ſunt: Prorſus actum erat de noſtra ſalu-
te, ac cecidiſſemus, niſi tu opem tuliſſes.
Nam quot & quanta pericula ſingulis mo-
mentis ſe nobis obtulerunt? quot & quan- C
ta mala? Tu enim profectò, vt aurum at-
que argentum vehementi igne à ſcoriis ex-
purgatur, & magis ac magis eniteſcit, ita
nos variis & duris calamitatibus probare
atque examinare voluiſti, vt ſcilicet à vi-
tiis expurgaremur, & confirmatiores in
pietatis ſtudio redderemur. Refer huc illud
Zach. 13. 9. *Adducámque tertiam partem
per ignem, & vram (conflabo) eos ſicut
vritur (conflatur) argentum, & probabo eos
ſicut probatur aurum: ipſe inuocabit nomen* D
*meum, & ego exaudiam eum, (&) dicam,
Populus meus eſt, & ipſe dicet, Dominus
Deus meus.* Vide cur Deus interdum cala-
mitates immittat, quídque adeo homines
verè pij de rebus aduerſis ſentire debeant,
nempe has ſibi diuino conſilio accidere, vt
quemadmodum aurum & argentum in
fornace non conſumitur, ſed purius reddi-
tur, ita ipſi afflictionibus non conſumantur,
ſed puriores efficiantur, & magis ad virtu-
tem proficiant. Premuntur interdum viri
pij, ſed nunquam opprimuntur: cadunt, E
vt robuſtiores ſurgant: in luctu gaudio
triumphant: omnia habent, neque quic-
quam habent, nihil cùm eſt, nihil deſit ta-
men: in morte denique ipſa viuunt, ac vi-
gent magis. Nam quomodo quorundam
lapidum inexpugnabilis ferro duritia eſt,
Seneca. nec ſecari adamas, aut cædi vel teri poteſt,
ſed incurrentia vltro retundit: ita piorum
animus ſolidus eſt, ídque roboris à Deo ac-
cipit, vt feriri quidem poſſit, ſed lædi nun-
quam, laceſſi, ſed nunquam vinci.
11 *Induxiſti nos in laqueum*, ſeu *rete:* &c.
Sententia hæc eſt, Nos in retia conieciſti,
ex quibus tantùm abeſt vt euaſerimus, vt
iniecta nobis fuerint vincula, quò perti-
net poſterior pars verſus, *poſuiſti angu-
ſtiam* (Chald. *catenam*) *in lumbis noſtris;*
hoc eſt, etiam permiſiſti vt lumbos arctiſſi-
mis catenis conſtringeremur. Feræ inter-
dum ruptis laqueis euadunt: nos verò
non potuimus euadere. Vtitur figu-
ris tanquam in poëmate. *Anguſtiam*,
ſeu *anguſtum:* poteſt enim eſſe מוּעָקָה
muaka, vel ſubſtantiuum, vel adiectiuum
aut participium fœm. pro neutro.
12 *Equitare feciſti hominem ſuper capita
noſtra*, heb. *ſuper caput noſtrum*, vel, *capiti
noſtro.* Elegans figura ad exprimendam
miſerrimam ſeruitutem: q. d. Paſſus es vt
Babylonij nobis quaſi vilibus iumentis
abuterentur, non modò ad portanda
onera, ſed etiam ad homines humeris, vel
etiam capitibus geſtandos. *Equitare fe-
ciſti* emphaticè. *Hominem* mortalem &
caducum. Nam in Heb. eſt אֱנוֹשׁ *enoſch*,
de quo antea nobis dictum. *Super capita
noſtra*, ſeu *caput noſtrum* emphaticè.
Tranſiuimus per ignem & aquam: ad verb.
ingreſſi ſumus in ignem & aquam. Figura
efficaciſſima ad notanda ſumma atque ex-
trema pericula. Quid enim igne & aqua
perículoſius? quid exitioſius? Sæpe ſola
aqua in Scripturis ingentem calamitatem
& ſummum periculum notat: ex. gr. pſ. 32.
6. *in diluuio aquarum multarum*, &c. pſal.
69. 2. *intrauerunt aquæ vſque ad animam.*
Eſa. 43. 2. *Cùm tranſieris per aquas*, &c.
Solus ignis quoque idem interdum ſignifi-
cat: ex. gr. Ezech. 15. 7. *de igne egreſſi ſunt,
& ignis conſumet eos*, hoc eſt, ex vna calami-
tate tranſibunt in aliam. Et 30. 8. *quum de-
dero ignem*, hoc eſt, afflictionem, vel ho-
ſtem, *in Ægypto.* Eſa. loco cit. *cùm ambu-
laueris per ignem.* Hic vtrumque ſimul
coniungit Poëta, vt notet non vnum, ſed
multa, & quidē extrema pericula. Ac ni-
hil vltrà addit, quòd nihil pręterea addi poſ-
ſit ad ſummam calamitatem exprimendā:
niſi hoc, & quidem in eodem verſu, *& edu-
xiſti nos in irriguum*, hoc eſt, ſed tandem
inde, ex igne ſcilicet & aqua nos in irri-
guam illam terram Iſraëliticam eduxiſti,
perinde ac ſi diceret, vbi ad cumulum ma-
lorum peruenimus, *eduxiſti nos* &c. *Et
eduxiſti.* Si adhuc quum eſſet in itinere po-
pulus, & nondum Hieroſolyma rediiſſet,
conſcriptū eſt hoc carmen, expone, eduxiſti
mox in terrā irriguā transferendos. *In ir-
riguum* ſubſtantiuè, hoc eſt, in locum irri-
guum. Vel, *in irriguam* terram, terram ſci-
licet Iſraëliticam, melle & lacte fluentem.
Obſeruat Kimhi ſub litera ל ſignificante,

Digitized by Google

in, eſſe punctum ה emphatici, ſeu notificatiui, quod vocant, ad denotandam terram notam. *In irriguum.* Græcus, Latinus, B. Hieron. ſenſum tantùm ſequuti ſunt, non vocem, vertentes *in refrigeriū.* Putant aliqui pro לרויה *lareuaia*, legiſſe לרוחה *lareuacha*, hoc eſt, *in reſpiratione.* Vtut habet, Chaldæus interpretatus eſt quoque לרוחתא *liruachta*, i. *in reſpirationem.* Ezra exponit *in irriguum*, id eſt, in aërem, ex igne ſcilicet & aqua.

13 *Introibo (in) domum tuam in holocauſtis:* &c. Altera pars, in qua Poëta, poſtquam hortatus eſt alios ad Dei beneficium celebrandum, ſuam ipſe gratitudinem pollicetur. Veriſimile mihi fit, vt dicetur ad verſ. 16. Zorobabelem, aut alium quempiam primarium virum huius pſalmi eſſe autorem. Itaque ait ſe velle aliis præire exemplo. Verba fut. temporis in hoc & altero ab hoc verſu mihi perſuadent hunc pſalmum eſſe conſcriptum, quum nondum populus eſſet Hieroſolymis.

14 *Quæ*, ſcilicet vota. Non eſt neceſſe tamen referre hanc particulam ad vota: ſed potes abſolutè accipere, *Quæ* vel *Quod*, id eſt, Ea quæ, vel, Id quod &c. hoc eſt denique, vota. Nihil ergo refert. Poſteriore tamen modo accepit Ezra, qui illud citat Iud. 11. 35, *aperui enim ego os meum ad Dominum: & aliud facere non potero.* Simile eſt & illic in ſeq. verſu. *Aperire os ad Dominū* eſt vouere.

Diſtinxerunt, id eſt, diſtinctè protulerunt. In Heb. *aperuerunt*, id eſt, apertè protulerunt. *In tribulatione* ſeu *anguſtia mea*, quam toties paſſus ſum in captiuitate.

15 *Holocauſta medullata offeram tibi* &c. Multas ac pingues hoſtias pollicetur. Vnde apparet authorem huius pſalmi non fuiſſe priuatum, aut tenuis fortunæ hominem. Sed hoc ex ſubſequente verſu meliùs item conſtabit. *Holocauſta medullata.* Si verbum è verbo vis exprimere, meliùs vertes, *Holocauſta medullatorum*, hoc eſt, agnorum medullâ & pinguedine præditorum: alioquin hebraicè adiectiuum cum ſubſtantiuo non conueniet in genere: etſi Chald. vertit, *Holocauſta pinguia*: quo modo etiam putarim Raſi accepiſſe. *Cum incenſo* ſeu *ſuffitu* adipum. Kimhi. *Faciam*, id eſt, ſacrificabo ſeu offeram. Sic Exo. 10. 25. *Hoſtias quoque & holocauſta dabis nobis, quæ offeramus*, ad verb. *faciamus Domino Deo noſtro.* Hunc habet vſum verbum *faciendi* in lingua Latina.

16 *Venite, audite*, &c. Oportet fuiſſe præcipuum quendam Iſraëliticæ gentis principem aut virum, & fortaſſe ipſum ducem Zorobabelem, qui ſic alios Iſraëlitas com-

A pellet, & gentis ſalutem ſuis precibus palàm tribuat. *Quod fecit animæ meæ*, id eſt, mihi. Sēſus, id quod mea cauſſa, meiſq; compulſus precibus fecit: quo modo nimirum me Gentis noſtræ ſalutem ſeriò expoſcentem pro ſua miſericordia exaudiuit: id quod ſequentibus verſibus exponitur. In hoc porrò & ſequentibus verſibus rationem adfert, cur ipſe priuatim Deo gratitudinem polliceatur: quòd nimirum ſuis precibus Deum putet exoratum. Sic pius quiſque in publica ſalute cogitare debet,
B Deóque gratias agere, & palàm profiteri beneficium acceptum: is præſertim, qui, vt in alios imperium habet, ſic exemplo præire debet. Atque iſtud idcirco dico, ne quis fortè ſit, qui arrogantiæ adſcribat, quòd Poëta noſter ſuis precibus vniuerſæ gentis ſalutem tribuat. Nam hoc adeo non eſt vituperandum, vt potiùs laudandum ſit, in principe præſertim, modò citra ſuperbiam fiat, ſed duntaxat ad aliorum exemplum, & ex ſola grati animi recordatione.

17 *Et exaltatus eſt ſub lingua mea:* dum
C ſcilicet hunc honorem ſemper illi tribui, ſolum eſſe qui poſſet nos in libertatem aſſerere. *Sub lingua mea.* Idem eſt atque *ore meo.* Similis extat locutio pſal. 10. 7. quę tamē vim ibi peculiarē videtur obtinere. Aliàs etiam legitur *ſuper linguam*: pſ. 15. 3. *Qui non detrahit lingua ſua*, ad verb. *ſuper linguam ſuam.* Idem etiam reperitur 2. Sam. 23. 2. *& ſermo eius ſuper linguam meam.* Idem autem vtrumque ſignificat, teſte Kimhi, id eſt, in lingua: quòd videlicet
D pronuntiatio infra & ſupra linguam perficiatur. Putant Ezra, & alij *ſub lingua mea* idē eſſe atque in corde meo. Optimè. Perinde ac ſi diceret, Non ore tantùm, ſed animo etiā Deum deprecatus ſum, ſeriò & ex animo collaudans eius miſericordiam ac potentiam. *Sub lingua* vltimo modo accipiendum videtur Iob 20. 12. vbi, *abſconderit illud ſub lingua ſua.* Fauet poſtremæ interpretationi id quod mox ſequitur.

18 *Iniquitatem ſi aſpexiſſem in corde meo*, &c. hoc eſt, Si interea dum clamabam, ſce-
E leris aliquid animo ſpectaſſem, ac deſignaſſem, me nunquam exaudiuiſſet. Suo exemplo docere vult, Deum mente pura & defæcata eſſe orandum, alioquin fruſtra eſſe orationem: quæ aërem tantùm feriat, non Deum moueat. Non ſatis eſt ex Eſa. 29. 13. appropinquare ore ſuo, & labiis ſuis glorificare Deum, niſi etiam cor adhæreat Deo. Præcedentis verſus poſterius membrum ſiue priore, ſiue poſteriore modo accipias, parum refert. Nam ſi poſteriore, hic verſus erit tantùm exegeſis poſterioris

Digitized by Google

illius membri : ſi verò priore modo, nouam ſententiam habebit hic verſus, eam ſcilicet, quam diximus.

19 *Profectò.* In Græco & Lat. eſt *Propterea*, fortaſſe ex עַל־כֵּן *al-cen*, pro אָכֵן *achen*.

20 *Benedictus Deus* : &c. Epiphonema. *Qui non amouit orationẽ meam* à conſpectu ſuo, *& miſericordiã ſuam* non amouit *à me*. Raſi. Potes τὸ, *à me*, referre etiam ad, *non amouit orationem meam*, hoc ſenſu, adiuuit vt orarem, pro ſua nimirum benignitate & miſericordia. Sic etiam Deo refert acceptum, quòd ipſe orarit. Hoc modo videtur accepiſſe Ezra. Simplicius eſt & magis in promptu interpretari, *nõ amouit orationem meam*, priore modo, pro, non repulit meas preces, ſed benignus admiſit, quò & pertinet quod ſequitur, *& miſericordiam ſuam à me*: miſericordiæ enim eſt diuinæ, non noſtrorum meritorum, precum exauditio. Atque hoc ſenſu accipiendo, poteſt *à me*, pertinere etiam ad prius membrum, quaſi diceret, id quod eum rogaui, à me non amouit, ſed me voti fecit compotem. Qui fert repulſam, nec impetrat quod petit, ab eo videtur amoueri id quod petit.

PSALMVS

LXVI. LXVII.

VERSIO

VETVS.	NOVA.
IN finem, in hymnis, Pſalmus cantici Dauid.	PRAECENTORI in Neghinoth, pſalmus cantici.
2 *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.*	2 Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: [a] illuminet vultum ſuum [b] ſuper nos.
3 *Vt cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.*	3 Vt cognoſcant in terra viam tuã, in omnibus gentibus ſalutare tuum.
4 *Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.*	4 Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.
5 *Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.*	5 Lætentur & exultent gentes: [c] quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra [d] dirigis.
6 *Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.*	6 Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes. 7 Terra [e] dedit fructum ſuum:
7 *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.*	benedicat nos Deus, Deus noſter. 8 Benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

a lucere faciat
b ad verb. nobiſcum.
c vel quid
d ducis.
e vel dabit

COMMENTARIVS.

Argumentum. *INcerti quoque autoris eſt hoc carmen, etſi Græcus & Latinus Dauidi adſcribunt. Exiſtimo ego eiuſdem eſſe, ac præcedens, poſtque illud fortè editum, quum iam Hieroſolyma, atque adeo in terram Iſraëliticam populus fuiſſet reuerſus. Optat Poëta videlicet, quiſquis eſt, totius populi nomine, vt in patriam reuerſis faueat Deus, & benignè faciat: quò nimirum cæteri populi ad nominis diuini cognitionem ac prædicationem expergeſiant, atque excitentur. Tandem ait terram iam fructus protuliſſe, aut prolaturam certè abundè, futurúmque vt Deus ſuis perquàm benignè faciat, eúmque ideo vniuerſus orbis agnitum reuereatur. Poteſt hoc carmen patere latiùs, & ad omnia tempora pertinere, quaſi ſit communis piorum precatio, (etſi fortè in illa occaſione, quæ iam declarata eſt, aut aliâ quauis, conſcripta) vt ſuam Eccleſiam Deus non deſinat amare, fouere ac tueri: quò impiæ ac profanæ Gentes omnes ad veri Dei cognitionem & cultum alliciantur atque adducantur. Etſi autem ita eſt, non tamen dubium habeo, quin hic pſalmus ſit præſertim propheticus de Chriſti incarnatione, quam autor, quiſquis eſt, vehementer expetat, vt tandem omnibus in terris & nationibus Deus cognoſcatur & adoretur. Eſt igitur de Chriſti incarnatione, ac Gentium vocatione præſertim intelligendus hic pſalmus. Nos tamen huius argumenti explicationem omittemus, quoniam à multis iam eſt diligenter pertractata: & grammatica ac ſimplici ipſarum vocum expoſitione erimus contenti, niſi ſi obiter de Chriſto aliquid dicemus.*

2 *Deus miſereatur noſtri*, &c. Propoſitio pſalmi eſt in hoc verſu, cuius hæc ſententia, Poſtquam nos Deus in hanc terram reduxit, pergat nos fauore proſequi, nobis benignè facere, ac ſereno vultu nos reſpiciat. *Miſereatur noſtri*, hoc eſt, pro ſua miſericordia nos fauore & gratia proſequatur. Verbũ hebraicum חָנַן *chanan* ſignificat in genere gratia alterum proſequi, ſiue in rebus eius aduerſis, ſiue in ſecundis. Itaque negant vocabulo *miſerendi* ſatis commodè ſemper exprimi vim vocis hebraicæ, quòd latiùs pateat. *Benedicat nobis*. Benedicere Dei eſt benefacere: verbo quippe agit Deus, & loqui Dei eſt facere. *Benedicat*, hoc eſt, augeat & cumulet nos bonis quotidie. Nam Dei benedictio, vt obſeruat Kimhi, dicit additionem & acceſſionem boni. *Illuminet* ſeu *lucere faciat vultum ſuum ſuper nos*, ad verb. *nobiſcum*, hoc eſt, re ipſa declaret ſe nobis fauere, nos amare. Forma loquendi nata eſt ex communi hominum conſuetudine, qui quem amant, & cui fauent, eum ſereno, &, vt Hebræi loquuntur, lucido vultu aſpiciunt. In hanc ſententiam dicitur Prou. 16. 15. *In luce* (Græco Ἐν φωτὶ, Lat. *In hilaritate*) *vultus regis vita*. De hac locutione vide ad verſ. 17. pſ. 31. In fine huius verſus repetitur in Græco & Lat. codice *& miſereatur noſtri*: quod tamen non legitur à D. Aug.

3 *Vt cognoſcant in terra viam tuam*, &c. Senſus, Quò intelligant omnes mortales, quomodò te gerere ſoleas erga tuos A cultores: quomodò eos ſerues ac tuearis, omniáque ſuppedites, quæ ad vitam neceſſaria ſunt. *Viam tuam*, hoc eſt, tuam agendi rationem. Sic Eſa. 55. 8. *viæ* vocabulum ſumitur: *neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus*. *Salutem tuam*. Vocabulum *ſalutis* accipiendum, quo modo verbum *ſaluandi* pſ. 36. 7. *homines & iumenta ſaluas Domine*.

4 *Confiteantur tibi populi, Deus*: &c. Fac, Deus, tua admirabilis erga nos benignitas gentes omnes ad tui nominis cognitionem ac prædicationem excitet atque B expergefaciat.

5 *Lætentur, & exultent gentes*, ſeu *nationes*: &c. Senſus, Cognouiſſe te æquiſſimum totius mundi rectorem triumphent & gaudeant nationes ac populi. *Lætentur* &c. hoc eſt, Fac lætentur, &c. vt verſu 4. *Quoniam iudicas populos* &c. Conciſa locutio, vt puto, ſic extendenda, atque exponenda, *quoniam* cognouerint te, qui *iudicas* &c. Potes ſic accipere hunc verſum, Cum lætitia & gaudio canant vbique C populi, quòd tu es, qui æquiſſimo imperio vniuerſum mundum regis & gubernas. Sic vertendum erit *quòd iudicas*.

6 *Confiteantur* &c. Repetitio eſt verſus 4. qua ſummum ſtudium ac deſiderium declarat.

7 *Terra dedit fructum ſuum*: &c. Senſus, Iam terra vberes fructus tulit: perg. t Deus cumulare nos beneficijs. Vert. e fortaſſe poſſis commodiùs, ſumendo præt. pro futuro, *Terra dabit* &c. hoc ſenſu, Certa

Digitized by Google

Certa ſpes eſt daturam terram ſuos fructus. Habes ſimile pſ. 84. 13. *terra noſtra dabit fructũ ſuũ*. Si vertis *dabit*, verte *benedicet*, & ſimiliter in ſeq. verſu. Qui hunc pſalmum de Chriſti incarnatione exponunt, fructum terræ aiunt eſſe Chriſtum, de quo ſcribit Eſaias cap. 4. 2. *In die illa erit germen Domini in magnificentiam, & gloriam, & fructus terræ in ſublimitatem, & gloriam, his qui ſaluati fuerint de Iſraël.* Quo in loco per *germen Domini* Chaldæus & Kimhi Meſſiam intelligunt: Kimhi etiam per *fructum terræ*. Sunt qui huc quoque pertinere putent illud Eſa. 45. 8. *aperiatur terra, & proueniant ſalus & iuſtitia*, in Vulg. *& germinet Saluatorem*; &c.

Deus, Deus noſter. Quòd hîc bis, & ſemel in ſequente verſu repetatur vox *Deus*, iudicant Interpretes, nec abs re, notari myſterium Trinitatis in Vnitate. Alioquin quorſum trina illa repetitio & ταυτολογία? Friget enim quod aliqui dicunt, repetitionem illam ad ingentem affectum exprimendum eſſe factam: etſi Card. Bellar. vtrumque putat. Neque caret myſterio, quod ſemel & ſecundo loco dicitur *Deus noſter*. Is enim eſt Chriſtus Dei filius, Dominus noſter, Emmanuel,

A hoc eſt, nobiſcum Deus, quippe qui *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, vt eſt ad Philipp. 2.

8 *Et metuant eum omnes fines terræ*, intelligentes extra illum non eſſe Deum: formare ipſum lucem, & creare tenebras; facere pacem, & creare malum: tantùm (Eſa. 45.) in Iſraëlitis eſſe Deum, & nullum eſſe vltrà, non eſſe Deum alterum. Hæc pars ad Chriſti tempus optimè referri poteſt, B quando, vt eſt Zach. 8. 21. *vadent habitatores vnius* (ciuitatis) *ad alteram, dicentes, Eamus eundo, & (vt) deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum.* Ad dies illos hæc pars, inquam, ſpectat, *in quibus*, vt eſt eiuſdem capitis verſ. 23. *apprehendent decem homines ex omni-* C *bus linguis Gentium, apprehendent, inquam, fimbriam viri Iudæi, dicentes, Ibimus vobiſcum: audiuimus enim quòd Deus vobiſcum eſt.* Sæpe Prophetæ, quales exiſtimantur fuiſſe Pſalmorum autores, extra propoſitam materiam à Spiritu ſancto abripiuntur, vt dicant ea, quæ non cogitant: quod profectò autori huius pſalmi hîc video contigiſſe, præſertim dum ait, *& metuant eum omnes fines terræ.*

Digitized by Google

PSALMVS

LXVIII. LXVII.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI Dauidis pſalmus cantici.

2 ExurgatDeus, [a] diſſipentur inimici eius : & fugiant qui oderunt eum à facie eius.

Margin: a diſpergantur

3 Sicut propellitur fumus, propellas : ſicut [b] fluit cera à facie ignis, (ſic) pereant peccatores à facie Dei.

Margin: b heb. liqueſcit

4 Et iuſti lætentur, & exultent in conſpectu Dei : & delectentur in lætitia.

5 Cantate Deo, pſalmum dicite nomini eius, exaltate eum qui equitat ſuper cælos, in Iah nomine eius: & exultate in conſpectu eius.

6 Pater (eſt) orphanorum, & iudex viduarum, Deus in [c] loco ſancto ſuo.

Margin: c habitaculo Sanctitatis ſuæ.

7 Deus(eſt) qui inhabitare facit vnicos in domo, qui educit vinctos compedibus : [d] cùm rebelles habitent ariditatem.

Margin: d veruntamen rebelles habitant

8 Deus, quum egredereris ante populum tuum : quum pertranſires in deſerto :

9 Terra mota eſt; etiam cæli diſtillauerunt à facie Dei : ille Sinai à facie Dei, Dei Iſraël.

VETVS.

IN finem, Pſalmus Cantici ipſi Dauid.

2 Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius : & fugiant qui oderunt eum, à facie eius.

3 Sicut deficit fumus, deficiant : ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.

4 Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei : & delectentur in lætitia.

5 Cantate Deo, pſalmum dicite nomini eius : iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum : Dominus nomen illi.

6 Exultate in conſpectu eius, turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.

7 Deus in loco ſancto ſuo : Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo:

8 Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.

9 Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto :

10 Terra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſraël.

Digitized by Google

11 *Pluuiam voluntariam ſegregabis*
Deus hereditati tuæ : & infirmata eſt,
tu verò perfeciſti eam.

12 *Animalia tua habitabunt in ea:*
paraſti in dulcedine tua pauperi, Deus.

13 *Dominus dabit verbum euange-*
lizantibus, virtute multa.

14 *Rex virtutum dilecti dilecti: &*
ſpeciei domus diuidere ſpolia.

15 *Si dormiatis inter medios cleros,*
pennæ columbæ deargentatæ, & poſte-
riora dorſi eius in pallore auri.

16 *Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper*
eam, niue dealbabuntur in Selmon:
mons Dei, mons pinguis.
17 *Mons coagulatus, mons pinguis: vt*
quid ſuſpicamini montes coagulatos?

18 *Mons, in quo beneplacitum eſt*
Deo habitare in eo : etenim Dominus
habitabit in finem.

19 *Currus Dei decem millibus multi-*
plex, millia lætantium: Dominus in eis
in Sina in ſancto.

20 *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiui-*
tatem: accepiſti dona in hominibus:
21 *Etenim non credentes, inhabitare*
Dominum Deum.

22 *Benedictus Dominus die quotidie:*
proſperum iter faciet nobis Deus ſaluta-
rium noſtrorum.

23 *Deus noſter, Deus ſaluos facien-*
di: & Domini Domini exitus mortis.

24 *Verumtamen Deus confringet ca-*
pita inimicorum ſuorum: verticem ca-
pilli perambulantium in delictis ſuis.

10 Pluuiam liberaliſſimam diſtil-
las, Deus, (ſuper) hæreditatem
tuam: & [e] infirmata eſt, tu verò con- e *defeſſa.*
firmas eam.
11 [f] Animalia tua habitant in ea: f vel *Congregatio tua*
parás in bonitate tua pauperi Deus.

12 Dominus dabit verbum euan-
gelizantium exercitui multo:

13 Reges exercituum fugient, fu-
gient: & [g] ſpecioſa domus diuidet g vel *habitatrix*
ſpolia.
14 Si dormiatis inter medios tripo-
das, (eritis ſicut) pennæ columbæ
tectę argento, & alæ eius ſubuiridi
auro.
15 Quum expanderit Omnipotens
reges [h] ſuper eam, [i] albeſcet [l] ſi- h *in ea.* i ad verb. *niueſcet*
cut Selmon. l vel *in vmbra mortis ſeu obſcuritate.*
16 Mons Dei mons Baſan, mons
[m] colliculorum mons Baſan. m ad verb. *gibborum*
17 Vt quid exilitis montes [n] colli- n ad verb. *gibboroſi?*
culoſi? mons hic, in quo beneplaci-
tum eſt Deo habitare in eo : etiam
Dominus habitabit in [o] finem. o *æternū.*

18 Currus Dei, duæ myriades,
millia [p] Angelorum: Dominus in p vel *curſorum ſalacium.*
eis; (ſicut in) Sinai, in Sancto.

19 Aſcendiſti in altum, captiuam
duxiſti captiuitatem, accepiſti dona
[q] pro hominibus: & etiam rebelles q *de.*
ad inhabitandum Dominum Deum.

20 Benedictus Dominus: quotidie
apportat nobis Deus ille [r] ſalus no- r vel *ſalutē noſtrā.*
ſtra.

21 Deus nobis Deus in ſalutes: &
Dei Domini exitus mortis.

22 [ſ] Profectò Deus confringet ſ vel *Veruntamen*
[t] capita inimicorum ſuorum, verti- t heb. *caput*
cem capilli [u] perambulantium in de- u heb. *perambulātis*
lictis ſuis.

Digitized by Google

23 Dixit Dominus, Ex Baſan reducam, reducam ex profundis maris.

24 Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis, ex ipſo.

25 Viderunt inceſſus tuos, Deus: inceſſus Dei mei, Regis mei, (qui eſt) in Sancto.

26 Præceſſerunt cantores, poſt tibicines, in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

x heb. *Deum:* y heb. *Dominum,*

27 In cœtibus benedicite [x] Deo: [y] Domino, de fonte Iſraël.

z vel (cũ) *purpura ſua;*

28 Ibi Beniamin paruulus dominator eorum, principes Iuda [z] duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.

29 Mandauit Deus tuus virtutem tuam: confirma, Deus, hoc (quod) operatus es nobis.

30 E templo tuo ſuper Ieruſalem: tibi offerent reges munera.

a ad verb. *feram*, aliis *cætum*
b heb. *diſſipauit*

31 Increpa [a] feras arundinis, congregationem taurorum cum vitulis populorum; faſtuosè incedentem in fruſtis argenti: [b] diſſipa gentes quæ bella volunt.

c prop. *currere faciet* &c. *ad Deum.*

32 Venient magnates ex Ægypto: Æthiopia [c] celeriter protendet manus ſuas Deo.

33 Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino.

d ad verb. *cæ|os cælorum antiquitatis:* e *fortitudinis.*

34 Ei qui equitat ſuper [d] cęlum cęli antiqui: ecce dat in voce ſua vocem [e] virtutis.

35 Date fortitudinem Deo: ſuper Iſraël magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

25 *Dixit Dominus: Ex Baſan conuertam, conuertam in profundum maris:*

26 *Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipſo.*

27 *Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus* Dei mei*, regis mei qui eſt in ſancto.*

28 *Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus, in medio iuuencularum tympaniſtriarum.*

29 *In eccleſiis benedicite Deo* Domino*, de fontibus Iſraël.*

30 *Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.*

31 *Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.*

32 *Manda* Deus *virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

33 *A templo tuo in Ieruſalem, tibi offerent reges munera.*

34 *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati ſunt argento.*

35 *Diſſipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo.*

36 *Regna terræ cantate* Deo*: pſallite* Domino*: pſallite* Deo*, qui aſcendit ſuper cælum cæli, ad Orientem.*

37 *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam* Deo *ſuper Iſraël, magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.*

Digitized by Google

38 *Mirabilis* Deus *in ſanctis ſuis*, Deus *Iſraël ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus* Deus.	36 Terribilis Deus è Sanctuariis tuis, Deus Iſraël; ipſe dat virtutem & [f] fortitudinem populo: benedictus Deus.

[f] ad verbũ fortitudines.

COMMENTARIVS.

Argumẽtum.

NOn inter omnes conuenit de argumento huius pſalmi, quem affirmat Ezra valde eſſe excellentem. Kimhi refert ad illud tempus, quo tempore Sennacherib vrbem Hieroſolymam obſidebat, regnante Ezechia. Hanc ſententiam refellit Titulus, qui Pſalmum Dauidi tribuit. Sunt qui ſatis probabiliter putent à Dauide ſcriptum, quum Arcam Domini in arcem Sionis deferret. Sunt qui poſt inſignem victoriam. Ego, liceat enim mihi dicere quod ſentio, exiſtimo ante victoriam, & quum expeditionem pararet Dauid, & arduum aliquod ac difficile bellum propulſandum aggrederetur, ſummâ Dei præpotentis virtute, & benignitate perpetuâ erga Iſraëlitas fretus. Quænam ſuerit iſta expeditio, difficile eſt ſtatuere, niſi fortè illæ ſunt expeditiones, aut earum aliqua, quæ leguntur 2. Sam. 21. in fine, aduerſus Philiſtæos ſcilicet. Certè propter verſum 17. & 18. oportet illam expeditionem fuiſſe poſt conſecratum Sionis montem, & illuc inuectam Arcam. Eſſe porrò hoc carmen ſcriptum ac decantatum ante victoriam, quod ſentire videtur etiam Ezra, probat tenor & contextus pſalmi. Nam in hoc pſalmo primùm petit Dauid, vt Deus vim ſuam palàm exerat, ſic vt hoſtes ſubito terrore perculſi fugam arripiant, inſtarque fumi à vento propulſi, & ceræ igni admotæ citò euaneſcant atque dilabantur: contrà verò iuſti, qui à ſuis partibus ſtant, Dei ope ac præſentia miris modis exhilarati exultent ac triumphent. Suos adhortatur poſtea, vt præpotentem Deum celebrent ſpem certam in eo ponentes, qui licet ſupra cælos inhabitet, tamen terras reſpicit, pupillos & viduas quaſi pater curans, beatâ prole coniugia fœcundans, compedibus vinctos ſoluens, totos econtrà rebellium & ſceleratorum agros ariditate & ſqualore damnans. Inde ſubitò ſermonem ad Deum conuertit: Tu es, inquit, Deus ille noſter, Deus Iſraël, quo Sinaici montis vertici olim inſidente, ipſa terræ moles latè contremuit, cæli quoque veluti ſudore manarunt, & mons ille Sinai vniuerſus, tuam ſcilicet præſentiam reueritus, quaſi cohorruit. Tu Iſraëliticam hanc terram largis imbribus, quoties opus eſt, liberaliter irrigas, ac, ſi fortè, vt fit, vbertate nimiâ fatigata eſt, & exhauſta interdum, inſtauras, nempe vt nos grex tuus in ea ad ſatietatem paſcamur, nec quicquam cuiquam vel pauperrimo deeſſe vnquam poſſit. Te igitur nunc etiam certò confidimus exitu comprobaturum verba illa mulierum ac puellarum paſſim in choreis pro more occinentium hoc carmen: Profectò illi reges licet numeroſo milite inſtructi terga dabunt, multámque ac diuitem prædam poſt ſe relinquent, quam nos, imbelle genus, à victoribus maritis domum reportatam inter noſtros partiemur. Ne pertimeſcite vos, ò viri: nam etſi in media ollarum fuligine verſari vobis fuerit neceſſe, inde tamen exibitis emicantes inſtar argenteæ atque aureæ columbæ. Fuſis ac diſſipatis hoſtium copijs, regio hæc, quæ nunc tota in luctu & ſqualore iacet, niueâ tunc ſplendeſcet luce. Vt verò mons Baſan, aliique omnes, qui in hac terra ſunt, Sionis monte celſiores ſublimioréſque ſint, déque Dei præſidio etiam gloriari debeant, nulla tamen ratione cum iſto ſunt conferendi, quem Deus vnum ex omnibus ſibi domicilium, & quidem proprium ac perpetuum, delegit: quem multis curruum & angelorum millibus ſtipatus inſidet, vt olim montem Sinai. Quod cùm ita ſit, illud habeto, ò Rex, vel ò dux & miles quilibet, & quaſi iam ſit factum teneto: Arces quantumuis ſublimes certò expugnabis, in eáſque victor conſcendes, illinc infinitam captiuorum turbam traduces, adhæc multis cumulaberis donis pro redemptorum mancipiorum pretio. Quid? Nec deerunt etiam ex rebellibus, qui vltro ac ſponte veniant habitatum noſtram terram Dei æterni ſedem. Hoc carmen ſtatim excipit ipſe Dauid his ferè verbis: Benedictus Dominus ſeruator noſter, qui nos perpetuis cumulat beneficijs: qui nos quotidie mole calamitatum obruit, idémque quotidie ſubleuat: qui vt mille modis defendere poteſt à morte, ſic &, quos vult, non vno mortis genere euertere: qui dubio procul hoſtium ſuorum capita confringet, iſtorum ſcilicet hominum elato capite & intonſa cæſarie, qui in ſuis ſceleribus tam obſtinatè pergunt. Inde Dauid, quò ſuis verbis maiorem adſtruat fidem, Deum ipſum loquentem, & liberationem pollicentem inducit, affirmantémque fore vt Dauid & Iſraëlitæ pedem in hoſtili ſanguine immergant, & canes cruorem lambant. Mox Dauid Dei

Ordo pſalmi probans argumẽtum.

Digitized by Google

ſermonem excipiens ſic ipſum alloquitur, Non dubitamus verò, ô Deus, idem & Rex meus, quin nunc nobis laturus ſis opem, quem, etſi ſupremi cæli incolam, maiores olim noſtri ſuis in caſtris ducem, pérque medias hoſtium turmas veluti incedentem, ſuiſque manibus ſtragem edentem apud Mare rubrum ſenſerunt, immò conſpexerunt: ideóque, poſtquam nimirum, ſubmerſis hoſtibus, è mari emerſiſſent, ad gratiarum actionem, & publicam lætitiam teſtandam, pompam indixerunt: in qua primo loco cantores, poſtea tibicines, atque hinc inde puellarum tympaniſtriarum chorus miro & decenti ordine incedebant, grata vocum modulatione carmen huiuſmodi ferme argumenti occinentes: Caternatim, ô quotquot eſtis Iſraëlitici generis, celebrate Deum, celebrate Dominum. In illâ pompâ prima omnium incedebat tribus Beniamitica, deinde Iudaica phrygijs veſtibus præfulgens, & primarijs ducibus inter omnes decora, pòſt Zabulonitæ & Nephtalimi, aliaque itidem tribus pulchro ordine. Inde Dauid, poſtquam breuiter Iſraëlitas ſecuros eſſe iuſſit de Dei auxilio iam mandato ac prouiſo, Deum ipſum precatur; vt Rempublicam ac politiam, quam ipſe inſtituit, magis ac magis muniat & conſeruet ab hoſtium vi, ac præſertim vrbem Hieroſolymam regni caput & Arcæ ſedem. Quod ſi feceris, inquit, futurum eſt, ô Deus, vt exteri reges tuam potentiam agnoſcentes muneribus te apud Hieroſolymam certatim colant. Coerceto igitur truculentos iſtos feris ex arundinetis irruentibus haud abſimiles: reprimito principes inſtar taurorum ferocientes, ipſam quoque plebeculam ſtolidè & ſine conſilio plerumque ſe gerentem, & quotquot aulas ſequuntur, homines toti auro atque argento collucentes, dúmque ſuperbè incedunt, pomparum ferculis ſimiles: denique totas gentes euerte, quæ, ſolùm quia bellum amant, nobis aduerſantur. Tunc optimates Ægyptij huc ad te concurrent, & feſtini Æthiopes manus ſupplices tibi protendent, donaque adferent. Concluditur tandem pſalmus apoſtrophe, qua gentes omnes excitantur, vt pſallant Deo altiſſimis nubibus inſidenti, indéque vocem edenti terribilem: vt eum, inquam, extollant, cuius non minor in ſeruandis Iſraëlitis elucet virtus & potentia, quàm dum è nubibus tonat, horriſonóque fragore orbem concutit: qui è ſuo Sacrario, dum Iſraëlitarum res agitur, hoſtibus terribilem ſe præbet, illis verò vires & robur ſubminiſtrat, quippe Deus Iſraël. Itaque ait, Benedictus Dominus. Habes perpetuam ſeriem, vel potiùs paraphraſim huius pſalmi ſatis longam, ſed tamen, ſi pſalmi obſcuritas conſideretur, nimiùm breuem.

2 *Exurgat Deus*, &c. Hoc & duobus ſequentibus verſibus videtur contineri pſalmi propoſitio, quâ petit Dauid, vt hoſtes Dei virtute primùm in fugam vertantur, deinde deleantur exterminentúrque: iuſti verò contrà recreentur atque exultent. *Exurgat Deus*, &c. Similis eſt loquutio Num. 10. 35. Exurgere Deus dicitur humano more, quum palàm vim ſuam ac virtutem exerit atque oſtendit. Sic interdum Sacræ litteræ ob rudes homines balbutiunt. *Fugiant à facie eius*, hoc eſt, eo viſo, eius ſcilicet potentiâ.

Fugiant à facie eius, non loco, quia vbique præſens eſt, ſed metu animi, timendo ſcilicet, non latendo. Grauis eſt maledictio, & horrenda increpatio, vt ab eius facie fugiant, cuius vbique conſtat eſſe præſentiam, & vt velint & conentur, quod nullatenus fieri poteſt. Vide D. Auguſt. & Gloſſam.

3 *Sicut propellitur fumus, propellas* eos ſup. &c. Senſus, Illi euaneſcant ac diſſipentur ad tuum conſpectum, haud aliter quàm fumus vento agitatus ſubitò diſparet, & cera vix admota igni ſtatim colliqueſcit. *Sicut propellitur fumus, propellas*. Senſum, non verba ſequuti ſunt

A hìc Græcus & Lat. correctâ enallage perſonæ, quæ eſt in Hebræo. (*Sic.*) Deeſt in Fonte hæc particula: ſed à Græco & Lat. addita habet [illegible] ſingularem. Hoſtes quum fumo & ceræ confert Dauid, illorum vanam & caducam potẽtiam extenuare vult. Nam fumus primò aliquid eſſe videtur, dum ingens interdum aëris ſpatium occupat: cera quoque ſolidi ac firmi aliquid habere videtur: verùm ille vel

B ſponte euaneſcit, vel leui ſaltem aurâ ſubitò diſſipatur: pariter cera igni admota ſtatim liqueſcit. Sic hoſtes ſuos Dauid, quantumuis initiò fortes videantur, omniaque terroribus compleant, fumo citiùs diſſipatum iri pronuntiat. Deinde ſicuti fumus, quò altiùs fertur, eò tenuatur magis, ita improbi & facinoroſi homines, quò magis extolluntur, eò ruinæ ſunt pro-

C piores, vt verè dixerit, quiſquis eſt, *tolluntur in altum, Vt motu grauiore ruant.* Oſeas cap. 13. 3. de Idololatrarum excidio loquens, ipſos, præter alia, etiam cum fumo comparat: *erunt*, inquit, *quaſi nubes matutina, & ſicut ros matutinus præteriens, ſicut puluis turbine raptus ex area, & ſicut fumus de fumario*: Græco ἀπὸ ἀκρίδος, ex אַרְבֶּה *arbe, locuſta*, pro אֲרֻבָּה *arubba*, id eſt,

camino : bene an malè tuum iudicium facio.

4 *Et* (pro Sed) *lætentur* &c. Pulcherrima antitheſis. Tot verba eiuſdem ſignificationis ingentem & omnimodam important lætitiam : quaſi diceret, At iuſti Dei conſpectu ac præſentia miris modis recreati exultent ac ſeriò triumphent.

Iuſti. Suos intelligit.

5 *Cantate Deo*, &c. Conuertit ſermonem ad ſuos, ſeu iuſtos, quos hortatur ad Deum laudandum, & in eo alacriter ſperandum, qui infirmis & imbecillis nun- B quam defuerit. *Exaltate eum*. In Hebræo סלו *ſollu*, quod alij cum Græco & Lat. vertunt, *iter facite ei*, (*iter* propriè aggeſtum & eleuatum) hoc eſt, viam ei ſternite honoris ergô. Verùm Chald. Raſi, Ezra, Kimhi exponunt *laudate*, *extollite*. Probant Ezra & Kimhi iſtam ſignificationem ex Prou. 4. 8. Vide ibi. *Eum qui equitat ſuper cœlos*, vt quemadmodum qui inſidet iumento aut equo, ipſum, quò vult, ducit, ſic Deus orbes cæleſtes pro ſuo nutu atque arbitrio conuertat. Simile il- C lud Deut. 33. 26. *Non eſt alius vt Deus*, *ô Iſraël, equitans cœlum in auxilium tui*, *in magnificentia ſua nubes*. *Super cœlos*. Græcus & Lat. *ſuper occaſum*, ex עֲרָב *ereu*, quod *veſperam* ſignificat. Verùm per עֲרָבוֹת *arauoth*, Kimhi intelligi vult ſupremam illam ſphæram, quæ reliquas omnes complectitur, ſuóque motu mouet. Quum hanc nominat, vult ſignificare Deum rebus omnibus eſſe ſuperiorem. *In Iah nomine eius*, exaltate ſcilicet. Potes D vertere, *in Iah nomen eius*, hoc eſt, Iah eſt nomen eius: quo modo acceperunt Chald. Græcus & Latinus quorũ ille interpretatur, *Iah*, ſeu, *Dominus nomẽ eius*; hi, *Dominus nomẽ illi*. *Iah*. Hoc nomen Deũ ſignificat, vt per ſe exiſtẽtem, ſeu vt primum ens, per quod ſunt omnia quæ ſunt, & abſque quo nihil eſſet, cùm ipſum ſine aliis eſſe poſſit. Eſt à themate הָוָה *haua*, quod ſignificat *fuit*, contractúmque eſt ex יְהוָה.

6 *Pater* (*eſt*) *orphanorum*, &c. Senſus eſt, Etſi Deus cælo inequitat, tamen res huma- E nas cernit, & vel minima curat quæ geruntur in terris, & tenuiores, vt ſunt orphani, & viduæ, aduersùs iniuſtam vim potentiorum defendit. Hoc ſenſu ſcribitur pſal. 113. 5. & ſequẽt. *Quis ſicut* Dominus *Deus noſter? qui in altis habitat: Qui humilia reſpicit, in cœlo & in terra: Suſcitans à terra inopem*, &c. & pſ. 138. 6. *Quòd excelſus Dominus, & humilem reſpicit, & altum* (vel *altus*) *à longè cognoſcit*. *Deus in loco ſancto ſuo*, hoc eſt, Deus ille excelſus & ſublimis,

A *habitans æternitatem, & ſanctum* (*eſt*) *nomen eius*; *in excelſo & in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu: vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum*: vt eſt Eſa. 57. 15. *In loco ſancto ſuo*, heb. *in habitaculo ſanctitatis ſuæ*, hoc eſt, in cælo, ex Kimhi. Sic Zach. 2. 13. *de habitaculo ſancto ſuo*, heb. *ſanctitatis ſuæ*, vbi Græcus habet ἐκ νεφελῶν ἁγίων αὐτοῦ. Quum ait Dauid in hoc & ſequente verſu Deum eorum patrem eſſe, qui patribus carent, viduarum eſſe vindicem, &c. argumenta di-

B uinæ laudis ſuis offert, ſimúlque eos in præſenti ſtatu de Deo bene ſperare iubet, qui miſerorum calamitate ſemper moueatur. Attendere porrò ad hoc, quod hîc dicitur, magiſtratus præſertim debent, vt quia Dei vices in terris gerunt, miſerorum curam ſuſcipiant, & quemadmodum ille, (Deut. 10. 18.) pupillo & viduæ ius reddant : imò cauere omnes debent, ne quos Deus tuetur, opprimant, eóſque lædant, qui Deum habent patronum ac vindicem.

C 7 *Qui inhabitare facit vnicos in domo*. Intelligi hoc debet quemadmodum illud 2. Sam. 7. 11. *domum faciet tibi Dominus*, hoc eſt, familiam : & illud Exo. 1. 21. *fecit eis domos*; quamquam iſtius loci variæ ſunt interpretationes. Senſus ergo eſt, qui *vnicos*, id eſt, virum atque vxorem *habitare facit in domo*; hoc eſt, in familia, concedens eis beatam & numeroſam ſobolem: qui ex vnicis perſonis, vt dicit quidam, facit magnam familiam. Vel, ſi vis, qui ſteriles fœcundat:

D quo ſenſu legitur pſal. 113. 9. *Qui habitare facit ſterilem in domo*, vel *domum*, *matrem filiorum lætantem*. Ex Latinis quidam, niſi me memoria fallit, ſic interpretantur, qui cogit diſperſos, & errantes ſolos in domum: quæ quidem interpretatio ſatis conueniret cum eo quod mox ſequitur, ſi eſſet è conſuetudine hebraici ſermonis. *Educit vinctos compedibus*, id eſt, captiuos vinclis ereptos liberat. Inſigne eſt exemplum Ioſeph. *Compedibus*. In Græco & Lat. *in fortitudine*, hoc eſt, fortiter, ad ſenſum duntaxat. *Cùm rebelles*, qui

E nimirum orphanos & viduas opprimunt, aut Deo repugnant, *habitent ariditatem*, hoc eſt, aridas & exuccas regiones, ipſi prorſus aridi, & omnibus, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, deſtituti. *Ariditatem* πρὸς τὸ *in domo*.

8 *Deus, quum egredereris* &c. Subita ad Deum apoſtrophe, in qua Dei potentiam, ac beneficia erga populum Iſraëliticum à liberatione vſque Ægyptiaca repetit : quâ commemoratione ſe ſuóſque impræſentiarum vult confirmare aduer-

Digitized by Google

ſùs imminentis belli pericula. *Quũ egredereris* quaſi dux *ante populum tuum*, nimirũ *in columna nubis, & in columna ignis*, ſicuti interpretatur Chaldæus. Mox plura videbis de hoc verſu. Porrò hic & ſequens verſus videntur deſumpti ex Cantico Deboræ, Iud. 5. 4. & 5. vbi pro hoc verſu legitur, D*omine, quum exires de Seir, & tranſires per regiones Edom.*

9 *Terra mota eſt*, tunc ſcilicet *quum dediſti Legem populo tuo*, vt vult idem Chaldæus, & plerique omnes interpretes, teſte Ezra. *Etiam cæli diſtillauerunt*, hoc eſt, tunc etiam pluit, & quidem vehementer: nam quomodò tot tantáque tonitrua, quæ tunc, quum eſt data Lex, audita eſſe legimus, abſque pluuia vehementi eſſe potuerunt? Hoc dico, quòd nulla pluuiæ fiat mentio in hiſtoria Legis datæ, quæ ſcribitur Exo. 19. & 20. *Etiam* habet emphaſim, quaſi diceretur, tunc non ſolùm terra, ſed etiam cæli tuam in Sinai monte præſentiam, quibus potuerunt ſignis, teſtati ſunt; illa nimirum ſaltem circùm illum montem contremuit, hi verò veluti ſudore manarunt. *Cæli diſtillauerunt* idem eſt quod *nubes diſtillauerunt aquas*. Vide Iud. 5. 4. vbi hęc duo ſimul coniũguntur, *etiam cæli diſtillauerunt, etiam nubes diſtillauerunt aquas.* *A facie Dei*, id eſt, à præſentia Dei. *Ille Sinai* ſup. motus eſt ſeu contremuit, quando Lex data eſt, iuxta illud Exo. 19. 18. *& commotus eſt vniuerſus mons vehementer.* *Ille* emphaticè, ille mons adeo celebris ob datam in eo Moyſi Legem. Explicat poſteriore hoc membro id quod in priore dixerat, *Terra* (Synecdochicῶs videlicet, vt ego puto, hoc eſt, pars terræ) *mota eſt.*

Dei Iſraël. Hoc habet inſignem emphaſim, quaſi dicat, Dei, inquam, qui præſertim noſter eſt, & nos illius. Vide ſimile prorſus poſteriori membro huius verſus, Iud. 5. 5. Sunt qui hæc, *Terra mota eſt, etiam cæli diſtillauerunt*, figuratè tantùm ac metaphoricè accipiunt: ac ſic Kimhi, qui vult his verbis notari victorias, quas in deſerto ab Seon Amorrhæorum, & Og Baſanitarum regibus Iſraëlitæ reportauerant: ita vt per *terræ motum* terror regibus & populis iniectus: per *cælorum diſtillationem*, id eſt, pluuias, variæ eorumdem calamitates intelligi debeant: ſiquidem pluuia in Sacris litteris calamitates plerumque deſignet. Idem Kimhi explicat *egredi ante populum*, quod eſt in præcedente verſu, ex loco iſto Iud. 4. 14. *nonne Dominus egreſſus eſt ante te*? pro quo in Vulg. *en ipſe ductor tuus.* Quando enim, inquit, Hebræi ab hoſtibus victoriam re-

A portabant, exiſtimabant, neque id falſò, Deum ſibi præiuiſſe, ciúſque ductu ſe bello potitos. Ergo in eius ſententia hæc loquutio, *Deum egredi ante populum*, eſt ſimilis illi *egredi cum* vel *in exercitibus*, pſ. 44. 10. & ſignificat fungi munere ducis, ſeu præire tanquam ducem. Addit Kimhi, Arca etiam Domini ante illos proficiſcebatur. Ezra magno conatu contendit non poſſe, quæ hoc & ſuperiore verſu dicuntur, pertinere aut referri ad tempus Legis datæ. Primò, quia tunc non B erant Iſraëlitæ in deſerto horrendo, & vaſta ſolitudine, vbi nemo homo eſt, qualis ſignificatur voce ישימון *ieſchimon*, præcedentis verſus, ſed in terra habitata. Secundò, quòd terra non legatur tunc, quum eſt data Lex, cõtremuiſſe, ſed ſolus mons Sinai. Verùm fruſtra ſunt hæ rationes. Quidni enim vox illa, *ieſchimon*, ſumi hoc loco poſſit pro deſerto tantùm, non verò pro horrenda ſolitudine, cùm non ſemper adeo ſtrictam & propriam vocabula retineant ſignificationem? Deinde non vult Dauid C præciſè notare illum ipſum locum, in quo tunc eſſent Iſraëlitæ, quum Legem acceperunt: ſed deſertum illud abſolutè maxima ex parte inhabitabile, quod iamdiu peragrabant. Quod ad ſecundam rationem attinet, quis præſtet terram totam tunc non contremuiſſe, cùm Exo. 19. 16. legantur tunc ea tonitrua audita, quæ terrorem vniuerſo populo incuſſerint? Deinde, annon ſufficit, vt terra dicatur contremuiſſe, hyperbolicῶs ſcilicet, quòd mons Sinai contremuerit? D Iuxta Kimhi, & alios qui prius membrum explicant metaphoricè, vt mox dictum, hîc ſupplendum eſſet *ſicut*, ad iſtum modum, (*ſicut*) *ille Sinai* ſup. motus eſt *à facie* &c. vt ſenſus ſit, Populi iſti contremuerunt, & cõmoti ſunt, ſicuti ille mons, quo tẽpore Lex data eſt. Hic porrò verſus imprimis pertinet ad Dei incredibilẽ potentiam vímque terribilem declarandam & exaggerandam.

10 *Pluuiam liberaliſſimam* (ad verb. *liberalitatum*) *diſtillas*, &c. Senſus, Hæc terra E ita tibi curæ eſt, ſempérque fuit, vt eam largis, quoties opus eſt, imbribus haud parcè irriges, ac, ſi fortè frequenti nimis vbertate & aſſidua fertilitate, vt fit, laſſata atque effœta eſt interdum, inſtaures, & veluti renoues, quò pertinet illud, *& infirmata eſt, tu verò confirmas eam.* *Hæreditatem tuam*, id eſt, terram Iſraëliticam, quam tibi proprio quodam iure vendicaſti ac ſelegiſti. Verba in hoc & ſequente verſu hebraicè partim ſunt præteriti, partim fut. temporis: ideóque per præſens exponenda, quod rem olim fieri ſolitam, & quæ adhuc

Digitized by Google

ſit aquotidie, repræſentet: hanc enim ferè vim habent præterita mixta futuris.

11 *Animalia tua*, hoc eſt, iuxta Raſi, Congregatio Iſraëlitarum, qui ſunt pecudes & animalia tua. Idem Raſi explicat præſertim, ac ſic omnes ferè Hebræi, *Congregatio tua.* Certè vox hebraica חַיָּה *chaiia*, ambigua eſt, *congregationem* & *animal* ſignificans. Significatio animalium optimè quadrat ad præcedentem verſum, quaſi dicatur, Terram hanc ſic curas ac foues, nempe vt tuus grex, cui illam attribuiſti, in ea ſecurè habitet, & paſcatur, nihilque ipſi deſit. *Paras* quæ ad victum & cultum neceſſaria ſunt. *Pauperi* Iſraëlitæ, ſi quis in hac terra reperiatur. Nota. Eadem vox, quæ hîc redditur à Græco τὰ ζῶα, à Lat. *animalia*, infrà, verſu 31. ab illo τοῖς θηρίοις, ab hoc *feras* redditur. Scilicet hîc, vbi de Iſraëlitis ſermo eſt, molliore vſi ſunt vocabulo, quàm illic, vbi de hoſtibus agitur.

12 *Dominus dabit verbum* &c. Subitò tranſit, quod fieri præſertim ſolet in poëmatis, eâque figura non parum habet elegantiæ, à 2.ª perſona ad 3.ᵃᵐ ac, Idem ille Deus, inquit, qui tantam olim potentiam oſtendit, qui ſuis olim adfuit & quotidie pro ſua bonitate adeſt, nobis etiam nunc aderit, & *dabit*, hoc eſt, exitu comprobabit ac perficiet, *verbum euangelizantium* mulierum, (eſt enim participium, vti mox adnotabitur, gen. fœm.) euangelizantium, inquam, ſeu annuntiantium *exercitui multo* Iſraëlitarum.

Euangelizantiũ ſeu *annuntiantium* nuntiũ bonum propriè. Quod? Hoc quod ſequitur, *Reges exercituum* &c. Sic exponimus ex Ezra, qui vult vocem *euangelizantium* reſpondere ad *verbum:* quod ſanè commodum efficit ſenſum. Obiter notandum verbum *euangelizandi*, ſeu *annuntiandi* hebraicè accuſandi caſum hîc regere, vt & 2. Sam. 18. 19. Eſa. 61. 1. Græcus vertit τοῖς εὐαγγελιζομένοις (ex Hebræo corrigendum videretur ταῖς εὐαγγελιζομέναις, vt eſſet fœm. gen.) δυνάμει πολλῇ; Lat. *euangelizantibus virtute multa*, hoc eſt, exercitu multo: δύναμις enim *virtutem* & *exercitum* ſonat. Senſus eſt, Dominus perficiet verbum euangelizantium turmatim ſeu cateruatim & in choreis, id quod ſequitur: quanquam ex Græco verti poteſt *exercitui multo*, in ſenſu Ezræ. Alij vertunt & diſtinguunt ſic, *Dominus dabit verbum: euangelizantium exercitus multus*, hoc ſẽſu, Suppeditabit Deus materiam canendi epinicij: nũncq; videre eſt ingentes turmas mulierum ac puellarum in choreis occinentium quæ ſequuntur, *Reges exerci-*

A *tuum* &c. Hanc diſtinctionem, quæ eſt ipſius Kimhi, magis quidem probant accentus: verùm horum haud magna ratio eſſe debet in Pſalmis. Obſerua porrò vocem hebraicam הַמְבַשְּׂרוֹת *hameuaſſeroth*, quæ *euangelizantium* ſignificat, eſſe fœminei generis, quòd eùm, vt annotat Kimhi, mulieres non proficiſcerẽtur ad bellum, illarum mos eſſet viris animos addere ſecunda omnia pollicendo, (addo ego) & carmen fortè aliquod ad eam rem ſcriptum publicè in choreis decantare. Ad hanc B conſuetudinem reſpexiſſe hîc videtur Dauid. Nihil attinet ad hunc locum admonere, (niſi fortaſſe quod diximus, ex hoc colligas) moris fuiſſe apud Hebræos vt mulieres epinicia canerent. Sic Maria Moſis ſoror, aliarùmque mulierum chorus, rubro Mari traiecto, ſubmerſiſque Ægyptijs, præclarum & diuinum illud carmen, quod extat Exo. 15. ad tympana cecinerunt. Sic Sauli, Goliath à Dauide interfecto, victori redeunti mulierum choros honoris ergô prodiſſe obuiam legimus, ad tympana & cymbala, aliáque muſica inſtrumenta al- C ternis canentes, *Saul percuſſit mille, & Dauid decem millia.* 1. Sam. 18. 6. & 7.

13 *Reges exercituum fugient*, &c. Hoc eſt illud verbum ſeu carmen euangelizantium mulierum & puellarum: ſicut & quod in aliquot verſibus ſequitur. *Reges exercituum*, hoc eſt, reges illi potentes & magnis copiis inſtructi. Latinus, vt ſolet in Pſalmis, vocem Græcam δυνάμεων reddidit *virtutum.* *Fugient, fugient* hinc inde, (id enim repetitio eiuſdẽ verbi hîc videtur ſignificare) iuxta illud Deut. 28. 7. *per* D *vnam viam venient contra te, & per ſeptem fugient à facie tua.* Latinus hîc habet, *dilecti, dilecti*, nimirum, vt ipſe conijcio, ex יְדִידִין *iedhidhin*, quod eſt *dilecti* in numero plurali, pro יִדּוֹדוּן *ijddodhun*, etſi in Græco legitur ἀγαπητοῦ in genit. ſing. De ſenſu horum verborum Græcæ & Lat. verſionis, *Rex virtutum dilecti, dilecti*, in genit. videantur Geneb. Card. Bellar. & alij. In fragm. Symmachi, βασιλεῖς τῶν στρατιωτῶν (mallem στρατιῶν) ἠγαπήθησαν, ἀγαπητοὶ E ἐγένοντο. Legit hic, vt apparet, יָדְדוּן *iadhadhun*, in præt. Kal, & interpretatus eſt ex ſignificatione *iedhidh*, quod *dilectum* ſonat. Verùm puncta, quæ hodie ſunt, optimum efficiunt ſenſum. *Et ſpecioſa domus diuidet ſpolia*, hoc eſt, Materfamilias, quæ præcipuum eſt ornamentum & decus ſuæ domus, diuidet inter ſuos ſpolia ab hoſtibus detracta. Græcus & Lat. hunc videntur ſequuti ſenſum, qui vertunt, *& ſpeciei*, pro, ſpecioſæ, *domus*, ſup. eſt, *diuidere ſpolia.* Alij aliter vertunt, eodem

Digitized by Google

tamen ſenſu, *& habitatrix domus* &c. id A eſt, Materfamilias, & imbellis illa turba, quæ, viris ad bellum proficiſcentibus, domi otioſa reſidet, manubiis relictis fruetur, eáſque inter ſuos partietur. Kimhi per *habitatricem* vel potiùs *habitationem domus* intelligit Iſraëlitas, qui habitant domum Domini. Sic & Chaldæus, qui interpretatus eſt, *congregatio Iſraël.* Ezra quotquot remanerent Hieroſolymis, nec ad bellum proficiſcerentur, vt hæc ſit ſententia, etiam qui Hieroſolymis remanebunt, nec ad bellum proficiſcentur, B ſpolia partientur: quantò igitur magis qui fuerint in bello? Si hunc ſequeris, per *habitatricem*, vel, ſi mauis, *habitationem domus*, intellige totam turbam imbellem cùm mulierum, tum virorum. Mallem ego per *habitatricem domus* mulierum imbelle genus tantùm ſignificari. Iuuat locus Iud. 5. 24. *Benedicatur præ mulieribus Iahel vxor Haber Cinæi, præ mulieribus in tabernaculo*, hoc eſt, quæ manere ſolent in tabernaculis ſeu domi, *benedicatur.* Nos, vt ad Græcum & Lat. magis accederemus, vertimus, *& ſpecioſa* C *domus* &c. Quidni enim נְוַת *neuath*, ex נָאָה *naa*, א conuerſa in ו, ſignificet hîc *pulchram*, vt & Ierem. 6. 2. vbi à Paraphraſte Chaldæo, & Iuda Chiiub הַנָּוָה *hannaua*, *pulchra* exponitur, necnon à Buxtorfio in ſuo Lexico ad radicem mox notatam? Omitto Latinam interpretationem iſtius loci. D. Hieron. per ſubſtantiuum, ſed eodem ſenſu, hîc vertit, *& pulchritudo domus* &c. Symmachus vertit καὶ ἡ δίαιτα, τοῦ οἴκου (vern. *la gouuernante de la maiſon*) διαμεριεῖ λάφυρα. D

14 *Si dormiatis inter medios tripodas*, ſeu *chitropodes*, &c. Verba mulierum & virginum ad viros. Nolite, inquiunt, timere, ô viri: nam etſi in ſummis anguſtiis, ſordibus & ſqualore fueritis, inde tamen exibitis nitentes & emicantes inſtar argenteæ atque aureæ columbæ. In priore membro metaphora eſt à calonibus & lixis caſtrenſibus petita, qui ab aëris iniuria vtcumque ſe defendunt, deliteſcendo inter fuliginoſas ollas, & lapides focarios. Apta huic loco, vbi de bello E ſermo eſt, figura. In poſteriore eſt metaphora à columbis deſumpta, quæ per medium aërem volitantes nunc niueum atque argenteum, nunc aureum ſplendorem eiaculantur. Significatur porrò hoc verſu ex omnibus anguſtiis & periculis, quantumuis ingentibus, emerſuros, exiturόſque ſaluos & incolumes. In Sacris litteris atror mala, candor verò incolumitatem & proſperitatem notat. *Teſta* reſpondet ad *columbæ*. *Subuiridi* ſeu *flauo auro* ſup. tectæ. Hoc dicit, quòd optimum aurum flaui ſit coloris. De Vulgata verſione ſic loquitur Folengius, Monachus, Præterea prudens quæ hîc de cleris à noſtris dicuntur, ſublimia illa quidē & diuina, ſed quæ nihil ad hunc verſum explanandum faciant, cùm dictio illa in codicibus emendatioribus non inueniatur.

15 *Quum expanderit*, id eſt, ſuderit ſugarítq; aut ceciderit. Ad mentem Emmanuelis & aliorum vertendum, *Quum perfregerit. Reges* inimicos, & eorum turmas. *Super eam*, ad verb. *in ea*, ſeu, *in hac* terra. *In ea* ait, quia fortaſſe in Iſraëlitarum ditionem aliquot tunc Philiſtæorum turmæ irruerant, vt fit in ciuilibus bellis, quæ aliquandiu ante expeditiones notatas in Argumento Dauidis regnum exercuerant. Relatiuum hîc abſque antecedente, quod tamen ex præcedentibus ipſius Dauidis facilè ſuppleri poteſt. *Albeſcet*, ad verb. *niueſcet ſicut Selmon.* Alia figura, cuius ſenſus eſt, fuſis hoſtibus hæc terra, quæ nunc in luctu & ſqualore, ac denique veluti in tenebris iacet, tota ſplendeſcet ſicut mons Selmon, qui cis Iordanem ad Orientem ſitus niue perpetuâ ſummo albicat vertice, ſicut hîc auctor eſt Ezra. Dicam quod mihi nunc præterea venit in mentem. Videtur mihi Dauid alludere ad etymon nominis צַלְמוֹן *tſalmon*, quod *obſcurum* ſonat, quaſi diceret, ſicut mons ille, obſcurus alioquin, & fortè procerarum arborum frondibus, aut proximorum montium vmbrâ opacus, hybernis niuibus perpetuò ſplendet atque albeſcit, ita terram Iſraëliticam, quanquam perpetuis vicinorum hoſtium inſidiis, atque incurſionibus infeſtam, tamen abſterſâ præſentis calamitatis fuligine, depulsíſque iſtorum malorum tenebris, perpetuò deinceps fore ſplendidam. Certè poſt expeditiones notatas in Argumento longa fuit pax, ac firma. De monte Selmon vide Iud. 9 48. *Sicut.* Hîc pro בְּ, *be*, id eſt, *in*, legendum putarem כְּ *ce*, id eſt, *ſicut*: aut ſi legendum propter fidem omnium exemplarium בְּ *in*, acciperem צַלְמוֹן *tſalmon*, non pro monte illo, de quo dictum, ſed pro nomine appellatiuo, quod *vmbram* ſignificet, aut cum nōnullis Hebræorū pro צַלְמָוֶת *tſalmaueth*, id eſt, *vmbra mortis*, hoc ſenſu, *albeſcet* ſeu *niueſcet in vmbra mortis*, id eſt, albeſcet quæ nunc verſatur in denſis tenebris, quales iamiam morituris circunfunduntur. Pro *vmbra mortis* prædictam vocem interpretati ſunt quidam ex Hebræis, quorum ſunt Chald. & Kimhi: ex Latinis

Digitized by Google

Felix & Campenſis pro *obſcuritate:* Theod. A
ἐν σκιᾷ vertit.

16 *Mons Dei mons Baſan*, &c. Poſtquam dictum totam terram Iſraëliticam curæ eſſe Deo, nunc ſpeciatim oſtenditur, montem Sion, adeóque vrbem Hieroſolymam, cuius ille mons præcipua erat pars, ſingulari Numinis fauore, atque auxilio eſſe munitam. Sic autem inquit, Mons Baſan eſt quidem præcelſus, multíſque colliculorum iugis aſſurgens, ſed non ideo cum monte Sion conferendus, ſicut dicitur in ſequente verſu. *Mons* B *Dei mons Baſan*, id eſt, Mons Baſan (en ſubiectum, ſicut & in poſteriore membro) eſt *mons Dei*, (en prædicatum) hoc eſt, præcelſus eſt & altus admodum: Hebræi quippe, vt nobis ſæpe dictum, quicquid eſt eximium in ſuo genere diuinum appellant. Sic arbores proceræ *arbores Dei*, montes præalti *montes Dei* alicubi nominantur. Potes accipere *mons Dei*, vt ſonat, hoc ſenſu, Dei eſt, & ad Deum pertinet mons Baſan, quippe in terra Iſraëlitica; nec hoc tantũ, ſed variis colliculis C hinc inde aſſurgit, ideóque natura loci videtur munitior. Per *Baſan* porrò, vt magis celebrem, & notum, omnes alios montes, qui plurimi erant in terra Iſraëlitica, ſynecdochicῶs complecti videtur. Vnde mox in proximo verſu plures montes compellat, non ſolum Baſanis montem.

17 *Vt quid exilitis montes colliculoſi* ſeu *gibboſi*? Senſus, Verùm, ô mons Baſan, vóſque, ô cæteri colliculoſi montes, D cur tantoperè ſuperbitis ac triumphatis? Eſt quidem cur exultetis de Dei præſidio: ſed nihil ad montem Sion. Hic enim eſt, quem Deus vnum ex omnibus ſibi delegit, vbi conſideret: imò hic mons eſt, in quo propriam & perpetuam ſedẽ fixit, quò pertinet hoc, *etiam Dominus habitabit in finem*, ſeu *in ſeculum*, perinde ac ſi diceretur, non tantùm in Sione ſibi ſedem delegit, ſed etiam æternùm ibi reſidebit, q. d. perpetuam ſedem ibi fixit. Hoc, & quod eſt in ſequente verſu, dicitur propter Ar- E cam, quæ tunc eſſet in Sion.

18 *Currus Dei*, &c. Senſus, Hîc Deus ille habitat, qui multis perpetuò curruum myriadibus, multis angelorum millibus hinc inde comitatus progreditur: & ſicut olim montem Sinai inſedit, ita nunc ſacroſanctum hunc montem. *Millia Angelorum* ſecundùm Chald. & Kimhi: vel *curruum falcatorum* iuxta quoſdam, qui שנאן *ſchinam*, deriuant à verbo שנן *ſchanan*, quod eſt *acuere*, volúntque ea voce ſignificari genus curruum falcibus inſtructorum ad hoſtem proſcindendum, qui idcirco currus falcati vocantur. Alij exponunt *millia iterationis*, hoc eſt, iterata ſeu multa millia, prædictum nomen deſumentes à radice שנה *ſchana*, quæ *iterare* ſignificat: ita vt ibi א ſit pro Iod, ſicut exiſtimat Ezra, qui admonet ſimilem eſſe hanc vocem iſtis בנין *binian*, i. *ædificium*, & קנין *kinian*, i. *poſſeſſio*. *Dominus in eis*, hoc eſt, inter currus illos & Angelos incedit: tot curruum & Angelorum myriadibus ſtipatus progreditur. *(Sicut in) Sinai, in Sancto*, hoc eſt, haud minore cum pompa & apparatu verſatur quotidie Deus in Arcæ ſacrario, quàm olim in Sinai monte, quum Legem dedit. Vno verbo, in hoc verſu Dei Sionis incolæ magnificentia deſcribitur, vt ex ea re magis animetur exercitus, qui tanti imperatoris auſpiciis ac ductu pugnat.

19 *Aſcendiſti in altũ*, &c. Hæc adhuc ſunt ipſarum mulierum & puellarum, quæ ſubitò ſermonem ad Dauidem, aut quemlibet ex ducibus vel militibus conuertentes, victoriam certam pollicentur. Verba ſunt præt. temporis pro futuro, vt in prophetijs, ad maiorem certitudinem exprimendam. Non ſatis illis fuit ſi dicerent, *Aſcendes* &c. ſed Tu iam *aſcendiſti*, inquiunt, *in altum* munitionum, arces quantumuis ſublimes iam expugnaſti, indéque captiuos iam traduxiſti; *accepiſti dona*, id eſt, pretium *pro* vel *de hominibus*, ad verb. *in homine*, id eſt, pro libertate captiuorum redimenda. *Et etiam rebelles* illi, qui in te non credunt, ideóque tibi & nobis ſunt refractarij. Optimè Græcus & Lat. ſenſum expreſſerunt vertentes, *non credentes*, vernac. *les infidelles*. *Ad inhabitandum* ſupple venient. Gerundium hoc abſolutè poſitum eam hîc videtur habere vim, quam infinitiuus abſolutus apud Latinos, quaſi diceretur, adibunt, & venient habitatum, & quidem frequenti concurſu, & ſumma cum alacritate, & quaſi certatim. *Dominum Deum*, id eſt, locum & ſedem, ſeu, terram Domini Dei, hoc eſt, Sionis montẽ, ſeu terram Iſraëliticam, quæ tota Dei peculiariter eſt. Porrò particula, *etiam*, emphaſim habet, quaſi diceretur, Captiui traducentur hoſtes; alij donarijs ſeſe redimẽt: ſed nec deerunt etiam multi, qui vltro, ac ſponte, cùm poſſint libertatem redimere, veniant nobiſcum habitatum, & veneratum Sionis montem. Nobis Ezra autor fuit, vt ſic hunc verſũ exponeremus. Verùm vt hæc interpretatio non omnino aliena ſit, fatendum eſt nihilominus altiùs etiam reſpexiſſe Dauidem, & diuino numine aſ-

Digitized by Google

ſlatum de triumpho Chriſti aſcendentis A
in cælum, deuictis humani generis hoſtibus, morte, Satana, carne, peccato & inferorum poteſtate, cogitaſſe. Nam D. Paulus ad Eph. 4. à typo Chriſti ad Chriſtum progrediens hunc verſum de Chriſti reſurrectione interpretatur.

20 *Benedictus*, hoc eſt, Laude dignus *Dominus:* &c. Vel hæc adhuc ſunt mulierum, vel profectò Dauidis carmen mulierum veluti excipientis, & ſuo teſtimonio confirmantis. Vſitatum eſt apud Poëtas ſic ſubitò mutari loquentium perſonas, ita vt B
vnus modò, ſtatim verò alter abſque vlla præmonitione interdum loquens inducatur: qua in re ſæpe haud mediocri iudicio opus eſt, vt hîc. Dico quod ſentio. Tu iudica. *Quotidie apportat*, hoc eſt, confert aſſidua beneficia, *Deus ille* ſcilicet, *ſalus noſtra*, cuius ope iam toties ſeruati ſumus. Sunt qui vertunt, *apportat* ſeu *adfert nobis Deus ſalutem noſtram.* Vertere potes & exponere, *quotidie onus imponit nobis*, onus ſcilicet calamitatum, & diuerſorum malorum, *Deus ille ſalus noſtra*, id eſt, C
Deus ille, qui idem quotidie nos liberat. Meliùs quadrat in aduerbiũ, *quotidie*, prior verbi יַעֲמָס *iaamos*, acceptio: neque enim Deus quotidie malis onerare dicendus eſt, qui inſtar indulgentiſſimi patris raró caſtigat, vt, eheu, multos nimia eius lenitas, & facilitas malè doceat. *Deus.* In Fonte הָאֵל *hael*, quæ vox Deum, vt fortem, ſignificat, habétque hîc ה *he* emphaticum, quaſi tu dicas *Deus ille.*

21 *Deus.* Hîc bis eadem vox, quæ in verſu ſuperiore, & prior quidem cum he emphatico. D
In ſalutes aduerſùs hoſtes noſtros. Emphaticè adhibitus eſt numerus multitudinis, quaſi diceretur, ad omnimodam ſalutem. *Et Dei Domini exitus mortis*, ad verb. *Deo Domino ad mortem exitus* ſup. *ſunt, exitus* in Fonte eſt numeri multitudinis. Senſus, Deus, quod ad mortem etiam attinet, varios habet exitus, ſuóſque poteſt, quoties & quomodò vult, à morte liberare. Kimhi accipit poſterius hoc membrum, quaſi ſit antitheſis E
prioris membri, hoc nimirum ſenſu, Sicut Deus variis modis ſuos poteſt liberare, ſic etiam variis mortis generibus hoſtes ſuos euertere. Ægyptios decem plagis priùs percuſſos tandem in Mari rubro ſubmerſit, Exo. 14. Chananæos lapidibus grandinis proſtrauit, Ioſ. 10. 11. Philiſtæos in mutuam perniciem, ſic vt arma in ſe inuicem ſubito pauore perculſi conuerterent, armauit, 1. Sam. 14. 20. eoſdem mariſcis ſeu hæmorrhoidibus afflixit, 1. Sam. 5. 6. eorundémque agros muribus infeſtauit. Similia multa in Sacris litteris diuinæ vltionis extant exempla. Placet magis expoſitio Kimhi. Ac profectò planum eſt hoc, & elegans loquendi genus, *Deo Domino ad mortem (ſunt) exitus*, pro, exitus, qui ducant ad mortem, multi ſunt Deo. In priore expoſitione ſatis durum, *ad mortem (ſunt) exitus*, pro, exitus ſunt à morte, hoc eſt, quibus educat à morte; quemadmodum plerique interpretantur. Nobis videmur appoſitè magis in illa expoſitione, τὸ *ad mortem* interpretati quoad mortem, quod ad mortem attinet.

22 *Profectò Deus confringet* &c. Senſus, Deus ipſum ſuorum hoſtium caput petet, iſtorum ſcilicet hominum, (Philiſtæos fortè notat) qui elato capite incedentes, intonſámque cæſariem, ferocis & arrogantis animi ſignum, ferentes, pertinaciter ſuis ſceleribus & peccatis adhærent.

Profectò. Potes cum Græco & Lat. vertere *Veruntamen*, hoc ſenſu, Deus liberator noſter eſt: veruntamen ille caput hoſtium ſuorum feriet. Si vertere vis *Veruntamen*, accipere debes poſterius membrum præcedentis verſus in priore ſenſu. *Verticem capilli*, id eſt, homines intonſos vertice & horrentes comâ ferociam animi teſtante. Hinc à צַמָּה *tſamma*, quod *comam* ſignificat, prædo צַמִּים *tſammim* appellatur, quaſi comatus, Iob. 5. 5. quòd eiuſmodi homines, vt ad citatum locum annotat Ralbagh, comam alere ſoleant.

Perambulantium, in Fonte *perambulantis*, ſing. collectiuum, *in delictis ſuis*, id eſt, eorum qui obſtinatè pergunt in ſuis ſceleribus: niſi ſi fortè ſing. numero notatur dux hoſtium crinitus & capillatus.

23 *Dixit Dominus*, &c. Mos eſt Prophetis, ſi quid omnino affirmare volunt, huiuſmodi loquutionis genere præfari, *Hæc dicit Dominus.* Hîc ergo, quò maior dictis aſtruatur fides, Deus inducitur ab ipſis mulieribus, vel profectò à Dauide, (nam à verſ. 20. ſermo tribui poteſt Dauidi) promittens liberationem. Videamus iam ſingula. *Dixit* idem eſt atque decreuit, inquit Ezra. *Ex Baſan reducam*, &c. Ezra dicit multas ſe vidiſſe expoſitiones huius loci, ſed nullam, quæ cohæreat cum iis, quę pręcedunt ac ſequuntur. Suam igitur adferr, ſed quæ non meliùs cohæreat, & violenta ſit: ideóque à nobis ſilebitur. Nec magis placet Kimhi interpretatio. Experiamur igitur nos quid poſſimus. Sic ego exiſtimo, prouerbialem hic eſſe loquendi formulam, quæ vt intelligatur, paulò altiùs repetenda res eſt. Iſraëlitæ olim eo ſucceſſu cum Og rege Baſan pugnauerant, vt ipſe, ſimul & vniuerſa gens perierit, omnibus

Digitized by Google

bus eius regni vrbibus funditus euerſis, multa iumentorum præda abacta, & quamplurimis manubijs reportatis, ſicuti narratur Num. 21 in fine, & Deut. 3. initio. Inde fortaſſe in prouerbium abijt, *ex Baſan reducere* ſeu *reduci*, pro, ex bello domum reducere ſeu redire multis victoriis & ſpoliis onuſtum, hoſtibus ad internecionē deletis. Præterea, ſi vnquam in diſcrimine fuerũt Iſraëlitæ, certè cùm prope rubri maris littus hærentibus, ac neſciis quò ſe verterent, inſtaret Pharao numeroſo cinctus exercitu. Tum enim, ſi vnquam aliàs, Numinis benignitas ac potentia viſa eſt, quum nimirum repentè virgâ Moſis percuſſum & ſciſſum mare ſiccum iter per profundos maris gurgites Iſraëlitis fugientibus præbuit, Pharaone ac reliquis Ægyptijs, qui fugientium terga premerent, vndarum fluctibus inuolutis atque opertis. Hæc quoque res videtur huic loquutioni, *reducam ex profundis maris*, locum dediſſe, pro, è ſummis periculis retraham: & iſte fuit etiam fortaſſe prouerbialis loquendi modus. Hîc ergo quum dicitur, *ex Baſan reducam, reducam ex profundis maris*, ſenſus eſt, Vt olim maiores veſtros multis victorijs & ſpoliis onuſtos ex Baſan reduxi, ſic nunc vos ex iſto reducam bello: ac ſicuti olim etiam maiores veſtros per profundos Rubri maris gurgites abſque vllo damno traduxi, ſic & nunc promitto me vos ex iſtis, quæ imminent, malis erepturum. *Reducam ex profundis maris.* Videtur, vt dixi, alludere & reſpicere hac loquendi formula ad hiſtoriam Maris rubri: etſi hoc loco fortaſſis abſolutè *profunda maris*, ſicuti aliàs *profunditates aquarum*, pro ſummis periculis ponit: ita vt prior duntaxat loquutio prouerbialis videri poſſit, hæc verò metaphorica tantùm. Mane: nondum audiſti omne. Supplere mihi poſſe videor, & ſenſus erit facilis, particulam *ſicut*, ad iſtum modum, (*ſicut*) *ex Baſan reducam, reducam* (*ſicut*) *de profundis maris.* Iis, quæ ad huius verſus expoſitionem à me dicta ſunt, fruere, ſi libet. Dum dico quod ſentio, aliis liberum iudicium relinquo. In rebus obſcuris diuinaſſe ſat eſt.

24 *Vt intingatur* &c. Sic connectendus cum præcedente hic verſiculus, quaſi dicat Deus, Tantam, ô Dauid, vel ô Iſraëlita, hoſtium edam ſtragem, vt totos pedes in ſanguine poſſis intingere, & canes tui cruorem lambere. *Ex inimicis.* Hoc declarat id quod ſequitur, *ex ipſo*, id eſt, ex ipſo, inquam, inimicorum ſanguine. Hyperbolica locutio.

A 25 *Viderunt inceſſus tuos*, Deus, &c. Mutatio perſonarum loquentium in hoc pſalmo vſque eò crebra eſt, vt res in ſcena agi videatur. Igitur mulieres, vel ipſe Dauid iam Dei ſermonem excipiens in hunc ferè modum ipſum affatur: Non dubitamus certè, ô Deus, quin nunc ſis nobis opem laturus, quem olim maiores noſtri ſibi præeuntem, pérque medios hoſtes incedentem & ſtragem edentem, apud mare rubrum potiſſimùm, ſuis oculis conſpexerunt. Multa hîc, vt in poëſi, præ- B ſertim ſubtili breuitate conditâ, adeóque obſcurâ, ſupplenda ſunt. *Inceſſus tuos*, *inceſſus* Dei mei, *Regis mei.* Hoc ego refero ad illud tempus, quando aſcendit Dominus ſuper equos ſuos, & quadrigæ eius ſaluatio, ſicuti ſcribitur Habac. 3. 8. ſeu quando viam fecit in mari ſuper equos ſuos, in aceruo aquarum multarum, ſicuti dicitur eiuſd. cap. verſu 15. quibus in locis de tranſitu maris rubri fit mentio. Chaldæus à nobis facit, qui hunc verſum ſic eſt interpretatus, *Viderunt domus Iſraël* C *inceſſus diuinitatis tuæ ſuper mare, Deus, dicentes, Inceſſus* (*eſt*) Dei *regis totius mundi in ſanctitate.* Dei *mei, Regis mei.* Pronomen ſingulare indicat Dauidem hîc loqui, non mulieres. *In Sancto*, id eſt, in cælo: neque enim de Arca hoc accipiendum, quæ tempore tranſitus Maris rubri nondum erat: ad illud autem tempus pompa, quæ ſtatim deſcribetur, potiſſimùm videtur referenda: apparet enim illam eſſe, cuius fit mentio Exo. D 15.

26 *Præceſſerunt cantores*, &c. Senſus, Quum maiores noſtri talia, qualia verſu præcedente recitantur, vidiſſent, enimuerò tunc ad gratiarum actionem, & publicam lætitiam teſtandam pompam celebrarunt, ad iſtum ferè modum, *Præceſſerunt* &c. *Cantores.* Græcus & Lat. verterunt *principes*, ex שָׂרִים *ſarim*, per שׂ ſiniſtrum, prò שָׁרִים *ſcharim*, per שׁ dextrum. *In medio iuuencularum* ſeu *puellarum tympaniſtriarum*, Mariæ videlicet prophetiſſæ ſororis Aaron, & aliarum mulierum. Vide E Exo. 15. 20. Hîc per puellas intelligendæ ſunt mulieres quoque. Chaldæus hoc interpretatus eſt *in medio mulierum iuſtarum, quæ cum Maria tympana pulſabant.*

27 *In cœtibus benedicite* &c. Nemo non facilè videt, vt coniungatur hic verſus cum præcedente, hîc eſſe ſupplendum, *canentes* aut quidpiam ſimile. *Domino* repete *benedicite.* Aliter vulgò diſtinguunt hunc verſum. Verùm noſtram diſtinctionem probant accentus hebræi. *De fonte Iſraël*, hoc eſt, ô vos, qui ex Iſraël, qua-

Digitized by Google

ſi è fonte, profluxiſtis, atque originem ducitis. Similis eſt loquutio Eſa. 48. 1. *Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Iſraël, & de aquis Iuda exiſtis.*

28 *Ibi*, in illa ſcilicet pompa. *Beniamin paruulus*, id eſt, Tribus Beniamitica, ſeu paruuli Beniamin generoſa progago. Beniamin ergo hîc ponitur pro Tribu Beniamin, quæ paruula appellatur ratione capitis Beniamin fratrum natu minimi. Nihil enim nunc attinet dicere, Tribũ Beniamin paruulam nominari, quòd paulò ante Dauidis tempora ad internecionem ferme tota deleta cæſaque ob ſcelus Gabaonitarum fuiſſet, & ad exiguum numerum redacta, ſicuti narratur Iud. 20. nec parum attrita bellis, quæ contra Dauidem geſſerat. Non, inquam, eſt hoc ad rem, nec ad pompam, de qua hîc agitur, quæ Dauidis tempora multò præceſſit, quicquam pertinet. *Dominator eorum*, id eſt, principem locum inter reliquas Tribus obtinebat. Sed cur hoc? Quoniam, ſi credimus Hebræorum quibuſdam, quorum ſunt Chaldæus & Raſi ad hunc locum, Tribus Beniamitica prima omnium rubrum Mare eſt ingreſſa, ac propterea prima regni prærogatiuâ donata eſt: Saul ſiquidem primus Iſraëlitarum rex ex Tribu fuit Beniamin. Huius loci eſt illud 1. Sam. 15. 17. *Et ait Samuel, Nonne quum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in Tribubus Iſraël factus es, vnxitque te Dominus in regem ſuper Iſraël?* Vbi Chaldæus, author Deras, & Raſi idem, quod hîc, affirmant de Beniamitis, quòd primi mare ingreſſi ſint. *Dominator eorum*. Græcus hîc habet ἐν ἐκστάσει, Lat. *in mentis exceſſu*. Vterque nimirum putauit רודם *rodhem*, eſſe benoni Kal ſignificans *ſopore obrutus*, à themate רדם, inuſitato tamen in Kal. In Deras loci notati ex 1. Sam. reperies non eſſe hîc legendum רודם *rodhem*, id eſt, *dominator eorum*, ſed רד ים *radh iam*, id eſt, *dominãs mare*: id quod pertinet ad illud quod dictum eſt. Verùm hoc eſt contra grammaticam prorſus, & allegoricum omnino, vt alia multa in Deras. *Principes Iuda duces eorum*, id eſt, ſequebantur principes Tribus Iudæ, quaſi primarij duces regem ſuum. *Duces eorum*. רִגְמָתָם *righmatham*, Ezra interpretatur *principes eorum*: id quod conuenit cum Græco & Lat. codice. Probat autem id ſignificare vocem illam hebraicam ex רֶגֶם *reghem*, quod legitur Zach. 7. 2. & iuxta illum ſignificat *principem*. Alij, vt Menachem, volunt prædictam vocem, commutatione nimirum facili litterarum eiuſdem organi, & ſimilis ſoni, nimirum ק & ג, idem eſſe ac רִקְמָתָם *rikmatham*,

A quod interpretantur (*in*) *purpura ſua*: hunc in modũ, *principes Iuda* (*in*) *purpura ſua*, hoc eſt, purpureis ornati veſtibus. Hãc interpretationem non reiicit Raſi. D. Hier. eam quoque ſequutus eſt. Satis hi aptè quidem, niſi quod רִקְמָה *rikma*, propriè ſignificat *veſtem phrygianam*, non autem purpuram: quamquam eòdem tamen res redit. Fortaſſe רִגְמָה *righma*, pro אַרְגָּמָן *argaman*, quod *purpuram* ſignificat, & iiſdem radicalibus conſtat, hic eſt poſitum. Notandum denique in hoc verſu pauca-
B rum Tribuum appellatione reliquas omnes ſynecdochicos comprehendi.

29 *Mandauit Deus tuus virtutem* ſeu *fortitudinem tuam*: &c. Quàm frequentes ac ſubitæ mutationes in hoc pſalmo? Certè Empuſam dicas. In priore huius verſus parte mulieres ac virgines Dauidem aut Iſraëlitam quemlibet, vel potiùs Dauid quemuis Iſraelitam ſubitò compellat, his ferme verbis, Non eſt cur timeas: nam certò hoc tene: Deus tuus, qui maioribus tuis benignus ſemper adfuit, iam man-
C dauit ac prouidit, vt ne tibi virtus ac robur deſit: vt tibi roboris ad debellandos hoſtes ſit ſatis: hoc enim ſignificat, *Mandauit Deus tuus virtutem tuam*: quod ſimile eſt τῷ pſ. 91. 11. *angelis ſuis mandabit de te*. In poſteriore parte mulieres illæ, vel potiùs Dauid ſermonem ſubitò ad Deum conuertit, propoſitionem repetens ac rogans, vt magis ac magis ſuo populo vires addat: vt magis, quàm vnquam antea, ſua auxilia augeat, ſuam po-
D tentiam oſtendat, vim ſuam exerat: vel potiùs, vt iſtam politiam à ſe conſtitutam magis ac magis muniat & corroboret, atque aduerſus hoſtes defendat: vtrumque enim ſignificare poſſunt hæc verba, *confirma* ſeu *corrobora*, *Deus*, *hoc (quod) operatus es nobis*, *hoc* &c. id eſt, ſolita tua auxilia: vel potiùs, hoc noſtrum regnum, hanc noſtram politiam, quam ipſe tu inſtituiſti. Græcus & Lat. in priore parte verterunt, *Manda Deus virtuti tuæ*: legerunt quippe aliis punctis צַוֵּה *tſauue*, in
E Imp. pro צִוָּה *tſiuua*, in præt. necnon אלהים *Elohim*, i. *Deus*, pro אֱלֹהֶיךָ *elohecha*, id eſt, *Deus tuus*. Sic quoque Sym. legit, qui vertit πρόσταξον ὁ θεὸς ἰσχύϊ σου. Chaldæus etiam, qui habet, *Manda*, (פַּקֵּד *paKKedh*, enim accipio in imp.) *Deus*, *virtutem tuam*. *Mãda, Deus, virtuti tuæ*, vel potiùs *virtutem tuam*, ſeu, *de virtute tua*, nihil erit aliud, quàm, Fac vt ſentiamus tuam virtutem atque opem: quo modo pſ. 42. 9 dicitur *Deus mandare miſericordiam ſuam*, hoc eſt, facere vt miſericordiam ſuam experiamur. Si cum Græco & Lat. legis in

Digitized by Google

priore parte, optimè profectò cohærebit hic verſus. *Confirma.* Raſi etiam עוזה *vzza*, in imp. accipit, ſed intranſitiuè, ita vt ad eius mẽtem ſit vertendũ *roborare*, id eſt, fortem te præbe, *Deus* (*qui*) *hoc* omne *operatus es nobis.* Quidam, vt Ezra, Kimhi & alij, pro nomine prædictum vocabulum accipiunt, exponúntque, *robur, Deus, hoc operatus* &c. Verùm hæc interpretatio parum cohæret: & Sym. vertit ἐνίσχυσον ὁ θεὸς τοῦτο ὃ ἐποίησας ἡμῖν.

30 *E templo tuo*, id eſt, ex Arca tuæ maieſtatis terreno palatio: hic enim הֵיכָל *hecal*, propriè *palatium* ſignificat: quod dico, ne quis hoc de templo Salomonis accipiat, quod tunc nondum erat. Expone, ſi vis, *E templo tuo*, id eſt, *tabernaculo tuo.* Tabernaculum templum Domini appellatum eſt 1. Sam. 3. 3. *Samuel autem dormiebat in templo* (heb. eadem vox quæ hîc) *Domini, vbi erat Arca Dei.* *Super Ieruſalem.* Repete ex præcedente verſu *corrobora, Deus, hoc* &c. hoc eſt, magis, quã antea feciſti vnquam, tuere ac defende vrbẽ Hieroſolymã regni caput ac ſedem. Vel repete duntaxat, ſi vis, *corrobora*, hoc modo, *corrobora ſuper Ieruſalem*, id eſt, tuere, muni, ác defende vrbem Hieroſolymam. Vltimum profectò magis placet, præſertim ſi poſterius præcedentis verſus membrum de politia accipiatur. Ait ergo, *E templo* ſeu *palatio tuo*, quod eſt Hieroſolymis, Hieroſolymam tuere ac conſerua: perinde ac ſi dicat, Sentiat vrbs Hieroſolyma præſentiam tui numinis: experiatur vim ac fauorem præſentis Dei. *Offerent* aliquando per ſe, vel per alios, agnoſcentes nimirum tuam potentiam in tuis liberandis, ac defendendis. Vbi offerent? Hieroſolymæ ſcilicet, de qua proximè facta eſt mentio. In hoc verſu aliud prorſus in priore parte, quàm in poſteriore dicitur, quod perrarum. Quod porrò in poſteriore futurũ prædicitur, illud quidem in regno Dauidis & Salomonis inchoatum eſt, vt ex hiſtoria conſtat, ſed in Chriſti regno perfectum & adimpletum. Hoc ergo ad vocationem Gentium etiam pertinet.

31 *Increpa feras arundinis.* Senſus, Increpa te, & coërce feros ac barbaros iſtos feris ex arundinetis & luſtris ſuis irruentibus haud diſſimiles. Plerique, quorum ſunt Ezra, Kimhi & alij, exponunt, *Increpa cœtum lanceæ* ſeu *ſagittæ*, id eſt, exercitum lanceis ſeu ſagittis inſtructum, ſynecdochicῶs. חַיַּת *chaiiath*, certè ſignificare poteſt, & *feram* & *cœtum:* קְנֵה *kane, arundinem*, indéque etiam *lanceam*

A ſeu *ſagittam*: lanceæ enim & ſagittæ olim fiebant ex arundinibus, quæ quibuſdam in locis arboreſcunt, & ligneam firmitudinem contrahunt. Hinc arundinem pro ſagitta dixit Virgilius Æneid. 7. vbi, *pérque ilia venit arundo.* Ezra ait *arundinis* nomine intelligendas lanceas, quæ longitudinem habeant arundinis. Profectò, vt omittam Græcum & Lat. prædictam vocem חַיַּת *chaiiath*, interpretatos eſſe pro *fera*, feræ ſignificatio magis quadrat ad ea quæ ſequuntur, eámque Raſi & Kabuenaki hîc ſequuti ſunt, qui hoc acci-
B piendum docent de Eſau, qui quidem ſimilis ſit apro in arundinetis verſanti. Per Eſau dubio procul Chriſtianos volunt notare. *Increpa.* Alij vertunt *Diſperde*, qui cum Kimhi alicubi exiſtimant גְּעַר *gaar*, abſque ב conſtructum, vt hîc, ſignificare *diſperdere.* Verùm ad ſenſum hoc parum refert. *Congregationem taurorum cum vitulis populorum.* Principes inimicos propter ferociam belluinam ac tauri prorſus ſimilem tauros per contemptum nominat: ſic plebem ob ſtoliditatem nimiam
C vitulos. *Faſtuosè incedentem*, ad verb. *conculcantem*, quaſi dicat, *calcando*, ac veluti pulſando terram, vt equi ſuperbi & faſtuoſi ſolent, *incedentem*, & quidem ornatum veſtibus argento teſſellatis, ſeu particulis argenti intertextis, quò pertinet id quod mox ſequitur, *in fruſtis argenti: Fruſta* enim *argenti* per cõtemptum nominat ornamenta veſtibus addita, qualia ſolent nobiles & aulici pileis, calceis, aut veſtibus affigere. Hæc ergo, vt videtur, pe-
D riphraſis eſt nobilium & eorum qui in aulis regum ac principum verſantur. Hanc partem vertere poſſis ad mentem Ezræ & Kimhi, nonnulla ſubaudiendo, ſic, (*donec vnuſquiſque illorum*) vel (*donec qui remanſerit ex illis*) *conculcandum ſe præbeat*, hoc eſt, ſeſe humi proſternat, *in fruſtis argenti*, hoc eſt, pendendo tributum ſeu vectigal argenti. Ita ferè ex illorum ſententia. Quòd verbum הִתְרַפֵּס *hithrappes*, ſignificet *conculcandum ſe præbere*, probat verſiculus 3. cap. 6. Prou. *Diſſipa gentes*
E (*quæ*) *bella volunt*, id eſt, diſſipa atque euerte denique totas gentes, quæ non aliã ob causã aduersùs nos bella mouent, niſi quia ſanguine delectantur: niſi quia bellum amant. *Diſſipa.* Si Maſſoretarum puncta ſequi volumus, vertendum potiùs erit *diſſipauit:* nam בִּזַּר *bizzar*, cum iſtis punctis eſt præt. temporis. Verùm non tanti ſunt illa puncta, vt non potiùs debeamus habere rationem ſenſus, & facilioris contextus, præſertim cùm Græcus & Lat. per imperatiuum verterint. Accedit quòd ex

Digitized by Google

Latinis D. Hieronymus, & ex Hebræis A Chaldæus (habet enim בַּדַּר *baddar*, cum pathach in vltima) vocem prædictam pro imperatiuo interpretati ſunt. Si quis mordicus vult retinere puncta Rabbinorum, & vertere in præterito, erit hæc ſententia, *diſſipauit*, id eſt, diſſipaſti iam aliàs ſemper, per enallagen huic linguæ familiarem, *gentes* &c.

32 *Venient* tunc *magnates* &c. Hoc quoque præcipuè ad Chriſti regnum referendū eſt, quando, iuxta prophetiam Eſa. cap. 19. 19. *erit altare Domini* ſeu D*omino in* B *medio terræ Ægypti, & titulus* D*omini,* ſeu D*omino iuxta terminum eius.* Et quando, iuxta Sophoniam, cap. 3. 10. *vltra flumina Æthiopiæ inde ſupplices mei, congregatio diſperſorum meorum deferent munus mihi. Æthiopia celeriter protendet manus ſuas* Deo: ad verb. *currere faciet manus ſuas ad* D*eum*, id eſt, celeriter adferet Deo munera: vel, celeriter manus ſupplices Deo protendet. Priore ſenſu accipiunt Raſi, Ezra, Kimhi, & alij: poſteriore verò Chaldæus, qui interpreta- C tus eſt totum hunc verſum ſic, *Venient filij Cham magnates* (in alijs exemplaribus *nigri*) *ex Ægypto, vt fiant proſelyti: filij Chus* (*Æthiopes*) *current ad expandendum manus ſuas in oratione coram* Deo.

33 *Regna terræ* &c. Concludit Dauid pſalmum apoſtrophe: (niſi adhuc durare putas carmen mulierum, quod ego interruptum fuiſſe exiſtimo) apoſtrophe, inquam, quâ non ſuos modò, vt initio, D ſed omnes orbis terrarum populos ad Dei laudes celebrandas excitat atque adhortatur. Hoc quoque ad vocationem gentium pertinet.

34 *Ei qui equitat*, ſeu, *Equitanti ſuper cælum cæli*, ſeu, *cælos*, vel, *cælum cælorum*, (eſt enim vox שָׁמַיִם *ſchamaijm*, num. plur. tantùm) hoc eſt, Deo ſupremo cælo inſidenti, indéque omnia gubernanti, quo modo aliquis equum cui inſidet. Pondus habet & ſingularem emphaſim quod ait, *Equitanti ſuper cælum cæli*. Simile eſt Deut. 33. 26. *Non eſt alius vt Deus, ô Iſraël, equi-* E *tans cælum in auxilium tui, & in magnificentia ſua nubes*, ſeu *cælos*. *Cælum cæli antiqui*, ad verb. *antiquitatis*. Propter hoc, *antiquitatis*, per *cælum cælorum*, ſupremum atque vltimum cælum intelligo. Kimhi annotat per *cælum* ſeu *cælos cælorum* intelligendam ſupremam ſphæram, quæ reliquas omnes ambit, & verſu 5. appellatur עֲרָבוֹת *arauoth*. Annotat quoque dici *cælos antiquitatis*, quòd ex quo cæli ſunt facti, tam ij, quàm illorum vniuerſa indiuidua adhuc perſtent, id quod de terræ indiuiduis dici non poteſt. Pro, *antiquitatis*, Græcus & Lat. vertunt *ad Orientem*, ex altera ſignificatione verbi קָדַם *Kedhem*, quam & Pagninus hic ſequutus eſt, qui vertit *ab oriente*. Verùm D. Hieronymus vertit *à principio*, Felix *ab initio*. Supremas nubes quidam putant hic intelligendas, quòd in ſequente membro tonitrui fiat mentio. Verùm opinor ex vulgi mente Deū hîc dici è cælis tonare. *Ecce dat* inde è cælis, vel, ſi mauis, nubibus, *in voce ſua vocem virtutis* ſeu *fortitudinis*, hoc eſt, vox eius vox eſt fortis & vehemens. Dubio procul per *vocem fortitudinis* intelligere oportet tonitrua, quibus totum orbē interdum Deus concutit ac tremefacit: ita vt hic ſenſus ſit, ecce vel ipſa tonitrua, quæ Deus edit interdum, excutere vobis ſtuporem, vóſque excitare debent, vt agnoſcatis Dei potentiam: quò pertinet & ſequens verſus. *Ecce*. Particula apta huic loco, vbi tonitruorum mentio fit, quæ ſubitò excitari videmus: iſta enim particula ſignificat rem ſubitam & inexpectatam. Alij illud, *ecce dat in voce ſua vocem virtutis*, interpretantur de voce Euangelij, quæ maximam vim ad permouendos animos habet. Quæ ſententia aptè conuenit huic loco, in quo omnes nationes, relictis falſis Diis, vero Deo prædicuntur adhæſuræ. Hoc autem vi Euangelij perfectum eſt.

35 *Date fortitudinem Deo*, id eſt, vt Chald. interpretatur, *Date gloriam fortitudinis Deo*, hoc eſt, Fatemini & concedite, ac palàm prædicate Deum eſſe fortem, & poſſe vel ſolo nutu aduersùs quoſcumque hoſtes nos defendere, quos magnificè ſemper tutatus eſt, quotidiéque tutatur, quò ſpectat poſterius membrum, *ſuper Iſraël magnificentia eius, &* (pro *ſicut*) *virtus eius in nubibus*: quorum verborum hæc eſt ſententia, vt in nubibus Dei tonantis ſuprema elucet potentia, ſic eius magnifica virtus in Iſraëlitis, pro quibus ſemper magnificè fortiterque pugnat. Obſeruat Kimhi particulam, *&*, in hoc verſu eſſe ſimilitudinis, vt & Prou. 25. 25. *Aqua frigida animæ ſitienti, &* (pro *ſic*) *nuntius bonus de terra longinqua*.

36 *Terribilis, Deus, è Sanctuarijs tuis*, &c. Tertia perſona hîc ſubitò mutatur in ſecundam, quæ mox reuertitur in tertiam. Eiuſmodi enallage hebraicè venuſtatis habet non parum. Eam tamen Græcus & Lat. vtpote inſuauiorem in ſuis idiomatis, correxerunt. Ipſe Ezra ſecundam perſonam hîc per tertiam interpretatus eſt, hoc modo, Eſt timor Dei in terra è loco Sanctuarij: (nimirum ob ad-

Digitized by Google

miranda facinora, quæ illic à Deo præſente & habitante fiunt in Iſraëlitarum gratiam) quo ſenſu dicitur pſ. 135. 21. *Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Ieruſalem. Sanctuarijs tuis.* Locum Arcæ, non Templum, quod tunc nondum erat, ſic appellat, & quidem in numero multitudinis ad emphaſim, & ad maiorem loci ſanctitatem exprimendam. Vel *è Sanctuarijs tuis* dicit in numero plurali, quaſi hoc velit, è cæleſti ac terreſtri tuo Sanctuario. Hebræi duplex conſtituunt Sanctuarium, in cælis vnum, in terris alterum, quod è regione ſit cæleſtis illius, qui eſt Thronus gloriæ. Idcirco hîc obſeruat Kimhi locum fuiſſe electum in terra, cum ſcilicet qui è regione eſſet cæleſtis Sanctuarij: & Ezra dici, (de loco illo electo ſcilicet) *& iſte (eſt) porta cæli,* Gen. 28. 17. hócque eſſe arcanum ac tectum ſecretum. Verùm relinquamus illis ſua arcana. Abſit enim vt Dei ſolium aliqua cæli parte circumſcribamus. *Ipſe dat* A *virtutem & fortitudinem populo* iſti: nam in Hebræo ל habet • litteræ ה emphaticæ. Non malè igitur Græcus & Lat. ſenſum reſpicientes verterunt *plebi ſuæ.* His fauet Chaldæus, qui habet, *populo ſuo.* Huius ergo verſus hæc ſumma eſt, Deus Iſraël è Sanctuario terribilem ſe præbet hoſtibus, erga Iſraëlitas verò mitem ac benignum, dum vires illis & robur abundè ſuppeditat. *Benedictus Deus.* Breue epiphonema. Ecce me per Dei gratiam ex perplexis ambagibus & ſalebris expedi- B tum. Fatendum enim eſt, in hoc pſalmo tot ferme ſcopuli, tot labyrinthi, quot verſus, quot verba. Non immeritò crux ingeniorum, & Interpretum opprobrium dici poſſit. Cæterùm boni conſule rudes meas coniecturas. Nam, quod ad hunc pſalmum attinet, fateor ingenuè, diuinare me oportuit, cùm aliorum, etiam Hebræorum, commentarij parum mihi attulerint. Sedulò egi ac dixi. Tu ſi quid habes melius, dic.

PSALMVS

LXVIII. — LXIX.

VERSIO

VETVS.

IN finem, pro iis qui commutabuntur, Dauid.

2 Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.

3 Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia.

4 Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.

5 Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.

NOVA.

PRAECENTORI, ſuper Soſannim, Dauid.

2 Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquę vſque ad animam.

3 [a] Infixus ſum in limo profundi, & non (eſt) ſubſiſtentia: veni in altitudinem aquarum, & fluxus [b] demerſit me.

4 Defatigatus ſum clamando; [c] raucę factę ſunt fauces meę: defecerunt oculi mei, [d] dum expecto Deum meum.

a prop. *Demerſus ſum in limum*
b *inundauit*
c ad verb. *exſiccatū eſt guttur meum:*
d ad verb. *expectans*

5 Multiplicati ſunt ſuper capillos
capitis mei, qui òderunt me gratis;
e roborati *f prop. diſperdunt* [e] confortati ſunt qui [f] perſequuntur me, inimici mei iniuſtè: quod
non rapui, tunc exolui.

6 Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.
7 Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè: quæ non rapui, tunc exoluebam.

6 Deus, tu ſcis inſipientiam meam:
& delicta mea à te non ſunt abſcondita.

8 Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita.

g Ne 7 [g] Non erubeſcant in me qui expectant te, Domine Deus exer-
h erubeſcant *i heb. in* cituum: non [h] confundantur [i] ſuper me qui quærunt te, Deus Iſraël.

9 Non erubeſcant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum.
10 Non confundantur ſuper me qui quærunt te, Deus Iſraël.

8 Quoniam propter te ſuſtinui op-
l pudor ſeu ignominia probrium: operuit [l] confuſio faciem meam.
9 Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meę.

11 Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.
12 Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.

10 Quoniam zelus domus tuę comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.

13 Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me.

11 Et fleui in ieiunio animę meæ:
m heb. opprobria & factum eſt in [m] opprobrium mihi.
12 Et poſui veſtimentum meum
n ſaccum: [n] cilicium: & factus ſum illis in parabolam.

14 Et operui in ieiunio animam meã: & factum eſt in opprobrium mihi.
15 Et poſui veſtimentum meum cilicium: & factus ſum illis in parabolam.

13 Aduersùm me loquuntur qui ſedent in porta: & in me pſallunt qui bibunt vinum.

16 Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta: & in me pſallebant qui bibebant vinum.

14 Ego verò, oratio mea ad te, Domine; tempus beneplaciti: Deus in multitudine miſericordiæ tuę exaudi me, in veritate ſalutis tuæ.

17 Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.
18 In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ.

o immergar, 15 Eripe me de luto, & ne [o] infigar: eripiar ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum.

19 Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum.

p Ne *q fluxus* 16 [p] Non me demergat [q] decurſus aquę, neque abſorbeat me profundum: neque claudat ſuper me puteus os ſuum.

20 Non me demergat tempeſtas aquę, neque abſorbeat me profundum: neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.

Digitized by Google

21 *Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.*

22 *Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.*

23 *Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.*

24 *Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reuerentiam meam.*

25 *In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me: improperium expectauit cor meum, & miſeriam.*

26 *Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.*

27 *Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto.*

28 *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.*

29 *Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurua.*

30 *Effunde ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.*

31 *Fiat habitatio eorum deſerta: & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.*

32 *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

33 *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in iuſtitiam tuam.*

34 *Deleantur de Libro viuentium: & cum iuſtis non ſcribantur.*

35 *Ego ſum pauper & dolens: ſalus tua Deus ſuſcepit me.*

17 Exaudi me Domine, quoniam benigna (eſt) miſericordia tua: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice [r] in me. r heb. *ad*

18 Et ne [ſ] auertas faciem tuam à [t] puero tuo: quoniam anguſtia (eſt) mihi, [u] velociter exaudi me. ſ heb. *abſcondas* t *ſeruo* u heb. *feſtina*

19 Appropinqua animæ meæ, redime eam: propter inimicos meos eripe me.

20 Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & pudorem meum: in conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me.

21 Improperium contriuit cor meum, & dolui: & expectaui qui ſimul [x] contriſtaretur, & non (fuit;) & [y] qui conſolaretur, & non inueni. x *condoleret*, y *conſolatores*

22 Et dederunt in eſcam meam [z] fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. z ſeu *venenum*.

23 [a] Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & [b] in retributionem, in [c] ſcandalum. a *Sit* b Iuxta alios *pro pace*, c prop. *rete*.

24 Obſcurentur oculi eorum ne videant: & lumbos eorum ſemper nutare fac.

25 Effunde ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

26 Fiat [d] habitatio eorum [e] deſerta: in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet. d prop. *palatium* e *deſolatũ*

27 Quoniam quem tu percuſſiſti, perſequuntur: & [f] ſuper dolorem vulneratorum tuorum narrant. f *de dolore*

28 Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in iuſtitiam tuam.

29 Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.

30 Ego autem [g] pauper & dolens: ſalus tua, Deus, [h] ſuſcipiet me. g *afflictus* h prop. *exaltabit*

Digitized by Google

31 Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo [i] eum [l] in laude.

i vel illud. l cum confeſsione.

36 *Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude:*

32 Et placebit [m] Deo ſuper bouem, vitulum cornua producentem & vngulas.

m Domino.

37 *Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas.*

33 Videbunt [n] pauperes, lætabuntur: ô quærentes Deum, viuet [o] anima veſtra.

n humiles. o heb. cor veſtrũ.

38 *Videant pauperes & lætentur: quærite Deum, & viuet anima veſtra:*

34 Quoniam exaudit pauperes Dominus, & vinctos ſuos non deſpicit.

39 *Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos ſuos non deſpexit.*

35 Laudabunt illum cæli & terra: maria, & [p] omnia reptilia in eis.

p omne repens.

40 *Laudent illum cæli & terra, mare, & omnia reptilia in eis.*

36 Quoniam Deus ſaluam faciet Sion, & ędificabit ciuitates Iudę: & inhabitabunt ibi, & hęreditate acquirent eam.

41 *Quoniam Deus ſaluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iuda.*
42 *Et inhabitabunt ibi, & hereditate acquirent eam.*

37 Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

43 *Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam; & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.*

COMMENTARIVS.

Argumentũ.

Abſit, abſit profectò vt aliter exponamus hunc pſalmum, quàm Apoſtoli, qui pleroſque huius carminis verſus de Chriſto interpretantur. Quis, inquit D. Auguſtinus, deuiet à ſententijs eorum? aut quis agnus non ſequatur arietes? Haud temerarium tamen, opinor, erit ſic ſentire, Hunc pſalmum ſcriptum à Dauide, vt pijs hominibus, qui dira ab impijs ob pietatem præſertim ac religionem paterentur, communis eſſet ac prompta precandi formula: quod putauit Kabuenaki. At dicas, Qui igitur hic pſalmus, vel ſaltem aliqui huius pſalmi verſus ad Chriſtum referri poſſunt? Per allegoriam, quà videlicet verba Veteris Inſtrumenti interdum præter primum ac proprium ſenſum litteralem, & hiſtoricum, quem habent, ſignificant etiam aliquid ad Chriſti hiſtoriam & fidem pertinens. Illud Oſeæ 11. 1. ex Ægypto vocaui filium meum, *quod ad litteram de exitu Iſraëlitici populi ex Ægypto intelligendum, D. Matthæus cap. 2. ad Chriſtum tranſfert, aitque eſſe impletum, quum Chriſtus ex Ægypto in Galilæam redijt: vbi illud obiter obſeruatu dignum, quum aliàs editionem Græcam Apoſtoli ſequantur, hic Matthæum illam non ſequutum, ſed hebraicam veritatem, vt loqui ſolet B. Hieron. Habet enim Græca editio in num. plur.* τὰ τέκνα αὐτῆς. *Eodem cap. idem D. Matthæus illud Ierem.* 31. 15. Vox in Rama audita eſt, *&c. quod ad litteram de eiulatu audito in Rama, quando Iſraëlitæ in Babyloniam captiui abducti ſunt, accipiendum, impletum eſſe teſtatur, quum ab Herode infantes occiſi ſunt. Omitto ſexcenta ſimilia. Pari ratione quicquid aduerſi pijs hominibus in omni ætate contigit, ad Chriſti paſſionem allegoricè, quoad eius fieri poteſt, eſt referendum, cùm pij omnes peculiari titulo ipſius corporis Chriſti membra ſint, ac partes: ideòque quod illis accidit, Chriſto etiam acciderit. Ampliùs dico, Eſſe in hoc pſalmo, quod propriè & hiſtoricè Chriſto potiſſimùm conueniat, vt oſtendetur ſuo loco. Inter-*

Digitized by Google

dum enim Dauidis mentem & manum ita rexit Spiritus ſanctus, vt de ſe ipſo aut alijs loquens ea ipſe ſcriberet, quæ non cogitaret, & longè extra propoſitum abriperetur. Quamobrem certum eſt nobis ita hunc pſalmum de pijs afflictis exponere, vt Chriſtum non excludamus, quem hîc loqui (ait D. Auguſtinus) non omnino dubitare permittitur. Verùm de Chriſto legantur Patrum commentarij. Nos enim non myſteria, ſed ſimpliciſſimum & grammaticalem ſenſum tantùm inueſtigamus. Ad rem. Inducitur in hoc pſalmo pius aliquis, primò, magna orationis vehementia, nec abſque figuris, quæ elegans poëma deceant, queritans apud Deum, cuius auxilium implorat, de magnitudine periculorum, de malorum diuturnitate, de hoſtium multitudine, & robore, qui nulla laceſſiti iniuria ipſum opprimant. Inde ad Deum ſuæ innocentiæ teſtem & iudicem prouocat: rogat vt ne pudeſiant qui in Deo ſperant, ſi ipſe deſeratur, qui Dei vnius cauſſa in tanta infamia ſit, vt apud fratres, vel eadem matre genitos, ſic tanquam extraneus, imò peregrinus habeatur. Illico igitur probat ſe vnius Dei *cauſſa infamiam pati. Totus, inquit, exardeſco amore ac zelo tuæ domus: tuis iniurijs non ſecus ac meis afficior: quæ in te iaciuntur conuitia, mea duco: fleo ieiunans quotidie, & ſqualentem indutus ſaccum. Ego verò his quid aliud conſequor, quàm vt ſim communis fabula, fori ludibrium, ebrioſæ plebeculæ cantio? Poſt iſtas querelas totus eſt in imploranda rurſum* Dei *ope aduerſus imminentia mala: hicque pulchra & varia adhibet orationis lumina. Mox ad querelas redit, Deum iterum appellans, qui optimè omnium ſciat, quàm immeritò ab impiis traducatur, nemine prorſus condolente, nemine conſolante, immò laceſſentibus omnibus. Inde igitur ad imprecationes progreditur, petitque, ijs vt lautiores menſæ exitio tandem cedant, qui ſibi ex felle & aceto menſam pararunt: vt ſuis ipſorum laqueis capiantur: vt ne imminentia mala præcauere poſſint, aut quod rectum erit, videre, multò minùs exequi, viribus ac conſilio deſtituti: vt in eos effundatur Dei indignatio: vt eorum domus & palatia deuaſtentur, nec remaneat in ijs incola. Iſti enim, inquit, talibus pœnis digni ſunt, qui belluis immaniores in me calamitoſum, meique ſimiles crudeliter ſæuiunt, nunquam non de meis malis iucundè narrantes, & cogitantes quomodò me miſerum affligant. Statim ad imprecationes reuertitur, quas vt concludat, petit vt impij illi, quum extremum nequitiæ attigerint, ſiquidem nolint reſipiſcere, æternæ damnationi (quo quid horribilius dici aut excogitari poteſt?) addicantur. Ipſe verò tandem ſe conſolatur, ſicque ait, Se nunc quidem eſſe miſerum, verùm ſperare, à Deo ſe tandem liberatum iri ex tot ærumnis, túncque Deum ſeruatorem carminibus celebraturum, eique gratias acturum, id quod* Deo *quouis ſacrificio longè gratius eſt. Tunc quoque pios numinis cultores, & quotquot in malis ad Deum confugiunt, lætaturos affirmat, iiſque rediturum animum, quum Deum viderint laborantibus & religionis & pietatis cauſſa in vincla coniectis opem ferre. Imò cœlos ipſos, ipſam terræ molem, maria ipſa, & quicquid in ijs repṫat, in Dei laudes vltro proruptura affirmat, quo tempore* Deus *Hieroſolymam, cæteráſque Iſraëliticæ ditionis vrbes, ſi contingat eas aliquando euerti, (id autem futurum certò præuidebat) reſtaurabit, eáſque rurſum Iſraëlitæ poſt aliquot annorum exilium quaſi hæreditarium fundum adibunt.*

1 *Super Soſannim.* Vide ad verſ. 1. pſal. 45. Raſi interpretatur *ſuper lilijs*, id eſt, ſuper Iſraëlitis, qui ſunt inſtar lilij inter ſpinas, quæ quidem ipſum configunt. Hæc expoſitio conueniet argumento.

2 *Saluum me fac Deus.* Propoſitionem hæc verba continent, cui ſtatim ratio ſubijcitur variis, vt in poëmatis fieri ſolet, figuris exornata. *Quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animā*, id eſt, ad cor vſque penetrarūt, quod eſt vitæ, ideóque animæ ſedes præcipua: cor, adeóque ſpiritus, niſi tu adiuues, iamiam ſuffocaturæ ſunt. Sæpe iam diximus aquas in Sacris litteris interdum pericula, & calamitates notare. Quum ergo ait *intraſſe aquas vſque ad animum*, ſignificare vult ſe de vita periclitari, ſe in

A ſummo eſſe vitæ diſcrimine.

3 *Infixus ſum in limo*, proprie *Demerſus ſum in limum* ſeu *lutum. Profundi* ſeu *profunditatis* aquarum. Vox enim מְצוּלָה *metſula*, ſignificat *profunditatem aquarum* ſeu *voraginem*. Per *limum profunditatis* intelligendum imum aquæ fundum, in quo limus quidam eſſe ſolet, ex quo quò magis egredi aut expedire te coneris, eò al-

B tiùs te immergas, neque pedem figere queas. *Non (eſt) ſubſiſtentia* ſeu *ſtatio*, id eſt, nullus eſt locus, vbi pedem figere, & conſiſtere poſſim. Vox hebraica מָעֳמָד *moomadh*, nomen eſt, iuxta R. Moſem, formæ מֻקְטָר *muktar*, id eſt, *ſuffitus*, niſi quòd propter gutturalem dilatat ſcheua. At iuxta Ezram eſt pro מַעֲמָד *maamadh*, quod ſcheua dilatat per pathach. Siue ad hanc, ſi-

Digitized by Google

ue ad illam formam referatur, *ſtationem* A ſignificat. In hac ſignificatione accepit Chaldæus, qui interpretatus eſt, *& non eſt locus ad conſiſtendum.* Græcus vertit ὑπόστασις, Lat. *ſubſtantia*, quod quidem poſuit pro *ſubſiſtentia.* *Veni in altitudinem* (ad verb. *profunditates*) *aquarum*, idem eſt atque *Demerſus ſum in limum profundi.* *Aquarum.* Græcus & Lat. ſiue quia legerunt forſan יַמִּים *iammim*, id eſt, *mariũ*, pro מַיִם *maiim*, ſiue, quod potiùs puto, quia ſententiã ſolum reſpexerũt, hîc habent *maris.* Porrò figuris iſtis ſignificare B vult ſe in ea diſcrimina veniſſe, vnde nullo conſilio, nullis humanis viribus poſſit euadere. Addit, quò magis amplificet ſua pericula, *& fluxus inundauit me.* Nam ſi ex profundo flumine difficile eſt emergere, tum difficiliùs, vbi vis ac curſus fluminis eſt. Ex Raſi שִׁבֹּלֶת *ſchibboleth* vernaculè ſignificat *le fil de l'eau.* *Demerſit* vel *inundauit me*, hoc eſt, ex Ezra, parum abfuit quin demerſerit me. Alioquin, inquit Ezra, quî poſtea verſu 16. diceret? *Non me demergat fluxus aquæ.* Simile eſſe ait illi C Dan. 10. 17. *& halitus non remanſit in me.* Idem eſſe debet iudicium de priore verbo huiuſce verſus.

4 *Defatigatus ſum clamando*; &c. Aliæ ſunt figuræ in hoc verſu, quibus miſeriæ ac malorum diuturnitatem notat. Proponitur hîc infatigabilis patientiæ ac perſeuerantiæ exemplum, quæ nunquam deſperet de auxilio.

5 *Multiplicati ſunt ſuper capillos* &c. Improborum hominum hoc ingenium eſt, D vt proborum miſeriis vltro inſultent: tantúmque abeſt, vt eorum malis ad miſericordiam excitentur, vt exaſperentur potiùs, creſcántque numero & viribus, dum ſui ſimiles in commercium crudelitatis pertrahunt. Idcirco vir pius & miſer hîc optimè inducitur dicens, *Multiplicati ſunt* &c. *confortati ſunt* &c. explicans ſcilicet propriis verbis, quod figuratè dixerat. Ad rem eſt id, quod Chriſtus Ioh. 15. ſuis dicebat, *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſ-* E *ſetis: mundus quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus.* Ergo cur nos Chriſtiani mundi odia pertimeſceremus? Meminerimus dicti dominici apud Math. 10. *Non eſſe diſcipulum ſuper magiſtrum, nec ſeruum ſuper dominum ſuum: ſufficere diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius; & ſeruo, ſicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt: quantò magis domeſticos eius?* Igitur ne timeamus nos mun- Ioan. 16. dum, ſed ſi in mundo preſſuram habemus, confidamus: quòd Chriſtus vicerit mundum. *Gratis*, id eſt, immeritò. *Iniuſtè*, heb. *falſò*, hoc eſt, falſis de cauſis, quas ipſi ſuis odiis prætendunt. *Quæ non rapui, tunc exolui.* Prouerbialis videtur fuiſſe loquendi formula ad hoc ſignificandum, immeritò plecti aliquem, eiúſque maleficij pœnas dare, quod non admiſerit. Illam igitur hoc loco vſurpat vir ſanctus ac pius, vt ſignificet ſe nulla de cauſsâ hoſtibus odio eſſe, ab iiſque immeritò pœnis affici, cùm nihil illos læſerit, imò priores ipſi læſerint. Hoc fere ſenſu Galli dicunt, *Les batus payent l'amende.* Hæc ſententia optimè in priorem partem verſus quadrat. *Tunc*, multiplicatis videlicet, & roboratis hoſtibus. *Exolui.* In Fonte verbum eſt fut. temp. ſed exponendum per præt. propter particulam אָז *az, tunc*, quæ fut. tempori iuncta illud in præteritũ ſæpe conuertit, vti Ezra ad verſ. 1. cap. 15. Exo. & Kimhi in Miclol obſeruant. Nemo porrò illud, *quæ non rapui, tunc exolui*, veriùs potuit vſurpare, quã Chriſtus qui cùm non 2. Corinth. 5. noſſet peccatum, pro nobis peccatum factus eſt: qui, vt eſt Eſa. 53. 4 *verè languores noſtros tulit, & dolores noſtros portauit:* qui, vt ibidem, verſu 5. legitur, *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: ſuper quo caſtigatio pacis noſtræ*, (hoc eſt, qui fuit caſtigatus pacis noſtræ cauſſa) *& cuius liuore ſanati ſumus.*

6 *Deus, tu ſcis* &c. Prouocat ad Deum ſuæ innocentiæ teſtem ac iudicem. Deus iudex, inquit, optimè noſti ſtultè quid in illos admiſerim, an non: non te latet, num in illos peccarim aut deliquerim.

7 *Non (Ne) erubeſcant in me qui expectant te*, &c. Repetit propoſitionem, verùm haud ſine rhetorico artificio. Non enim petit vt ſaluetur, ſed vt non pudefiant, & cadant animis, qui Dei præſidio confidunt, ſi ipſe in extremis periculis ac malis deſeratur, qui vnius Dei cauſſa tot mala perpetiatur, quò ſpectant ſequentes verſus. Ex hoc verſu apparet Dauidem non tam ſua, quàm publica cauſſa ſalutem expetere. *In me*, id eſt, propter me, mea cauſſa, ſi abs te deſerar. *Deus exercituum.* Verti *Deus*, quòd in Fonte ſit יְהוִה, legendum per אֱלֹהִים *Elohim*. Quid porrò ſit de אֱלֹהִים צְבָאוֹת *Elohim tſeuaoth*, ſentiendum, vide ad verſ. 6 pſ. 59. Cur in vno verſu ait, *Domine Deus exercituum, Deus Iſraël?* Quò maius auxilij deſiderium exprimat. Sunt enim eiuſmodi repetitiones vſitatæ in magnis periculis, in quibus auxilij deſiderium ſubinde creſcit. Ac quidem quum dicit

Digitized by Google

Deus exercituum, hoc eſt, omniū, quæ cælo terráque continentur, oſtendit impoſſibile nihil eſſe omnipotentiæ ipſius. Nam qui omnibus imperat, non eſt quòd non pro ſua voluntate perficiat.

Ezech.

8 *Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium:* &c. Ratio eſt, cur dixerit, *Ne erubeſcant in me qui expectant te*, &c. Nam, inquit, tuam vnius ob cauſſam maledictis inceſſor, & ignominia coopertus iaceo. Ergo ſi tu me deſeris, concidant oportet animis, quotquot opem tuam expectant. Eódem pertinent quinque ſequentes verſus. *Propter te*. Perinde eſt ac ſi diceret: Nam niſi me tuæ gloriæ ſtudium teneret, (quò ſpectat verſus decimus) nil tale paterer ab impiis, qui ſic inter ſe, *Circumueniamus iuſtum, quoniam incommodus eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis*, & ſimilia, quæ Sap. 2. reperire eſt. Vide porrò quàm familiariter ſecum agere Deus permittat: quámque prodigioſa ſit hominum improbitas vel potiùs impietas, qui ſtudium gloriæ Dei in ignominiam ac dedecus conuertunt.

9 *Extraneus factus ſum* (heb. *fui*) *fratribus meis*, &c. Senſus, Propter te in tanta infamia ſum, vt extraneus ſim, imò peregrinus vel vterinis fratribus, eóſq; mei pudeat.

10 *Quoniam zelus domus tuæ* &c. Explicat ſequentibus verſibus quatuor cur verſu 8.° dixerit *propter te*. Quoniam, inquit, ſemper exarſi ingenti zelo tuæ domus, nec ferre poſſum vt illa externorum rituum obſeruatione violetur. *Comedit me* inſtar ignis cuiuſdam. Emphaticum verbum. *Et opprobria exprobrantium tibi* &c. id eſt, maledicta, quibus te impij inſectantur, ac gloriam tuam, vt poſſunt, lædunt, in me recurrunt, meúmque animum vulnerant: qui ſenſus optimè cohæret cum membro præcedente. Quòd hoc de Chriſto poſſit ac debeat etiam intelligi, oſtendit Apoſtolus ad Rom. 15. vbi exemplo Chriſti, qui aliorum opprobria & peccata in ſe tranſtulit, docet debere nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere, ſed proximo in bonum ad ædificationem. Etenim, inquit, Chriſtus non ſibi placuit: ſed ſicut ſcriptum eſt, improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. In D. Pauli ſententia, *improperia improperantium* &c. nil eſt aliud, quàm aliorum peccata in me tranſtuli, & tibi ſatisfeci pro illis, qui te conuiciis exagitabant.

11 *Et fleui in ieiunio animæ meæ*. Senſus, Itaque totos dies ſoleo lachrymari, ieiunio me macero quotidie. Ieiunatur propter

A precationem: ſic ieiunarunt Iſraëlitæ Iud. 20. ſic ieiunauit Dauid, audito morbo filij, quem ex vxore Vriæ ſuſceperat, 2. Sam. 12. 16. propter calamitatis ſenſum: ſic ieiunarunt Dauid, & vniuerſus populus, audita morte Saulis, & Ionathanis, 2. Reg. 1. 12. ſic in hoc pſalmo vir pius ait ſe fleuiſſe, & ieiunaſſe, quum cerneret religionem & Dei cultum violari, qua calamitate maior nulla accidere poteſt; túmque maximè Deum precari oportet, vt pro ſua miſericordia impiorum hominum mentes flectat, & ad veram religionem conuertat.
B *Fleui in ieiunio*, id eſt, fleui adhibito etiam ieiunio. *Ieiunio animæ meæ*, emphaticè, hoc eſt, ieiunio meo, *de ma perſonne*. De hac vocabuli *animæ* ſignificatione aliàs non ſemel dictum. *Ieiunio animæ meæ* Raſi exponit ieiunio meo, Chaldæum ſequutus, qui interpretatus eſt hunc locum; *Et fleui in ieiunio animæ meæ*. Ex Kimhi vertendum eſſet, *Et fleui, (&) in ieiunio anima mea*. Probat interdum deeſſe particulam *&*, ex Habacuc 3. 11. *Sol (&) Luna*. Deinde illud *in ieiunio anima mea*, ſimile
C eſſe ait τῷ Leuit. 16. 29. *menſe ſeptimo, decima die menſis affligetis animas veſtras*, quod aliud nihil eſt quàm ieiunabitis. Ex Ezra, *Et fleui in ieiunio animam meam*, id eſt; ſic enim interpretor, Me, meámque conditionem defleo. Quod *flendi* verbum accuſatiuum regere poſſit, probat ex Gen. 23. 2. *venítque Abraham, vt plangeret Saram, & fleret eam*. *Et factum eſt in opprobrium mihi*. Senſus, quòd exarſi amore tui, quòd fleui ac ieiunaui, aliud nihil effeci, quàm vt impiis illis ludibrio & ridiculo eſſem.
D Eódem pertinent & duo verſus ſequentes. *Et factum eſt*. In Fonte וַתְּהִי *vattehi*, *& fuit*, fœm. generis, ſup. זאת *zoth*, id eſt, *iſta res, iſtud*, fœm. gen. Potes hoc vertere in ſecunda perſona, *& fuiſti in opprobrium mihi*, hoc ſenſu, dum tuæ gloriæ, mi Deus, ſtudui, deridendum me impiis præbui: ac ſic meæ ignominię tu cauſſa quodammodò extitiſti. Meliùs expones cum Græco, & Lat. Chald. Raſi, Ezra, & aliis per tertiam perſonam. Chald. quidem [illegible], *& fuit pietas mea in opprobrium mihi*. *In*
E *opprobrium*, in Heb. & Græco *opprobria*, magis emphaticè.

12 *Et factus ſum illis in parabolam*, hoc eſt, me illi ridiculi cauſſa nominant: ſum illis fabula: húcque pertinet ſequens verſus. Similis eſt loquendi modus 1. Reg. 9. 7. *eritque Iſraël in prouerbium, & in fabulam cunctis populis*.

13 *Qui ſedent in porta*, hoc eſt, ſenatores & iudices, quorum ſedes erat in portis ciuitatum. Totum forum, ſi vis, intel-

Digitized by Google

lige. Chald. per *ſedentes in porta* intellexit homines otioſos, quorum hoc tantùm negotium, alios carpere & mordere. Nam interpretatus eſt, *ſedentes in porta, in angulis*, ſcilicet platearum. *Et in me pſallunt* &c. Ad verb. *& cantica*, prop. cum inſtrumentis muſicis, *potatores ſiceræ* repete ex priore membro *loquuntur*. Deſignare vult ebrioſam plebeculam, quæ vbi largiore vini potatione curis ſoluta eſt, cantionibus, adhibitis interdum choris, aliíſque inſtrumentis, quæ iſti hominum generi conueniant, totas popinas replet. *Cantica*, mordacia videlicet, & in meum dedecus edita. Huc refer illud Thren. 3. 14. *Factus ſum in deriſum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Et verſu 63. *Seſſionem eorum, & ſurrectionem eorum vide; ego (ſum) pſalmus (canticum) eorum:* cuius verſus hæc ſententia eſt, Omnia eorum facta conſidera, (ſeſſione quippe & ſurrectione omnem hominis vitam complecti vult) reperies me paſſim & vbique cantionibus ab illis traduci. *Qui bibunt vinum.* Chaldæus interpretatus eſt, *qui eunt ad bibendum ſiceram* (iuxta alia exemp. *merum*) *in popinis*.

14 *Ego verò, oratio mea ad te, Domine;* &c. Poſt longas querelas reuertitur ad precationem, hoc eſt, propoſitionem, quam bis abruperat: eámque hoc & quinque ſequentibus verſibus vrget vehementiùs, adhibitis verborum & orationis luminibus. Vide. Vir pius tantùm abeſt vt in malis animum deſpondeat, vt ijs ipſis excitetur potiùs ad opem Dei ardentiùs implorandam. At porrò conſidera maledictis orationem, non maledicta opponere.

Ego verò. Habet hoc emphaſim, & fiduciam notat. Vide ad verſ. 13. pſal. 41. *Tempus beneplaciti:* Symmachus vertit χαιρὸς διαλλαγῆς; D. Hieron. *tempus reconciliationis eſt.* Senſus, tempus eſt iam, vt beneuolentia tua vtaris erga me: vt me pro tua bonitate in gratiam recipias, & tot ac tantis calamitatibus liberes. Vir pius calamitates in ſua peccata ſemper reijcit, eáſque ſcelerum pœnas exiſtimat. Porrò vocem, *Deus*, alij, neglectis Hebræorum accentibus, coniungunt cum his verbis, *tempus eſt beneplaciti*, alij cum ſequentibus, vti nos quoque fecimus. *In multitudine miſericordiæ tuæ* &c. Duo dicit, miſericordiam, & promiſſionem auxilij. Primo loco petit exaudiri pro multa Dei miſericordia, hoc eſt, citò: deinde pro illa ſaltem promiſſi veritate, per quam ſalutem & opem Deus miſeris ad ipſum cõfugientibus pollicitus eſt, hoc eſt, aliquando. Perinde igitur eſt ac ſi diceret, citò exaudi me pro tua immenſa miſericordia, vel, ſi non vis citò, & me in hís malis ampliùs verſari cupis, méque adhuc punire ob peccata, quod eſt tuæ iuſtitiæ, tamen aliquando exaudi, neque me perire ſine, quò pertinet verſus ſequens. Vide vt nunquam vir pius fatigatur malis: quin plura ſemper ferre paratus eſt. Simplicius tamen erit hoc, *in multitudine miſericordiæ* &c. ſic accipere, exaudi me cùm pro tua immenſa miſericordia, tum pro fide, quâ ſalutem miſeris auxilium tuum ſyncerè efflagitantibus promiſiſti.

15 *Eripe me de luto*, &c. Reſpondet hic & ſequens verſus ad primum & ſecũdum verſum. *Et ne infigar* ſeu *immergar* prorſus. *Eripiar*, hoc eſt, fac eripiar. Commodè igitur Lat. *libera me*.

16 *Non me demergat decurſus*, ſeu, *fluxus aquæ*. Suprà, verſu 3. querebatur ſe demerſum: nunc orat ne ſubmergatur prorſus; quò pertinet, *neq; abſorbeat me profundum.* Vide ad verſum 3. *Neque claudat ſuper me puteus os ſuum*, ita vt non poſſim egredi: id eſt, ne patere tu vt mole afflictionum obruar, aut à dolore abſorbear, tanquam ſi in puteum ſim demerſus, vnde propter occluſum os non liceat exire. Periculoſum eſt in puteum decidere, ſed certus eſt interitus, ſi poſtquam cecideris, fortè occludatur os putei, vt quum fortaſſe magno labore & niſu ad os putei perueneris, inde abſque ſpe ſalutis vlla relabi neceſſe ſit. Hac igitur allegoria exitium deprecatur.

17 *Exaudi me Domine*, &c. Vir pius preſſus malis inſtat precibus, petítque quàm citò exaudiri, & ſeruari, implorata Dei miſericordia. *Exaudi me* quanquam peccatorem. En prima ratio., *quoniam benigna (bona) eſt miſericordia tua*, eámque iam ſæpe expertus ſum. *Benigna eſt*, id eſt, ſemper eſt ad benefaciendum & exaudiendum parata: quum tamen piè petitur, & ei puriſſimè ſupplicatur, vt dicit hîc Caſſiodorus. *Secundùm multitudinem miſerationum tuarum*, non ſecundùm mea facta.

18 *Quoniam anguſtia (eſt) mihi.* En ſecunda ratio, cur petat exaudiri, & quidem celeriter. Quoniam, inquit, nimis vrgent mala.

19 *Appropinqua.* Adſis, ac iuues. Quo modo dicatur Deus ad nos accedere, vide ad verſ. 1. pſ. 10. *Animæ meæ*, emphaticè, vt aliàs ſæpe, pro, mihi: etſi animã fortaſſe nominat, quòd dolor, quẽ ex malis capit, non modò ſit corporis, ſed animi magis, dum nimirum videt ſuam pietatem ab impiis irrideri.

irrideri. Deinde in corporis malis interdũ vir pius animo ſuccũbit, etſi non diu, ſtatim enim erigitur. Idcirco *animæ* hîc mentionem facit. *Propter inimicos meos*, id eſt, ne impij illi triumphent, ſi videant me in cauſa iuſta occumbere, ſed vt ego de illis triumphem. Sic tranſitur ad imprecationem, de qua mox.

20 *Tu ſcis improperium meum*, &c. Redit ad querelas, vt ad aliam partem, in qua aduerſariis imprecari vult, gradum faciat. Tu, inquit, ô Deus, optimè omnium noſti, quibus me aduerſarij inceſſant probris, quàm peſſimè mihi dicant, & quàm immeritò: nemo enim ex iis effugere conſpectum tuum poteſt, quicquid ſentiant. Atque hæc ſententia huius verſus, in quo tria vocabula idem ſignificantia ſimul ingerit ad maximam exprimendam infamiam. Vbi nos *pudorem* vertimus, Lat. habet *reuerentiam*, quæ vox eam habet ſignificationem hîc, quam pſal. 35. 31. in Vulg. & 1. Corinth. 15. vbi legitur, *ad reuerentiam*, πρὸς ἐντροπὴν, hoc eſt, ad pudorem, ſeu verecundiam, *vobis loquor*. *In conſpectu tuo*, quem nihil, & nemo poteſt effugere.

21 *Improperium contriuit cor meum*, &c. Significat hoc verſu ſe in maximo dolore fuiſſe, ac neminem doloris ſocium, & conſolatorem habuiſſe. *Improperium contriuit cor meum.* Græcus habet ὀνειδισμὸν προσεδόκησεν ἡ ψυχή μου, Lat. *improperium expectauit cor meum*: quarum verſionum hic eſt ſenſus, expecto non liberationem, ſed noua ſubinde probra, & miſerias. Vterque legit שִׂבְּרָה *ſibbera*, pro שָׁבְרָה *ſchauera*, per שׂ ſiniſtrum pro שׁ dextro, & *cor meum* in nomin. accepit. Verùm ſi לִבִּי *libbi*, id eſt, *cor meum*, caſus eſt nomin. cur, cùm ſit gen. maſc. conſtruetur cum verbo gen. fœm. Ergo verbum fœm: gen. conſtruendum potiùs cum nomine חֶרְפָּה *cherpa*, id eſt, *improperium*, *opprobrium*, quod eſt fœm. gen. Fauet D. Hieron. qui vertit *Opprobrio contritum eſt cor meum*. *Et dolui*. Græc. & Lat. *& miſeriam*: vterque enim legit וָאֲנוּשָׁה *vaanuſcha*, & pro nomine ſubſt. accepit, pro וָאָנוּשָׁה *vaanuſcha*, quod Hebræis eſt verbum fut. temp. cum ו conuerſiuo fut. in præt. Chald. eodem modo legit, quo illi, ſed pro nomine adiectiuo accepit, & interpretatus eſt, *Opprobrium fregit cor meum, & ecce ipſum validum* ſeu *vehemens*. *Expectaui.* Græcus vertit ὑπέμεινα, Lat. *ſuſtinui* pro *expectaui*, vt ſæpe aliàs. *Qui conſolaretur*, ad verb. *conſolantes*, in Græco παρακαλοῦντας.

22 *Et dederunt in eſcam meam fel*, ſeu, *venenum*, &c. Allegorica eſt locutio, qua hoc ſignificat: Quum maximè opus

A habui conſolatione, ij etiam, quorum amicitiæ fidebam, & quos meorum malorum conſolatores ſperabam; tantùm abeſt vt officio me, aut amicis verbis dolorem permulcere conati ſint, vt exaſperarint magis atque irritarint, non ſecus facientes quàm is qui fame ſitíque laboranti fel, acetúmque præberet. Quæritur, quid ſit fel in hoc verſu. In Fonte ראשׁ *roſch*, quod, vt alia ſignificata omittam, *fel*, & *venenum* illud propriè, quod ex capite aſpidis exprimitur, & genus

B herbæ amaræ & graueolentis, eius, opinor, quæ Plinio *Centaurion repton*, vulgò *Fel terræ* appellatur, ſignificat. Hîc pro felle an pro veneno aut pro illa herba ſumas, nihil refert. Porrò Ierem. 9. 15. allegoria eſt ei ſimilis, quæ extat in hoc verſu, niſi quòd illic aqua fellis, hoc eſt, ſuccus ex aſpidis capite, vel potiùs ex illa herba expreſſus, in potum datur, hîc fel in cibum. Sic habet ille locus, *Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis.* Cuius loci hæc

C ſententia eſt, Sic populum iſtum miſeris accipiam modis, ſic amarè ac durè habebo, vt videri poſſim paraſſe illi ex abſynthio cibum, & potum ex felle propinaſſe. Habent profectò eiuſmodi loquutiones prouerbij ſpeciem, & familiares ſunt ipſi Ieremiæ, vt conſtat ex Ierem. 8. 14. & 23. 15. Thren. 3. 15. & 19. Adi tu, ſi vis, ſingulos locos. Corrigo id quod dixi, allegoricam eſſe locutionem in hoc verſu. Nam ſi de Chriſto vis accipere, reuerà

D hoc illi accidit morienti & pendenti in cruce, vt non fel quidem in cibum, ſed acetum in potum porrigeretur: hócque propriè & viſibiliter illi contigit, quod ſibi figuratè vir pius, peculiari videlicet numinis inſtinctu, in hoc verſu accidiſſe memorat. In Chriſto igitur ad litteram, &, vt ſonat, impletum eſt ſaltem quod hîc dicitur de potatione aceti. Vis teſtem. En D. Ioannes, qui cap. 19. ſic ait, *Poſtea ſciens Ieſus quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur ſcriptura dicit, Sitio. Vas ergo erat poſitum aceto plenum.*

E *Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius.* De qua ſcriptura conſummanda intelligendus eſt, niſi de hac? *& in ſiti mea potauerunt me aceto.* Lyranus priorem etiam huius verſus partem ad Chriſti hiſtoriam vult pertinere, refértque ad illud Matth. 27. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*: & quia, inquit, fel erat de natura ſua magis edibile, quàm potabile, ideo nominat ipſum eſcam. Verùm Card. Bellar. negat quod dicitur de felle dato

in eſcam, ad litteram legi in Scriptura, A quia Matt. 27. fit quidem mentio fellis, ſed dati in potum, non in eſcam. Probabile igitur cenſet eſcam iſtam fellis intelligendam eſſe ſpiritualiter: ſed quomodò, vide apud illum.

23 *Fiat menſa eorum* &c. Addit iam diras imprecationes in hoſtes, non zelo propriæ vindictæ, ſed diuinæ iuſtitiæ.

Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum. Senſus, Pro eo quòd menſam mihi ex felle, & aceto parauere, cupediæ & delicatiores cibi, quibus tantopere delectantur, ipſis in exitium vertant. B Eòdem pertinet id, quod ſtatim ſequitur, *& in retributionem*, id eſt, in præmium ſuæ crudelitatis, *in ſcandalum*, heb. *tendiculam*, ſub. *fiat menſa eorum.* Videtur autem alludere ad infœlices aues, quæ victum quærentes ſæpe incidunt in plagas, ac retia. Potes exponere *Fiat menſa eorum* &c. ſic, Menſa illa fellis & aceti, quam illi mihi parauerunt, ſit eis in laqueũ, quaſi diceret, Suis ipſorum laqueis capiantur. Vltimo modo accepit Chald. qui interpretatus eſt, C *Sit menſa eorum, quam inſtruxerunt coram me in luctu meo, coram ijs in laqueũ.* *In retributionem*, in Heb. *retributiones*, emphaticè. Si Hebræos ſequi volumus, vertendum potiùs, *& pro pace*, (ad verb. *pacibus*,) qua (ſic enim interpretor) in conuiuiis & menſis ſuis nunc perfruuntur, *in ſcandalum* ſeu *rete*, ſup. *ſit menſa eorum.* Quòd ל ſignificet *pro*, Ezra probat ex Gen. 11. 3. Contextus & ſenſus ratio priorem verſionem magis probat. Accedit quòd præter Græcum & Latinum in- D terpretem D. Hieron. necnon Pagninus *in retributiones* verterunt. At dicat aliquis, Vox שְׁלוֹמִים *ſchelomim*, quæ hîc extat, *paces* aliàs ſignificat. Ita eſt. Verùm quidni fortaſſe hoc loco ſignificet *retributiones*, & confundatur cum affini voce, & quæ ab eodem eſt themate, שִׁלּוּמִים *ſchillumim*, quæ *retributiones* ſignificat? Vel muta, ſi vis, puncta. Profectò D. Paulus hunc verſum citans ad Rom. 11. vocem, de qua ſermo eſt, ἀνταπόδομα interpretatus eſt.

24 *Obſcurentur oculi eorum ne videant* E mala ſibi imminentia, aut quod rectum erit. Oculos intelligit non tam corporis, quàm mentis. Iratus Deus ſi quos ad pœnam trahere vult, iis auferre mentem primùm ſolet, caliginémque offundit, quò in exitium furioſorum more ruant, ſibique ipſis ſuis conſiliis perniciem accerſant. Deus etiam ſuorum hoſtes ſæpe obcæcat, vt etſi ſumma pollere videantur prudentia, tamen omnis eos vel humana ratio deficiat, & ſæpe ſenſu communi deſtituantur. Angeli, qui ad Lot diuerterant, luminibus impudicorum Sodomitarum cæcitatem offuderunt, Gen. 19. 11. vbi Hebraicè eſt סַנְוֵרִים *ſanuerim*, quæ vox eſt plur. num. & *cæcitates*, hoc eſt, vt Hebræi volunt, cæcitatem oculorum, & animi ſignificat, quæ fit, quum quis videns neſcit quid videt, vt in magna luce, & videns non videt. Tali cæcitate fuerunt à Deo percuſſi & Syri irruere volentes in Eliſæum, 2. Reg. 6. 18. vbi quoque illa vox. *Et lumbos eorum ſemper nutare fac*, id eſt, vires eorum ſuccide, nihil vt exequi poſſint, ſed incertis ſemper veſtigiis nutent. Petit igitur hoc verſu, vt nihil quicquam videre aut cogitare, atque exequi poſſint. Sed cur *lumbis* tribuitur nutatio? Quia cùm bona pars virium in lumbis ſita ſit, ij ſi eneruantur, nutatio conſequatur neceſſe eſt. Eſt ergo in iſta locutione Metalepſis, & *lumbi* pro veſtigiis ponuntur. Potes poſterius etiam membrum de mentis & rerum agendarum inconſtantia accipere, quaſi hoc velit, fac ſint incerti ſemper & dubij in conſiliis.

25 *Effunde ſuper eos* &c. Magna vis eſt in hoc verſu. Cæterùm perſpicuus eſt.

26 *Habitatio.* In Fonte propriè *palatium.* Chald. interpretatus eſt, *habitatio.* *In tabernaculis eorum*, quippe deuaſtatis.

27 *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſequuntur.* Ne videatur temere eſſe imprecatus, etſi iam multa præmiſit, quæ ſatis hoc probent, adhuc tamen vnam hanc rationem, breuem quidem, ſed quæ omnes alias complectatur, imprecationibus interſerit. Tam diras, támque atroces pœnas, inquit, illis imprecor, quoniam (eſt enim hæc ſententia huius verſus) afflicto & calamitoſo mihi calamitatem addiderunt. Inhumanum eſt alienæ calamitatis non miſereri: ſed miſero inſultare, & calamitoſo calamitatem inſuper addere, crudelitatis eſt, & ſæuitię plus quàm belluinæ. Optimam igitur rationem adfert, cur tam dira hoſtibus imprecetur. Porrò vt conſtet de ſenſu horum verborum, *quem tu percuſſiſti, perſequuntur*, illud tenendum, piis quicquid aduerſi accidit, Deo volente, aut certè permittente, accidere: ideóque viros pios illud omne quo affliguntur, proinde debere accipere, quaſi à Deo ſit. Idcirco hoc loco dicitur, *quem tu* (*tu* emphaticè) *percuſſiſti, perſequuntur*, id eſt, quē ipſe tu tot tantiſque malis exerceri, aut etiam caſtigari voluiſti, non ceſſant affligere, me videlicet, meíque ſimiles. Eòdem pertinet id quod ſequitur, *& ſuper dolorem* (*de dolore*) *vulneratorum tuorum narrant*, id eſt, non ſatis eſt illis miſeros nos afflixiſſe, niſi etiam de noſtris malis iucundè interſe conferrent, atque hac commemora-

Digitized by Google

tione ſe non modò oblectarent, ſed etiam ad maiorem furorem concitarent. Poteſt vltimum hoc membrum aliam habere ſententiam, nimirum hanc, quæ eadem ſit cum ſententia prioris membri, & de nobis rurſus affligendis inter ſe conſultant. Hoc ſenſu acceperunt Ezra & Kimhi. Hoc ſenſu & D. Hieron. qui vertit, *& vt affligerent vulneratos tuos narrabant. Super.* In Heb. אֶל *el*, pro עַל *al*, vt aliàs ſæpe. Habes exemplum Ezech. 18. 6. *Vulneratorum tuorum*, id eſt, eorum, qui tuo nutu, aut permiſſu affliguntur. Poteſt verti *occiſorum tuorum*, eodem ſenſu. Sic Eſaias Chriſtum ait *percuſſum à Deo*, cap. 53. 4. Græcus & Lat. verterunt *vulnerum meorum*: legerunt quippe חֲלָלַי *chalalai*, & ſubſtantiuè acceperunt. *Narrant.* Græcus & Lat. vertère, *addiderunt*, quòd, vt apparet, legerint יָסִפוּ *iaſaphu*, pro יְסַפֵּרוּ *ieſapperu*.

28 *Appone iniquitatem ſuper* &c. Dira magis, & quæ animam ipſam attingant, nunc imprecatur: hoc enim vult, Deſere eos, & permitte, vt corde animíſque obdurati, & in reprobum ſenſum dati nunquam reſipiſcant, ſed, ſiquidem velint, ex ſcelere in ſcelus ruant, menſuram ſuorum peccatorum impleant, & in finali impœnitentia morientes non mereantur tuæ iuſtitiæ, hoc eſt, eius gratiæ, per quam tu impium iuſtificas, fieri participes: quin malè æternùm pereant, digníque ſint cum ſuis factis, qui expungantur è beatarum animarum numero, & hoc ſignificat verſus ſequens. Kimhi prius vocabulũ *iniquitatis* pro pœna interpretatur. Non diſſentio, & hoc ſenſu explico, Appone illis pœnam pro iniquitate, quâ me afflixerunt, & ne ſinas illos venire in partem tuæ iuſtitiæ, hoc eſt, alterius vitæ, quam Apoſtolus 2. ad Tim. 4. coronam iuſtitiæ appellat. Sic ſumitur vocabulum iuſtitiæ pſal. 24. 5. Non deſunt qui poſterius etiam iniquitatis vocabulum pro pœna exponant, quaſi dicatur, Appone pœnam ad pœnam eorum, hoc eſt, Affice eos æterna pœna, nec ſine vnquam venire in partem eius coronæ, quam debes ex iuſtitia iis, qui probè vixerint. Si poſtrema expoſitio locum habet, ſic inferre poſſe mihi videor: Ergo poſt hãc vitam infligi à Deo poteſt pœna, quæ non ſit æterna, ſed temporalis, poſt quam admitti poſſit aliquis ad æternam vitam. Perpende hoc. Quòd vocabulum עָוֹן *auon*, id eſt, *iniquitas* pro pœna interdum ſumatur, probat euidenter illud Thren. 4. 6. *Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Nam hîc iniquitatem pro pœna iniquitatis ſumendam eſſe palàm oſtendit id, quod ſtatim ſubiicitur: vbi non tam iniquitas cum iniquitate, quàm pœna cum pœna confertur. Vide plura exempla ad verſ. 13. pſal. 40. Non reiicio profectò poſteriores huius verſus expoſitiones: verùm prior multis è noſtris placet, qui illud, *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem*, non accipiunt effectiuè, ſed tantùm permiſſiuè, vt loquuntur, per ſubtractionem ſcilicet vberioris gratiæ efficacis, & quandam deſertionem, quæ fit, dum Deus peccata peccatis punit, quâ pœnâ nulla grauior eſſe poteſt, vt notat D. Auguſt. lib. 4. in Iulianum. Idẽ Auguſt. cẽſet, ad hunc verſum, addere Deum iniquitatem, non vulnerãdo, ſed non ſanando: ſicut febrem vel morbum augemus, non morbum adhibendo, ſed non ſuccurrendo. Cæterùm quoquo modo imprecatio huius verſus ſumatur, videri poſſit aduersùs charitatem pugnare, & Chriſti præceptum, quo iubemur diligere inimicos noſtros, benefacere iis qui oderunt nos, & orare pro perſequentibus & calumniantibus nos: videri, inquam, poſſit pugnare aduersùs charitatem & Chriſti præceptum, addo & exemplum, qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: niſi iſta imprecatio dicatur profecta ex zelo diuinæ iuſtitiæ in eos homines, qui cùm ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi, à Deo prorſus merentur deſeri, ſicuti impius Pharao. *Matth. 5. Luc. 6.* *1. Pet. 2.* *Ad Tit. 1.*

29 *Deleantur de libro viuentium*, ſeu *vitæ*: vtrumque enim vox חַיִּים *chaiijm*, ſignificat. Per *librum viuentium*, ſeu *vitæ*, librum prædeſtinationis ego poſt multos intelligo, illud æternum ſcilicet diuinæ mentis quaſi ſcriptum decretum, & conſilium quoſdam ſaluandi, atque æternâ vitâ donandi. De illo libro intelligendus eſt Moyſes Exo. 32. 32. vbi ait, *dele me, quæſo, de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Necnon id, quod ſtatim Deus dicit, *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Sed mirum cur dicat, *deleantur*, cùm ex eo libro expungi poſſit nemo qui ſcriptus ſit: neque reproborum nomina in eo ſcripta ſint à conſtitutione mundi, vt dicitur Apocal. 17. 8. Ego ſic puto, abſit vt pronuntiem, omnes homines, etiam reprobos, quodammodo ſcriptos dici poſſe in libro vitæ, (nimirum iuxta voluntatem Dei antecedentem, per quam *omnes homines vult ſaluos fieri*, 1. Timoth. 2.) antequam clauſerit ſuper eos puteus os ſuum, vel potiùs ipſi clauſerint os ſuum de peccatis non confitentes. Probat præſertim quod dixi, nimirum quodammodo, etſi non efficaciter, omnes homines, reprobos *Verſu 16.*

etiam, in libro vitæ ſcriptos, locus Exo. mox citatus, *Qui peccauerit mihi, delebo eum.* Nam quî Deus quemquam ex illo libro expungeret, qui non eſſet ſcriptus? Dicuntur autem, vti ego quidem exiſtimo, deleri improbi è libro vitæ, quum reapſe æternis pœnis adiudicantur, & à cœtu iuſtorum abdicantur, neque eorum numero, aut catalogo accenſentur, quò pertinet *& cum iuſtis non ſcribantur.* Huc ſpectat quoque illud pſ. 1. 5. *Ideo non reſurgent,* ſeu, *ſtabunt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum.* Dic, ſi vis, cum Kimhi, & aliis, *deleri* idem eſſe hoc loco ac *non ſcribi,* idémque ſignificare prius, & poſterius membrum, pro more. Kimhi autem *librum vitæ*, vitæ mundi ſeu ſeculi venturi intelligit. Chald. interpretatus eſt *Deleantur è libro memoriæ viuentium*, hoc eſt, Pereat ex hominum animis memoria eorum, nec annalibus aut hiſtoriis illorum nomina celebrentur: quæ profectò interpretatio haud incommoda eſt, nec malè cohæret cum ſequente membro, *& cum iuſtis non ſcribantur*, hoc ſenſu, nec mereatur illorum nomen iuſtorum nomini adſcribi. Ad hanc expoſitionem quadrat illud Prouerb. 10. 7. *Memoria iuſti in benedictionem: & impiorum nomen putreſcet.*

30 *Ego autem pauper* ſeu *afflictus* &c. Senſus, Hæc igitur illorum perditiſſimorum ſors eſto. Verùm, quod ad me miſerum & calamitoſum attinet, tandem abs te liberatus, ô Deus, extollar, atque in tutum locum collocabor. *Suſcipiet,* vel *ſuſcipiat*, ob præcedentem imprecationem: ad verb. *exaltabit* vel *exaltet*, hoc eſt, in loco ſublimi, ac proinde tuto ſtatuat, id eſt denique, protegat. Sed de vi huius verbi aliàs nobis dictum.

31 *Laudabo* tunc. *In laude* ſeu *confeſſione.* תּוֹדָה *todha*, ſignificat propriè gratiarum actionem, confeſſionem, celebrationem, quâ Dei bonitas & miſericordia extollitur. Aliàs quoque ſignificat genus ſacrificij cuiuſdam, de quo, ſi bene commemini, iam nobis dictum.

32 *Et placebit* ſup. hoc, laudis ſcilicet & oris ſacrificium. *Vitulum cornua producentem & vngulas.* Hoc dicit, inquit Kimhi, propterea quòd vitulus iſto minor non ſit aptus ſacrificio: vult enim Lex vt vitulus triennis offeratur. Ezra quoque ſentit iſta verba, *cornua producentem & vngulas*, ad vitulum tantùm eſſe referenda, quaſi dicatur, *(ſuper) vitulum*, cuius cornu & vngula iam appareat, hoc eſt, qui iam grandior ſit. Ex Latinis ſunt, A qui exiſtiment iſta verba, *cornua producentem & vngulas*, ad extenuationem pertinere: quaſi hoc velit, Oris & linguæ ſacrificium potius multò eſt boum & vitulorum ſacrificio: ſiquidem hi nihil proferant niſi cornua & vngulas, cùm lingua laudes Dei proferat, & beneficia diuina celebret. Illud profectò tenendum, Deo multò acceptiores eſſe vitulos labiorum, de quibus loquitur Oſeas cap. 14. 3. quàm vitulos cornua ſolùm & vngulas producentes.

B 33 *Videbunt, lætabuntur*, id eſt, videntes lætabuntur. *Pauperes*, propriè *humiles*, *manſueti.* Vide ad verſum 17. pſ. 10. & 27. pſ. 22. *O quærentes Deum, viuet anima veſtra*, heb. *cor veſtrum.* Sic ex Ezra vertimus, qui annotat ו in וִיחִי *vichi*, quod ſonat *& viuet*, ſimile eſſe ו leni in lingua * Iſmaëlitica, v. & Gen. 22. 4. *Die tertio* וַיִּשָּׂא *vaiiſſa, & leuauit Abraham oculos ſuos:* necnon Exo 9. 21. וַיַּעֲזֹב *vaiaazou, & dimiſit ſeruos ſuos* &c. Quibus duobus in locis *&* ſuperfluit ac redundat, vt facilè tu videbis, ſi locos C adeas. Quid? Fortaſſe hic tranſpoſitio eſt, ſic reſtituenda, *& viuet cor veſtrum, ô quærentes Deum.* De eiuſmodi ו iam dictum ad verſ. 13 pſ. 59. Cæterùm apoſtrophe eſt ſubita, quæ energiæ & maioris vehementiæ habeat aliquid. Similis eſt pſal. 22. 27. *Edent manſueti, & ſaturabuntur, laudabunt Dominum qui requirunt eum: viuet cor veſtrum in æternum.* Familiaris eſt ſacris litteris eiuſmodi perſonæ mutatio in vno eodemque verſu. Aliud inſigne exemplum habes Eſa. 1. 29. *Con-*D*fundentur enim* (pro confundemini) *à quercubus*, ſeu *ilicibus*, (in Chald. *arboribus idolorum*, in Græco & Lat. *idolis*, ex אֵל *el*, vt apparet,) *quas concupiuiſtis, & erubeſcetis ſuper (ab) hortis, quos elegiſtis. Viuet cor veſtrum*, hoc eſt, lætabitur cor veſtrum. Mœrenti & dolenti cor proinde eſt quaſi mortuum: vnde pſal. 109. 22. *Quia egenus & pauper ego (ſum:) & cor meum vulneratum eſt intra me:* redeunte verò lætitia, reuiuiſcit cor veluti: vnde illud Gen. 45. 27. *reuixit ſpi-*E*ritus Iacob patris eorum.* Græcus & Lat. verterunt, *quærite*: legerunt quippe דִּרְשׁוּ *dirſchu*, pro דֹּרְשֵׁי *doreſche*, aliis punctis, & ו pro י. Non incommodè, vt patet: *quærite*, ô qui eſtis malorum ſocij, *Deum, & viuet* &c. Sic nihil erit laborandum de illo ו: eritque elegans apoſtrophe, & minùs coacta, vt ipſe quidem ſentio. Atque hoc modo ſequens verſus optimè cohærebit.

34 *Quoniam exaudit pauperes* &c.

* Arabica.

Digitized by Google

Cauſſam exponit, cur lætaturi ſint ipſius liberatione pauperes & afflicti, & quotquot ſuis in malis Deum conſulunt: Quoniam, inquit, meæ liberationis exemplo diſcent illi Deum afflictos exaudire, nec eorum ſalutem aſpernari, qui ipſius cauſſa ſunt catenis & vinculis mancipati. Ex poſteriore membro huius verſus mihi veriſimile fit ab aliquo, qui eſſet in carcere, ſed religionis cauſſa, fuiſſe editum hunc pſalmum: vox enim iſthæc, *vinctos ſuos*, hoc videtur importare. *Vinctos ſuos*, qualis ego nunc ſum, id eſt, eos qui ipſius cauſſa, permiſſu, & nutu in vinculis ſunt, ideóque vincti eius dici poſſunt. Sic ſuprà, verſ. 27. *vulneratorum tuorum* dixit. Sic D. Apoſtolus *vinctumChriſti Ieſu* ſe nominauit, Eph. 3. & 2. Timoth. 1.

35 *Laudabunt illum cœli & terra:* &c. Hyperbolica loquutio ad exprimendam ſummam lætitiam, & generalem in toto orbe diuinarum laudum & beneficiorum prædicationem. Similis eſt loquendi modus pſal. 96. 11. & ſeq. *Lætentur cœli, & exultet terra: commoueatur* (pro. *tonet*) *mare, & plenitudo eius. Gaudeant campi, & omnia quæ in eis* (*ſunt:*) *tunc exultent omnia ligna* (*omnes arbores*) *ſyluarum*. Illic, quemadmodum & hîc, vides rebus inanimatis & ſenſu carentibus ſenſum tamen diuinorum operum tribui, per proſopopœiam. Hoc ſæpe aliàs quoque fit. Inſignis ille locus Eſa. 55. 12. *montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnes arbores agri plaudent*

A *manu*. Necnon iſte pſalmo 98. 8. *Flumina plaudant manu: ſimul montes exultent*. Sed quid attinet paginas pluribus exemplis implere?

36 *Quoniam Deus ſaluam faciet Sion,* &c. Ratio præcedentis verſus. Quoniam, inquit, ſi contingat aliquando (præuidebat autem, vt apparet, ſeruitutem Babylonicam, ex eáque liberationem) vaſtari Hieroſolymam, cæteráſque vrbes, Deus profectò eas reſtaurabit, in iíſque poſt aliquot annorum ærumnas pij pau-
B peres & vincti vnà cum ſuis poſteris ſecurè, diúque, quaſi in hæreditario fundo, habitabunt: quò ſpectat poſterius huius verſus membrum, necnon ſequens verſus. *Sion*. Ex præcipua vrbis parte, & regia domo ſic denominat Hieroſolymam. *Ciuitates Iudæ*. Per *ciuitates Iudæ*, ex qua Tribu erat Rex, ſynecdochicōs aliarum Tribuum ciuitates intellige. *Ibi*, in Sion, & ſic in reliquis ciuitatibus.

Eam Sion, & ſic cæteras vrbes. Non prætereundum autem Theodoretum, &
C Euthymium totum pſalmum de captiuitate Babylonica, pleroſque Hebræos de captiuitate interpretari. Ad hoc argumentum nullo negotio, quæ diximus, accommodabuntur. Huius porrò verſus hæc ſententia, & ſimplex quidem eſſe poteſt, Deum ſeruaturum vrbem Hieroſolymam, reliquáſque Iſraëliticæ ditionis vrbes amplificaturum, vt pij Iſraëlitæ habeant vbi habitent, quæ haud parua diuinæ laudis materia eſt.

Digitized by Google

PSALMVS

LXX. LXIX.

VERSIO

NOVA.

PRAECENTORI, Dauid ad commemorandum.

2 Deus ad eruẽdum me; Domine, ad ª adiuuandum me feſtina.

ª auxilium meum

3 Confundantur & pudefiant qui quærunt animam meam: conuertantur retrorſum, & erubeſcant qui volunt mihi mala.

4 Reuertantur pro mercede pudoris ſui, qui dicunt, Euge, euge.

5 Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper, Magnificetur Deus, qui diligunt ſalutare tuum.

6 Ego verò egenus & pauper (ſum;) Deus feſtina ad me; auxilium meum & liberator meus (es) tu: Domine, ne moreris.

VETVS.

IN finem, Pſalmus Dauid, in rememorationem, quòd ſaluum fecerit eum Dominus.

2 *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.*

3 *Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam:*

4 *Auertantur retrorſum, & erubeſcant, qui volunt mihi mala.*

5 *Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.*

6 *Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.*

7 *Ego verò egenus, & pauper ſum: Deus adiuua me.*

8 *Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.*

COMMENTARIVS.

Argumentum.

HOc carmen ſcribit Kimhi à Dauide editum quum fugeret Saulem, aut Abſalomum, ac potiùs quidem quum fugeret Abſalomum, ob ſequentem pſalmum, qui, vti probabitur, in poſteriore occaſione ſcriptus eſt. Quid facit in hoc pſalmo? Implorat ſubitum Dei *auxilium aduerſùs inimicos, quorum conſilia & conatus petit infringi ſummo cum illorum dedecore, vt qui à ſolo Deo opem & ſalutem expectant, habeant quod lætentur, ac triumphent. Hic pſalmus verſibus prorſus conſtat, qui, ſi pauca excipias, pſalmo* 40.

Digitized by Google

à verſu 14. reperiuntur. Ergo eius explicatio illinc repetenda, niſi quid aliud fortaſſe ob diuerſum argumentum hic dicendum eſt. Illa porrò eorundem verſuum repetitio mihi perſuadet hanc quaſi communem precandi formulam Dauidi *fuiſſe, quoties in magnis eſſet periculis, & ab eo aliis, qui in ſimili diſcrimine verſarentur, præſcriptam. Iuuat meam coniecturam illud Tit.* ad commemorandum. *Sed de hac voce vide ad verſ. 1. pſ. 38. In extremo quoque pſ. 35. haud multùm diſſimiles huic pſalmo verſus reperire eſt, quod omnino noſtram coniecturam confirmat.*

1 *Ad commemorandum.* Ex Raſi hìc vertendum eſſet *ad orandum.* Probat is הַזְכִּיר *hizcir*, ſignificare interdum *orare*, ex verſu 8. pſ. 20. vbi dicitur, *nos autem in nomine Domini Dei noſtri* נַזְכִּיר *nazcir*, hoc eſt ad verb. *commemorabimus*, quod ibi Græcus & Lat. expoſuerunt *inuocabimus.* Profert alium locum ex 1. Paral. 16. 4. quem tu conſule, ſi vis. Addo ego Amos 6. 10. illud verbi à Chaldæo per *orare* exponi. Velim notes obiter Græcum & Latinum non omnino conuenire in Titulo huius pſalmi, etſi tamen eòdem res redit: ille enim habet, εἰς τὸ σῶσαί με κύριον; hic verò, *quòd ſaluum fecerit eum Dominus.*

2 *Deus ad eruendum me;* &c. Propoſitio Pſalmi, quâ petit ab hoſte citò liberari.

3 *Confundantur, & pudefiant* &c. Hoc & ſequentibus verſibus nihil aliud quàm exornatur propoſitio. Sententia autem huius verſus hæc eſt, Fac, vt qui me ad necem quærunt, ſpe deiecti pudore ſuffundantur: fac, vt terga vertant nihil præter ignominiam reportantes, qui me perditum cupiunt. Vide. Verſu præcedenti petebat ſe ſeruari: nunc ex antitheſi petit hoſtium conatus irritos reddi. Poteſ vertere *Confundentur*, & ſic alia verba in hoc & ſequentibus verſibus ſimiliter. *Confundentur* ſtatim ac mihi opem tuleris.

4 *Reuertantur* domum re infecta, haud abſque pudore, & dedecore. In Hebr. eſt יָשׁוּבוּ *iaſchuuu*, quæ vox ob paronomaſiam cũ illâ, quę inchoat præcedentem verſum, nimirum יֵבֹשׁוּ *ieuoſchu*, videri poteſt affectata. *Pro mercede pudoris ſui,* quo

A nimirũ ipſi me volunt & nituntur afficere. *Qui dicunt*, ſup. *mihi* cum Gręco & Lat. vel ſanè *de me*, aut *propter me.* De phraſi, quæ hic occurrit, vide ad pſal. 40. cit. in argum. verſum 16.

5 *Exultent & lætentur* &c. Illi erubeſcant: at qui à te ſolo opem & ſalutem expectant, qui à te ſolo volunt ſeruari, gaudeant, exultent, ac dicant, *Magnificetur Deus*, hoc eſt, (& ſic explicat Chald.) *Augeatur*
B *gloria Domini*, qui ſuam in nobis tuendis ac conſeruandis potentiam declarauit. *Magnificetur Deus*, non in ſe, ſed in nobis. Kimhi explicat, *qui diligunt ſalutem tuam*, quâ ſcilicet me ſaluabis, hoc eſt, ſic enim explico, qui cupiunt me abs te liberari & ſeruari.

6 *Ego verò egenus* &c. Ad ſe ipſum redit Deum rogans, vt, quoniam peri-
C culum vrget, acceleret auxilium. Ego, inquit, adſum interea miſer & omni ope deſtitutus. Citò igitur mihi fer opem, qui abs tuo vnius auxilio pendeo, quod iam ſæpe aliàs expertus ſum. Kimhi obſeruat Dauidem egenum ſe & pauperem appellare, quòd tunc regno per filium eſſet exutus. Ego acciperem ſimpliciùs egenum & pauperem pro miſero & afflictæ fortunæ homine. Sic ſe haud ſemel vocat Dauid. Vide ad verſum vltimum
D pſ. 40. citati in Arg. & 16. pſ. 25. *Feſtina ad me.* Ex Ezra vertendum *feſtina mihi*, ſeu *propter me*, id eſt, mea cauſſa. Hanc vim interdum obtinere litteram ל centies dictum. *Ne moreris* eſſe mihi auxilio. Vel, vt Ezra obſeruat, actiuè, *ne differ* auxilium meum.

Digitized by Google

PSALMVS

LXXI. LXX.

VERSIO

NOVA.

IN TE Domine ſperaui : [a] non confundar in æternum.
2 In iuſtitia tua libera me, & eripe me : inclina ad me aurem tuam, & ſalua me.

3 Eſto mihi in rupem [b] habitaculi, in quam veniam ſemper : mandaſti ſaluum me facere, quoniam petra mea, & munitio mea (es) tu.

4 Deus meus, eripe me de manu peccatoris : de manu [c] contra legem agentis & iniqui.

5 Quoniam tu (es) [d] patientia mea : Domine Deus, ſpes mea à iuuentute mea.

6 [e] In te [f] confirmatus ſum ex vtero, de [g] ventre matris meæ tu (es) extractor meus : in te [h] cantatio mea ſemper.
7 Tanquam [i] prodigium factus ſum multis : & tu, ſpes mea fortiſſima.

8 Repleatur os meum laude tua, [i] tota die gloria tua.

9 Ne proijcias me in tempore ſenectutis : cùm deficit virtus mea, ne derelinquas me.

a ne
b vel *fortitudinis,*
c *iniuria efficientis*
d *expectatio*
e *Super*
f *ſuſtentatus*
g ad verb. *viſceribus*
h *iam*
i *ſignum*
i vel *omni*

VETVS.

Pſalmus Dauid, filiorum Ionadab, & priorum captiuorum.

IN te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me.

2 *Inclina ad me aurem tuam, & ſalua me.*

3 *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum : vt ſaluum me facias:*
4 *Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.*
5 *Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui:*

6 *Quoniam tu es patientia mea Domine : Domine ſpes mea à iuuentute mea.*

7 *In te confirmatus ſum ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus.*
8 *In te cantatio mea ſemper : tamquam prodigium factus ſum multis: & tu adiutor fortis.*

9 *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam ; tota die magnitudinem tuam.*
10 *Ne proiicias me in tempore ſenectutis : cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Digitized by Google

11 *Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum.*

12 *Dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat.*

13 *Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice.*

14 *Confundantur, & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confuſione & pudore qui quærunt mala mihi.*

15 *Ego autem ſemper ſperabo: & adiiciam ſuper omnem laudem tuam.*

16 *Os meum annuntiabit iuſtitiam tuam, tota die ſalutare tuum.*

17 *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.*

18 *Deus docuiſti me à iuuentute mea: & vſque nunc pronuntiabo mirabilia tua:*

19 *Et vſque in ſenectam & ſenium: Deus ne derelinquas me,*

20 *Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt;*

21 *Potentiam tuam, & iuſtitiam tuam Deus vſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia: Deus quis ſimilis tibi?*

22 *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & malas: & conuerſus viuificaſti me: & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me:*

23 *Multiplicaſti magnificentiam tuam: & conuerſus conſolatus es me.*

24 *Nam & ego confitebor tibi in vaſis pſalmi veritatem tuam: Deus pſallam tibi in cithara, ſanctus Iſraël.*

10 Quia dixerunt inimici mei de me: & qui [l] cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum: l obſerua-

11 Dicentes, Deus dereliquit eum: perſequimini, & comprehendite eum; quia non eſt qui eripiat.

12 Deus, ne elongeris à me: Deus meus, in auxilium meum feſtina.

13 Confundantur, deficiant aduerſarij animæ meæ: operiantur [m] confuſione & pudore qui quærunt mala mihi. m probri

14 Ego autem ſemper ſperabo, & adiiciam ſuper omnem laudem tuam.

15 Os meum annuntiabit iuſtitiam tuam, [m] tota die ſalutare tuum: m vel omni
quoniam non cognoui numeros.

16 Introibo in [n] potentias Domini Dei: recordabor iuſtitiæ tuæ tui ſolius. n vel potentia [illegible]

17 Deus, docuiſti me à iuuentute mea: & vſque nunc annuntiabo mirabilia tua.

18 Et etiam vſque in ſenectam & canitiem, Deus, ne derelinquas me: donec annuntiem brachium tuum generationi; omni [o] (quæ) ventura eſt, potentiam tuam: o vel (qui) venturus

19 Et [p] iuſtitiam tuam, Deus, vſque in altiſſima, qui feciſti magnalia: Deus, quis ſimilis tibi? p vel iuſtitia tua

20 Qui oſtēdiſti mihi tribulationes multas, & malas, iterum viuificabis me: & de abyſſis terræ iterum reduces me.

21 Multiplicabis magnificentiam meam, & iterum conſolaberis me.

22 Etiam ego confitebor tibi in [q] vaſe nablij; veritatem tuam, Deus meus, pſallam tibi in cithara: Sancte Iſraël. q inſtrumento

23 Exultabunt labia mea, cùm pſallam tibi: & anima mea, quam redemeris.

24 [r] Sed & lingua mea [ſ] tota die meditabitur iuſtitiam tuam: quoniam confuſi fuerint, quoniam pudefacti fuerint qui quærunt [t] mala mihi.

r Etiam lingua
ſ vel omni
t heb. malum meũ.

25 *Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi; & anima mea, quam redemiſti.*

26 *Sed & lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam: cùm confuſi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi.*

COMMENTARIVS.

Argumentũ. *Videtur hic pſalmus à Dauide editus ſtatim poſt præcedentem: idcirco eſt ἀνεπίγραφος. Tum autem ab eo eſt ſcriptus, quum Abſalomum filium fugeret. Probat hoc illud verſ.* 9. Ne proijcias me in tempore ſenectutis: quum deficit virtus mea, ne derelinquas me. *Quum enim Saulem fugeret, nondum erat ſenex, ſed annos tantùm triginta natus. Sic Kimhi. Ezra cohærere hunc pſalmum putat cum præcedente, ſicuti Pſalmus* 104. *cum* 103. *cohæret. In hoc pſalmo Dauid ſuam in Deo ſpem profeſſus, eius opem, quam à puero vſque nunquam non fuerit expertus, implorat, tantùm vt diuinæ laudis ac gloriæ prædicandæ occaſionem habeat. Inſtat igitur & petit à Deo, ne nunc, tot ſimul coëuntibus inimicis, ſeque mutuò hortantibus ad ipſius perniciem, imbecillam ſenectam deſerat: vt laboranti citò adſit, pudore ſuffundens hoſtes de ſpe conatibúſque depulſos. Affirmat ſe, quicquid moliantur hoſtes, in Deo ſemper fiduciam habiturum, neque ambigere, quin aliquando è præſentibus malis Dei beneficio liberatus, ad eas laudes, & gratiarum actiones, quibus olim eius bonitatem celebrauit, nouas ſit additurus, & quidem ampliores, quàm vnquam antea: non dubitare, inquam, quin ſolitam, & millies expertam Dei iuſtitiam, atque opem denuo ſit prædicaturus, & fortia eius facta. Hac igitur ſpe confirmatus ait, ſe Dei vnius viribus & ſola eius iuſtitiæ cogitatione fretum fortiter pugnam aggreſſurum. Mox iterum petit à Deo, ne ſe nunc deſerat ſenem & canum, quem à primis annis ſemper fouerit & curarit: quò ſcilicet omnibus, etiam poſteris, de Dei potentia, & immenſa iuſtitia teſtari poſſit. Tu, inquit, cuius admirabilis eſt planè in præſtandis promiſſis fides & iuſtitia, qui pro eâ tot præclara facinora edidiſti, cui nullus in dijs ſimilis eſt: tu, qui me ſæpe aliàs tot, tantisque malis obieciſti, idémque rurſum ſeruaſti, nunc quoque iterum in vitam reſtitue, ac veluti è profundo gurgite extrahe: gloriam, qua me filius per ſummam impietatem ſpoliauit, non modò redde, ſed etiam amplifica, méque iterum, vt ſoles in malis, conſolare. Ego viciſſim tuas laudes ac præſertim tuam in ſeruandis promiſſis fidem in muſicis inſtrumentis tunc decantabo: ore & animo lætus celebrabo: tuam quoque iuſtitiam quotidie palàm prædicabo, hoſtibus meis videlicet ſpe deiectis, ideóque pudore ſuffuſis. Hæc huius pſalmi ſumma. Non eſt prætereundum porrò, cùm hic pſalmus Titulo careat apud Hebræos, ſuum tamen habere Titulum in Græca & Latina verſione, nimirum hunc,* Pſalmus Dauid, filiorum Ionadab, & priorum captiuorum. *Verùm iſte Titulus neque in Syra, vbi * alius quidam, neque in Arabica verſione, neque in Chaldæa paraphraſi, neque in tranſlatione D. Hieronymi reperitur. Et Folengius monachus Caſſinas paulò liberiùs audet ſcribere, Titulum, qui in Latinis codicibus à Græcis abſque dubio ſumptus legitur, inter ſomnia ponendum eſſe neminem non iudicaturum. Ego hac de re nihil ſtatuo, niſi quod Card. Bellarminus, interpretem aliquem Titulum illum addidiſſe: imò quod Græcus interpres, qui poſt prædictum Titulum legit Ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις. Iſtum tamen Titulum Card. Bellarminus nititur explicare.*

* *Iſte videlicet,* Pſalmus cõpoſitus à Dauide, quum Saul bellaret aduersùs domum Dauid. Et Prophetia de Paſſione, & Reſurrectione Chriſti.

1 *In te Domine ſperaui:* &c. Senſus, Quando in te ſperaui, qui æternùm futurus es, ſcio quòd æternùm non afficiar pudore. Sic ex Ezra & Kimhi. Pſal. 31. aliquot priores verſus ſimiles prorſus prioribus huius pſalmi verſibus occurrunt. Itaque tuum erit locum illum etiam conſulere.

2 *In iuſtitia tua*, non in mea. Sciebat quippe Dauid ſe puniri ob peccatum in Vriam admiſſum, quòd ex Propheta audiuiſſet duram illam pœnæ denuntiatio-

Digitized by Google

nem ipſius Dei verbis, *En ego ſuſcitabo (ſuſcitaturus ſum) ſuper te malum de domo tua*, &c. 2. Sam. 12. 11. Sic Kimhi. Vide & ad pſalmum 31.

A

3 *Eſto mihi in rupem habitaculi*, &c. propterea quòd ex ædibus ſuis metu Abſalomi aufugiſſet, petit à Deo, vt ſit ſibi arcis & rupis munitiſſimæ loco, in quam ſemper ſeſe poſſit recipere. Sic ex Kimhi. *Habitaculi*, vel *fortitudinis*, iuxta alios, qui legunt hîc quoque, vt pſ. 31. 3. מָעוֹז *maoz*, pro מָעוֹן *maon*. Sic legit Chaldæus qui vertit, *Eſto mihi in rupem fortem robuſtam*. *Manda-* B *ſti ſaluum me facere*: hoc eſt, tu me in tuam tutelam iam olim recepiſti, & *mandaſti* iam ſæpe aliàs *ſaluum me facere*, hoc eſt, dediſti mandatum de me ſeruando. Igitur nunc quoque ſaluum me fac. *Mandaſti* Angelis, iuxta illud Pſalmi 91. 11. *Quoniam Angelis ſuis mandabit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis*. &c. Sic ex Kimhi, qui tamen etiam exiſtimat hoc loco eſſe poſſe præteritum pro futuro, *mandaſti* pro *mandabis*, quod denique, ea enim mihi eſſe videtur mens Kimhi, ſit pro imperatiuo C *manda*. Ego melius ac ſimplicius exiſtimo hoc accipere quaſi ex fiducia certæ ſalutis dictum.

4 *Peccatoris*, ad verb. *turbulenti*, eſt enim Hebraicè רָשָׁע *raſcha*, de quo nobis dictum ad verſ. 1. pſ. 1. Kimhi per turbulentum illum putat intelligendum Abſalom: per contra legem agentem, & iniquum, ipſum Achitophelem. Tu potes vtrumque collectiuè exponere.

5 *Quoniam tu (es) patientia (expectatio)* D *mea*. Poſſet neglecto accentu athnach ſic diſtingui hic verſus, &, vt mea quidem fert ſententia, commodiùs, *Quoniam tu expectatio mea, Domine Deus: ſpes mea* &c.

6 *In te confirmatus (ſuſtentatus) ſum ex vtero*; &c. Simile reperies huic verſui, pſal. 22. verſu 10. & 11. Vide igitur illic. *In te*, hoc eſt, de te, *cantatio* (in Fonte *laus*) *mea ſemper*, id eſt, propterea te ſemper prædicaui & prædicabo. Kimhi hoc paulò aliter accipit: *in te laus mea ſemper*, hoc eſt, ego ſemper de te gloriari ſoleo ob benefi- E cia, quæ in me contuliſti.

7 *Tanquam prodigium*, vel *ſignum factus ſum multis*. Senſus, iuxta Ezram, & Kabuenaki, Propterea quòd ſuper te ſuſtentatus ſum, ac tu me ſuſtentaſti, (Kimhi Ezram citans affuit, ſed perperam, negatiuam, ſic, ac tu non ſuſtentaſti me,) fui tanquam prodigium aut ſignum multis, qui in te non credebant: iuxta illud Ezech. 24. 24. *Eritque Ezechiel vobis in portentum*, ſeu *ſignum*; *iuxta omnia quæ fecit, facietis*. Raſi eundem hunc Ezechielis locum adducit, hócque ad iſtum ferè modum explicat, Multi cernentes meas miſerias veriti ſunt vt ſibi, quemadmodum mihi, accideret, ipſiſque eſſem in ſignum; itáque dixerunt, Quemadmodum illi accidit, ſic nobis accidet. Kimhi ita ferè accipit: *Tanquam ſignum factus ſum multis*. Nam multi reſipuerunt videntes me propter delictum puniri. Et fui ego iis ſignum, te animaduertere in ſcelera. Ego cum Ezra potiùs accipio, Nam eius expoſitio magis eſt cohærens.

8 *Repleatur os meum* &c. Senſus, Nunc quoque perge mihi fauere, fácque, vt nihil in ore habeam aliud quàm laudes tuas, & gloriæ tuę, beneficiorúmque tuorum commemorationem. Vide. Optat ſeruari, tantũmodo vt laudis ac gloriæ diuinæ prædicandæ occaſionẽ habeat. Alij vertũt, *Replebitur* &c. quaſi hoc dicat Dauid certus de læto exitu, vel tanquam voto potitus. In precationibus affectuum variæ ſunt vices. Interdum vis doloris pios etiam homines abripit longiùs: mox verò rurſus ſeſe colligunt & corrigunt, vt in mediis malorum procellis, quaſi iam portum obtinuerint, exultent, vltróque in Dei laudes erumpant.

9 *Ne proijcias me* &c. Senſus, Tu qui me à matris vberibus in tuam tutelam benignè ſuſcepiſti, ne me nunc vetulum deſere: ſed quò magis vires corporis deficiunt, eò promptiùs ſuccurre. Exemplo Dauidis, qui iam ſenex à filio, quem vnicè diligebat, regno depulſus eſt, & ad necem quæſitus, diſcamus nos ſemper cauere, nec vnquam quietam ſenectam nobis polliceri, nec, vbi non ſolùm ab exteris, ſed ab iis etiam, quos in ſinu fouerimus, diuexabimur, animum deſpondere, ſed rectà ſemper ad Deum confugere, vti hîc facit Dauid.

10 *Quia dixerunt*, illud ſcilicet quod eſt in ſequente verſu. Chald. addit *malũ*. *De me*: ad verb. *mihi*. Vide ad verſ. 6. pſ. 41. Chald. interpretatus eſt *ſuper me*. *Et qui cuſtodiebant animam meam*, hoc eſt, & qui antea me diligebant, ac de me ſolliciti erant. Sic hoc explicat Kimhi, qui tamen exponi poſſe docet de hoſtibus, qui animam Dauidis obſeruarent in malum. Simile eſſe ait illud Iob 10. 14. *Si peccaui, & obſeruaſti me* ad malefaciendum mihi quotidie. In hoc ſenſu erit vertendum, *& qui obſeruant me*, hoc eſt, mihi meæque vitæ inſidiantur. Kimhi admonet quoque exponi poſſe, *& qui cuſtodiunt animam meam*, ne ex ipſorum manibus elabatur. Simile eſſe ait illud 1. Sam. 19. 11. *Miſit ergo Saul ſatellites* (heb. *nuntios*) *in domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & interficeretur mane*.

Digitized by Google

Priore modo acceperunt Græcus & Lat. Ezra etiam, qui ſic exponit, ij, quos exiſtimabam adiutores & fautores meos, conſilium inierunt vnà cum meis hoſtibus.

11 *Dicentes* inter ſe, *Deus dereliquit eum,* hoc eſt, Hactenus adiuuit illum Deus, iſque proſperè bella geſſit. Nunc verò videtur à Deo derelictus: ſiquidem etiam filius illum ad necem quærit, & nemo eſt qui opem ferat. Nam Deus, qui illum hactenus defendit, eum nunc prorſus deſeruit. Kimhi. *Perſequimini,*&c. dum impunè licet, quem Deus propter peccata deſeruit. Sic ferè Raſi.

12 *Deus, ne elongeris à me:* hoc eſt, Fac illi intelligant te non longè abeſſe à me, id quod nunc ſibi perſuadent. Sic ferè Kimhi. Quomodò Deus dicatur à nobis abeſſe, vide ad verſ. 1. pſal. 10. Addo hoc ex Ezra ad hunc locum, ſi procul abeſt dies meæ ſalutis, exiſtimabunt te à me longè abeſſe.

13 *Confundantur* ſeu *Pudore afficiantur.* Poteſt verti per futurum indicatiui, *Confundentur*, poſtquam ſcilicet mihi proximus adfueris, & laboranti tuleris auxilium. Sic optimè cum ſequentibus verſibus hic cohærebit. *Aduerſarij animæ meæ.* Si Ezræ credimus, intelligit qui amici antea fuerant, nunc autem aduerſarentur. *Qui quærunt mala mihi*, heb. *malum meum.* Si eidem credimus, hoſtes perpetuos notat.

14 *Ego autem ſemper ſperabo*, &c. Senſus, Etſi ego nunc ſum in maximis anguſtiis, nihilominus nunquam deſiſtam in te ſperare, ſemper ſperabo te me ſeruaturum. *Et adijciam ſuper omnem laudem tuam*, hoc eſt, equidem ego ſpero, quòd te ſim celebraturus ampliùs, & poſtquam me ex his malis eripueris, ad eas laudes additurus, quibus te omnibus aliis periculis, quæ adhuc mihi inciderunt, tuo beneficio defunctus olim celebraui. Sic ferè Kimhi. Si in verſu præcedente placet reddere verba per futurum indicatiui, plana erit ſententia, Ego verò tunc habebo cur pergam in te ſperare: tunc magis ac magis mea in te ſpes confirmabitur: túncque, vti aliàs periculis defunctus ſemper feci, te, tuúmque beneficium prædicabo: noua tunc mihi dabitur celebrandarum tuarum laudum materia. Poſſis hoc, *& adijciam ſuper omnem laudem tuam*, ſic interpretari, & tunc magis te quàm vnquam antea collaudabo.

15 *Os meum annuntiabit* aliquando, vel tunc. *Tota die*, vel iuxta Kimhi, *omni die*, id eſt, quotidie. *Salutare tuum*, vel A *ſalutem tuam* mihi allatam. *Quoniam non cognoui numeros* beneficiorũ tuorum erga me: tótq; ſunt tuæ erga me iuſtitiæ & ſalutis exempla, vt eorum ſummam nulla ratione inire poſſim, ac numerum prorſus ignorem: ideóque tunc nunquam deſinam aut intermittam prædicare tuam iuſtitiam & ſalutarem opem. *Quoniam.* Ad mentem Ezræ vertendum, *etſi.* Simile vide ad verſum 11. pſal. 25. Si vertere vis cum Ezra, dic modeſtam eſſe correctionem, q.d. Narrabo res inenarrabiles, non tamen pro ipſarum B amplitudine, ſed pro tenui ingenioli mei facultate. Felix Pratenſis vertit *certè*.

Numeros. Sic ex Chaldæo, Raſi, Ezra, Kimhi, & aliis Hebræorum vertendum. Sic ex Symmacho, qui vertit οὐ γὰρ οἶδα ἐξαριθμῆσαι. Felix vertit *numerum.* Græcus hîc habet γραμματείας: Latinus *litteraturã*. D. Aug. ſic legit, ſed & iuxta Tranſl. Rom. legit etiam *negotiationes:* & ibi multis verbis inuehitur in negotiationem, vt eos, qui velint eſſe Chriſtiani, iubeat abiicere negotiationes, quæ ſcilicet, ea enim eſt illius mens, à Chriſto abſtrahant, mendacióque C & periurio perficiantur. Ergo veriſimile eſt in aliquo græco codice fuiſſe πραγματείας. Quod & legit Folengius Monachus: ſic enim ait, Quid verò ſibi velit Græcis in hoc loco πραγματείας, quídve ſomnient nonnulli ex huius vocis interpretibus, diligens iudicet lector. Hebræos porrò hic ſequutus eſt. De Græca & Latina verſione & diſtinctione videantur Genebrardus & Card. Bellar.

16 *Introibo in potentias Domini Dei*, hoc eſt, Tunc feriò aggrediar fortia Dei facta D memorare, tuámque vnius, ô Deus mi, iuſtitiam prædicare, neque quicquam meis viribus adſcribam, ſed tuæ vnius iuſtitiæ, quò ſpectat ſequens membrum. Sic ex Raſi & Ezra. At Kimhi aliter accipit, *Introibo* ſeu *Ingrediar in potentijs* &c. Quando pugnam aggrediar, nulla hominum potentia fretus id faciam, ſed tua vnius virtute, & iuſtitia, quæ ſola mihi perpetuò ob oculos verſabitur. Sic ferè ille. D. Hier. hoc ſenſu videtur accepiſſe, qui vertit, *Ingrediar in fortitudine Domini Dei.* E *Domini Dei.* Græcus & Lat. aliter diſtinxerunt, neque incommodè. D. Hier. cum Hebræis diſtinxit.

17 *Deus, docuiſti me à iuuentute mea:* &c. Conciſa loquutio: ſed ſententia tamen facilis eſt: Tu, inquit, à primis vſque annis variis argumentis mihi oſtendiſti ac declaraſti, quàm tibi eſſem curæ: & aliquid cauſſæ ſemper adhuc fuit, cur tua erga me planè admiranda beneficia debeam prædicare. Itaque ne me nunc ſenem & canum deſere: húcque

hûcque pertinet ſequens verſus. Kimhi explicat, *docuiſti me*, ad iſtum modum, dediſti enim mihi cor intelligens à iuuentute mea, vt cognoſcerem nihil non eſſe à te. Certè eam vim videtur habere id verbi. Ac rectè Kimhi quidem. Animalis enim homo non percipit beneficia Dei, ſed is ſolùm, qui diuino ſpiritu edoctus ſit ad Deum omnia eſſe referenda, nihílque propriis viribus, aut fortunæ temeritati tribuendum. Alij aliter hunc verſum diſtinguunt, eodem tamen ſenſu, *Deus, docuiſti me à iuuentute mea, & vſque nunc: annuntiabo mirabilia tua*. Explicandus porrò eſt hic verſus ex verſibus 5.° & 6.° Non omittendum Chaldæum interpretari, *Deus mi, docuiſti me in miraculis* (hoc eſt, miraculosè erga me te geſſiſti) *à iuuentute mea*.

18 *Et etiam vſque in ſenectam* &c. Senſus, Sicut hactenus non me deſeruiſti, ita etiam ne me nunc ſenio & canitie obſitum deſerito. *Donec annuntiem brachium tuum* &c. Nam ſi hoſtes in hac imbecilla ætate ſuperaro, omnes profectò dicent brachio tuo id eſſe factum, non mea virtute: ſícque ego quodammodo annuntiabo etiam poſteris potentiam brachij tui, dum in me cernetur inſigne illius exemplum. Ita ex Kimhi. *Generationi* præſenti, ſeu, vt loquitur Kimhi, in quâ ego ſum. Ezra hoc de generatione ſeu ætate ventura intelligit. *Omni* ſupp. generationi, *(quæ) ventura eſt* poſt me: qui enim ex huius ætatis hominibus mihi erunt ſuperſtites, prædicabunt tuam illam potentiam. Ita Kimhi, qui hoc etiam ſic docet accipi poſſe, quaſi dicat annuntiaturum ſe Dei potentiam in omnibus futuris generationibus, quòd litteris ſit fortia Dei facta conſignaturus, ſícque ea ad poſteros tranſmiſſurus. Ad mentem Raſi vertendum & exponendum, *omni (qui) venturus eſt* ad me. Sic plana eſt ſententia. Ezra explicat, *omni (qui) venturus eſt*, hoc eſt, qui naſcetur: quo modo Eccleſiaſtis 1. 4. dicitur, *Generatio præterit, & generatio aduenit*. Chaldæus habet, *omni qui veniet*.

19 *Et iuſtitiam tuam, Deus*, quæ eſt *vſque in altiſſima*, ad verb. *excelſum*, ſupp. ex verſu præcedente *annuntiem*. Sic Græcus & Lat. conſtruxerunt, qui aliter etiam, neque ſanè incommodè, diſtinxerunt. Si ad iſtum modum conſtruere vis, potes τὸ *vſque in altiſſima* connectere cum verbo, ſic, *donec annuntiem* & extollam *vſque in altiſſima*, id eſt, in cælum vſque, hyperbolicὼs. Potes tu cum nonnullis Hebræorum diuellere hunc verſum à præcedente, ac ſic vertere, *Et iuſtitia tua, Deus, vſque in altiſſima, qui feciſti* &c. & ad iſtum modum exponere, Tua porrò iuſtitia, quâ fidem ſcilicet tuis datam nunquam non præſtas, cęlo æqualis eſt, ô Deus, qui per eam egregia facinora ſemper ediciſti, vt cogar exclamare, *Deus, quis ſimilis tibi* in diis & fortibus? quis ſimilis tibi, magnificus in ſanctitate, terribilis laudibus, faciens mirabilia? (Exo. 15. 11.) quis alius Deus vel in cælo, vel in terra, qui poſſit facere ſecundùm opera tua, & ſecundùm fortitudines tuas? (Deut. 3. 24.) Sic optimè cohærebit hic verſus cum ſequente: *Vſque in altiſſima*, id eſt, ad cælum vſque pertinet, id eſt, maxima eſt, maximè admirabilis eſt. Similes paſſim occurrunt loquendi formulæ, ex. gr. pſ. 57. 11. *Quoniam magna (eſt) vſque ad cælos miſericordia tua*, &c. *Qui feciſti* aliàs erga me, & alios etiam. Chald. hunc verſum interpretatus eſt, *Et iuſtitia tua, Deus, vſque ad cælos altitudinis, qui* &c. Aquila & Symmachus aliter quàm Hebræi, aliter quàm Græcus & Lat. diſtinxerunt hunc verſum; ſic, quemadmodum refert Ioh. Druſius in Veterum Interpretum Græcorum fragmentis, *Deus vſque in altitudinem quæ feciſti magnalia*. Addit idem Druſius interpretem Euthymij ſcribere, aliquos poſt verba illa, *& iuſtitiam tuam*, perfectum ponere punctum, & quæ ſequuntur huic verſiculo coniungere, *quæ feciſti mihi magnalia*, Aquilam in hoc ſecutos, vt ſit ſenſus: Magna & grandia beneficia, quæ in me contuliſti, tam admiranda fuere, vt eorum fama ad ipſas etiam cæleſtes poteſtates peruenerit. Hunc profectò ſenſum ferre poſſunt Græca & Latina verſio. Tu vide. Iaphet hunc verſum exponit hoc ferè modo, Maior eſt ac ſublimior tua iuſtitia, maiora tūa facta, quàm vt illa enarrare poſſim: atque hæc teſtantur non eſſe alium Deum tui ſimilem.

20 *Qui oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas*, &c. Senſus, Tu, qui aliàs ſæpe feciſti, vt multa & ingentia mala fuerim expertus, idémque ex iis ſemper liberaſti, (hoc enim ſupplendum eſſe quiuis videt) nunc quoque me deploratę ſalutis hominem in vitam rurſum reſtitue, éque profundo malorum gurgite extrahe. *Iterum viuificabis*, ad verb. *reuerteris, viuificabis*. Nota. Quando *redeundi* aut *reuertendi* verbum abſquo præpoſitione cum altero verbo cõiungitur, illud quaſi aduerbiaſcit, exponendúmque eſt per *rurſum*, ſeu *iterũ*. Sic & verbum *feſtinandi*: vt cùm dicitur *feſtina, exaudi me*. Sed hoc aliàs annotatum, & eius rei paſſim occurrunt exempla. Cæterùm futura in hoc & ſequentibus verſibus eſſe pro imperatiuis docent præcedentia.

Digitized by Google

Potes igitur vertere *viuifica*, aliáque verba ſimiliter. *Abyſsis terræ*. Intelligit aquarum voragines, quæ in imis terræ ſpecubus latent, & per eas mala ingentia. *Reduces*, vel *extrahes*.

21 *Multiplicabis magnificentiam meam*. Senſus, Non modò priſtinam gloriam reſtitue, verùm etiam auge.

22 *Etiam ego confitebor tibi* &c. Senſus, Tunc meum erit viciſſim te celebrare &c.

Vaſe, ſeu *inſtrumento*. Vox כְּלִי *cheli*, propriè *vas*, indéque quoduis inſtrumentum ſignificat. *Veritatem tuam*. Veritas Dei, vt centies dictum, nihil aliud eſt quàm conſtans Dei in ſeruandis promiſſis fides.

23 *Exultabunt labia mea, cùm pſallam tibi*. Senſus, Atque dum tibi pſallam in inſtrumentis, ſimul labia *exultabunt*, id eſt, ſumma cum lætitia cantillabunt. *Et anima mea* ſupp. exultabit, id eſt, & verò tunc ex animo, ex ea ſcilicet parte, ad quam præſertim tuum beneficium attinget, exul- A tabo. Fruſtra aërem ferit inane labiorum murmur, niſi mens ad Deum reſpiciat: fruſtra eſt laus oris, niſi cor ſuccinat: oportet in celebrandis Dei laudibus lingua & cor conſentiant. Quo ſenſu pſal. 84. 3. ſcribitur, *cor meum & caro mea exultant in Deum viuum*.

24 *Iuſtitiam tuam*, per quam mihi ſcilicet ius meum reddideris. Quid *iuſtitia*, quid *iudicium* ſignificet, dictum eſt aliàs, ac præſertim ad verſ. 5. pſal. 33. *Quoniam tunc confuſi fuerint, quoniam* &c. Hæc eſt ratio B prioris membri, & duorum antecedentium verſuum. *Quoniam confuſi fuerint, quoniam pudefacti fuerint*, vbi viderint ſpe ſua ſe decidiſſe. Hoc intelligendum præſertim de iis, qui Abſalomo ſuperſtites ſuam temeritatem potuerunt agnoſcere, ſéque cõſiliis deluſos: nam ipſum Abſalomum, vt qui in bello ſatis repentino caſu perierit, non diu puduit ſuæ temeritatis.

PSALMVS

LXXII. LXXI.

VERSIO

NOVA.

SALOMONI.

Deus, iudicia tua Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis.

2 Iudicet populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio.

3 Afferant montes pacem populo, & colles, propter iuſtitiam.

4 Iudicet pauperes populi, ſaluos faciat filios pauperis: & conterat [a] calumniatorem.

a fraudatorem.

5 Timeant te cum ſole, & ante lunam, (in) generatione generationum.

VETVS.

PSalmus in Salomonem.

Deus, iudicium tuum regi da: & iuſtitiam tuam filio regis.

2 *Iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio.*

3 *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam.*

4 *Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.*

5 *Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione & generationem.*

Digitized by Google

6 Deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.

7 Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.

8 Et dominabitur à mari vſque ad mare; & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.

9 Coram illo procident Æthiopes: & inimici eius terram lingent.

10 Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent:

11 Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſeruient ei:

12 Quia liberabit pauperem à potente; & pauperem, cui non erat adiutor.

13 Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum ſaluas faciet.

14 Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.

15 Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper: tota die benedicent ei.

16 Et erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ.

17 Sit nomen eius benedictum in ſæcula: ante Solem permanet nomen eius.
18 Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

19 Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus:

6 Deſcendat ſicut pluuia in detonſum pratum: ſicut ſtillę [b] ſtillantes *b imbres*
ſuper terram.

7 Floreat in diebus eius iuſtus: & abundantia pacis, donec auferatur luna.

8 Et dominetur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos terræ:

9 Coram illo procidant incolæ deſerti: & inimici eius terram lingant.

10 Reges Tharſis, & [c] inſulæ munera offerant: reges Arabum & Saba dona adducant. *c vel inſularum*

11 Et adorent eum omnes reges: omnes gentes ſeruiant ei.

12 Quia liberabit pauperem clamantem, & pauperem, cui non eſt adiutor.

13 [d] Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum ſaluas faciet. *d vel Miſerebitur pauperis & inopis.*

14 A dolo & ab iniquitate redimet [e] animas eorum: & pretioſus erit ſanguis eorum [f] coram illo. *e heb. animam f adverb. in oculis eius.*

15 Et viuet, & dabitur ei de auro Arabię, & orabunt pro ipſo ſemper: [g] tota die benedicent ei. *g vel omni*

16 Erit [h] pugillus frumenti in terra, in [i] ſummis montium, commouebitur ſicut Libanus fructus eius: & florebunt de ciuitate ſicut [l] fœnum terrę. *h vel particula i heb. capite l heb. herba*

17 Erit nomen eius in [m] ſeculum; ante ſolem ſoboleſcet nomen eius; & benedicent ſe in ipſo: omnes gentes beatum dicent eum. *m æternũ*

18 Benedictus Dominus Deus, Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus:

n gloria 19 Et benedictum nomen [n] maieſtatis eius in æternum, & repleatur [o] majeſtate eius omnis terra: fiat, & fiat. o gloria

20 Finem habent orationes Dauid filij Ieſſe.

20 *Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum: & replebitur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat.*

21 *Defecerunt laudes Dauid filij Ieſſe.*

COMMENTARIVS.

Argumentum. A*Rgumenti explicatio pendet ex Titulo* לִשְׁלֹמֹה lischlomo: *quæ vox variè accipitur. Nam Chaldæus eam ſic* [illegible], Per manus, *id eſt, operâ*, Salomonis dictus eſt (*pſalmus*) in prophetia, *de Meſſia nimirum, vt ex reliqua eiuſdem paraphraſi videre eſt. In huius ſententia vertendum erit* Salomonis *ſup. pſalmus, ſicut* לְדָוִד ledhauidh, *ſolet verti* Dauidis, *ſolum etiam, & abſque præcedente nomine, exemp. gra. pſ.* 25. 1. *& ſequentibus aliquot, & aliàs ſæpe. Raſi & Kabuenaki exiſtimant Dauidem hoc carmine precatum eſſe Salomoni filio illud, quod diuino afflatus numine præuidebat illum à Deo poſtulaturum, nimirum cor intelligens ad diſcernendum ſeu audiendum iudicium. De hac re conſulendum* 1. *Reg. caput* 3. *&* 1. *Paral. caput* 1. *In huius opinione vertendum*, Salomoni. *Ezra putat hoc pſalmo contineri prophetiam Dauidis, aut cuiuſpiam alterius Vatis ſeu Cantoris de Salomone, aut de Meſſia: &* ל *in prædicta voce ſignificare* de. *In huius ſententia vertendum*, De Salomone. *Hoc modo acceperunt Græcus & Latinus, quorum ille vertit* Εἰς Σολομὼν * Ψαλμὸς τῷ Δαυίδ; *hic*, Pſalmus in Salomonem. *Audiamus nunc Kimhi. Hunc pſalmum, inquit, compoſuit Dauid ſuper Salomone filio, poſtquam eum regnum auſpicari voluiſſet. Propterea in fine pſalmi legitur*, Finem habent orationes Dauid filij Ieſſe. *Hoc ſiquidem contigit extremo eius ætatis tempore, quum iam lecto decumberet: neque exinde quicquam illi accidit, de quo carmen ederet: hicque pſalmus poſtremus eſt omnium, quos vnquam ſcripſit: ideòque librum vnum è quinque libris pſalmorum claudit. Neque tamen qui Pſalmos in ordinem digeſſerunt, iſtum librum poſtremo loco collocarunt, quòd totum pſalmorum volumen pſalmis, qui Dei laudes continerent, iudicarint eſſe claudendum ac veluti obſignandum. Sunt qui exponant hunc pſalmum de Rege Meſſia, qui appellatur Salomon Cantici Cantic.* 8. 12. mille tibi, ô Salomon. *Sic ferè ille. Ego profectò ſentio hunc pſalmum tribuendum Dauidi, eſſéque votum, quo filio* Salomoni *iuſtum, fælix, latum, & diuturnum imperium precetur: myſticè tamen exponi poſſe & debere de Chriſti regno, cuius regni quædam imago fuit regnum Salomonis: Chriſtus enim verus eſt Salomon, id eſt, pacificus, per cuius mortem, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo. Ergo vertendum cenſeo* Salomoni, *aut etiam cum Græco & Latino* In Salomonem; *id eſt, in gratiam Salomonis.* Dauid *ſcilicet inter extremos ſpiritus Deum precabatur, vt Salomonem regem, eundémque regis filium iura & iuſtitiæ normam doceret, quò populum iuſtè regeret, ac præſertim tenuiores aduerſus potentiorum iniurias tueretur: atque adeo pax iuſtitiæ alumna, Deique cultus vbique vigeret: exterique reges vndique ad colendam Salomonis amicitiam certatim confluerent. Hæc ferè ſumma huius carminis, quod non à Dauide fortaſſe editum probabiliter quis affirmet, ſed eius ſolùm materiam à Dauide ſuppeditatam, quam Salomon, aut quiuis alius in numeros digeſſerit poſt mortem Dauidis, quò meliùs omnibus innoteſceret. Nam cùm ex verſu vltimo poſtremam hanc eſſe* Dauidis *precationem conſtet, non dubium mihi eſt, quin inter extremos ſpiritus fuerit dictata, quod tempus pangendis ac moliendis verſibus idoneum eſt parum.* Deſunt hæc in aliis exempl. Rom. 5.

1 *Deus, iudicia tua Regi da*, &c. Præcipua propoſitio, cuius ſenſus eſt, Da Regi, vt ex tuorum iudiciorum, ac tuæ æquitatis norma ius adminiſtret abſque errore, & iniuſtitia: da illi ſapientiam & intelligentiam, vt egrediatur, & ingrediatur coram populo tuo: da tu illi, quem tui populi Regem eſſe voluiſti, ſcientiam, & prudentiam, vt iudicet in iudicio & iuſtitia: húcque pertinet verſus ſequens. *Deus*. In Fonte אֱלֹהִים *Elohim*, quod Deum vt iudicem ſignificat In loco vſus eſt iſto nomine, 1. Paral. 1. 10. A

vbi iudiciorum mentio fit. *Iudicia tua.* A *Iuſtitiam tuam.* Quid interſit iudicium inter & iuſtitiam, vide ad verſ. 5. pſal. 33. Idem tamen hoc & ſequente verſu ſignificant, & confunduntur. *Regi* Salomoni. Chaldæo, *Regi Meſſiæ.* *Filio Regis.* Salomon Rex fuit, & Regis filius. Pertinet autem ad augendam Salomonis dignitatem, ac maieſtatem, quòd Rex, idémque Regis filius nominatur. Non alienum id, quod in Deras hoc ferè modo legitur: *Deus, iudicia tua Regi da.* Sicuti tu iudicas ſine teſtibus & proteſtatione, ita fi- B lius meus iudicet. Hoc ſenſu 1. Paral. 29. 23. *Seditque Salomon ſuper ſolium Domini.* Quî fieri poteſt, vt homo mortalis ſedeat ſuper thronum Domini, cùm thronus Dei ſint flammæ ſeu ſcintillæ ignis, vt eſt Dan. 7. 9. Nihil aliud ſedere ſuper ſolium Domini, quàm abſque teſtibus & proteſtatione iudicare, ſicuti facit Deus. Tale fuit iudiciũ, quod tulit Salomon in negotio duarum illarum meretricum, quod tractatur 1. Reg. 3. Hactenus Deras. Adde quod iſtud cõfirmet. Statim poſt prædictum iudicium C ſubdit Scriptura cap. mox cit. verſu 28. *Audiuit itaque omnis Iſraël iudicium, quod iudicaſſet Rex, & timuerunt Regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium.* Si de Meſſia ſeu Chriſto placet hunc pſalmũ accipere, hæc expoſitio illi optimè conueniet. Nam de illo ſcribitur Eſa. 11. 3. & ſeq. *non ſecundùm viſionem oculorum ſuorũ iudicabit, neque ſecundùm auditum aurium ſuarum arguet: Sed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate* &c. Aliena eſt D quorundam ex Hebræis, in quibus Raſi & Kabuenaki, expoſitio: *Iudicia tua Regi da,* hoc eſt, inquiunt, pœnæ ſeu punitiones in me (Dauide) abſoluantur & conſumantur: pro tua verò iuſtitia agito cum filio meo, vt ſit pax, dum viuet. Lyranus hunc verſum de Chriſto interpretatur ex illo Ioa. 5. *Neque enim Pater iudicat quenquam: ſed omne iudicium dedit Filio.* Addo optimè de Chriſto poſſe hunc verſum accipi, ſuper quem ex Eſa. 11. 2. requieuit ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus E conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, ſeu timoris Domini.

2 *Iudicet populum tuum* &c. Exegeſis eſt præcedentis verſus. Si cum aliis placet vertere *Iudicabit*, & cætera verba ad eundem modum, ita reſoluenda erit oratio, Si dederis ei tua iudicia, *iudicabit* &c. Græcus & Lat. acceperunt priore modo: verterunt enim *Iudicare*, hoc eſt, Da iudicare. Iudicare proprium eſt Regis munus. Vnde Iſraëlitæ Regem ſibi dari poſtulantes, *Conſtitue nobis*, aiebant, *Regem, vt iudicet nos,* 1. Sam. 8. 5. *Populum tuum:* q. d. qui non tam illius eſt, quàm tuus. *Et pauperes tuos in iudicio* iudicet, nec honoret vultum potentis aſſentãdo. *Pauperes tuos. Tuos* emphaſim habet. Pauperes peculiariter Dei ſunt & cenſentur. Vnde eos Deus pſal. 14. 4. plebem ſuam nominat. Pauperes Dei ſunt, inquit Caſſiodorus, qui mundana ſuperbia derelicta humilitati ſe per omnia tradiderunt. Nam & ſi pauper ſuperbiat, non eſt Dei pauper: & ſi locuples humilitatem diligat, non eſt ſeculi diues. Voluntates enim talium ſunt inſpiciendæ, non nomina. Hactenus ille.

Leuit. 19. 15.

In iudicio idem eſt atque *in iuſtitia.* Quòd hic verſus Chriſto competat, dicetur ad verſum 4.

3 *Afferant* (vel *Afferent*) *montes pacem* &c. hoc eſt, Sit pax illo regnante. Altiùs repetenda res. Sæuiente tyrannide metus cuncta peruadit, ipſóſque adeo agricolas ab operibus ruſticis prohibet, verentes ne aliis, non ſibi ſerant. Ex quo fit vt miſeranda vbique ſit agrorum ſterilitas, quæ diſſenſiones & diſcordias pariat atque excitet, dum quiſque alienum agrum, quã poteſt, irrumpit, éxque eo, quod poteſt, rapit: atque hinc lites & iurgia. Contrà, florente iuſtitiâ, tuta omnia, nullúſque locus eſt, quem agricolarum induſtria non experiatur. Colles & montes ipſos aridioris & infœlicioris ſoli, ij, quos melior ſors deſtituit, aſſiduo labore exercent atque excolunt: ideóque tunc in ipſis etiam montibus, qui plerumque ſterilitate laborant, vel ſaltem non tanta frugum copia abundant, vt valles, omnia fœliciter proueniunt, magna fertilitas; hincque grata pax & concordia, cunctis ſe inuicem ad mutuas epulas inuitantibus, & vocante viro amicum ſuum ſubter vitem, & ſubter ficum, ſicuti dicitur Zach. 3. 10. Quod ergo hîc dicitur, *Afferant montes pacem* &c. hanc habet ſententiam, Propter æquam ac iuſtam regni adminiſtrationem ſumma vbique ſit vbertas, & ex ea pax exiſtat, & concordia, etiam in ipſis montibus. Sic expoſuimus ferè ex Midras, Raſi, Ezra, Kabuenaki, & aliis. Kimhi per *montes* & *colles* putat metaphoricôs ſignificari reges externos, qui pacem facturi eſſent cum Iſraëlitis tempore Salomonis. Profert exempli gratia locum Michææ 6. 2. *Audite montes iudicium (expoſtulationem) Domini, & fortia fundamenta terræ:* hoc eſt, reges & magnates. Addo ego ex verſu 1. eiuſdem capitis, *contende iudicio aduersùm montes, & audiant colles vocem tuam.* Ego puta-

Digitized by Google

rem per *montes* & *colles* ſynecdochicῶs, intelligendum eſſe totum regnum Iſraëliticum, quod erat montoſum & collibus abundabat, vt ſenſus ſit, Totum regnum ſit tranquillum, omniáque pacis bona populis afferat. Per *pacem* intelligo non tantùm vacationem à bello, aut armorum ſtrepitu, ſed fœlicem & proſperum rerum omnium ſucceſſum. Addo in voce שָׁלוֹם *ſchalom*, quæ *pacem* ſignificat, concinnam eſſe alluſionem ad nomen Salomonis, quæ aliena lingua exprimi non poteſt. *Et colles* repete *afferant pacem populo.* Accentus Reuia diuellit hanc vocem à ſequente. *Propter iuſtitiam*, id eſt, propter iuſtam atque æquam gubernationem. Pertinet hoc ad vtrumque membrum. Sunt tamen qui exponant, & obſeruat Ezra, *& colles iuſtitiam*, quaſi ב ſit ſuperuacaneum. Sic Græcus & Latinus. Atque hoc interpretantur noſtri de Apoſtolis, & cæteris viris Apoſtolicis, qui dicantur afferre pacem, & iuſtitiam, id eſt, remiſſionem peccatorum, iuxta illud Eſaiæ 52.7. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis, prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sioni, Regnauit (Regnat) Deus tuus!*

4 *Iudicet pauperes populi*, &c. Senſus, Inopes ac tenuiores aduerſùs potentiorum iniurias defendat, egenorúmque familias oppreſſione diuexatas vindicet: econtrà rapientes ac iniuſtè occupantes aliorum bona reprimat & puniat ſeueriſſimè. *Iudicet.* Verbum hebraicum שָׁפַט *ſchaphat*, ſignificat ius dicere bonos defendendo & malos puniendo. *Iudicet* ergo hoc loco nihil aliud eſt quàm vindicet ab iniuria. Sic pſal. 43. 1. *Iudica me, Deus, & diſcerne cauſam (litiga litem) meam* &c. *Filios pauperis*, hoc eſt, egenorum familias, & eos quorum veluti hæreditaria eſt paupertas ac miſeria. *Calumniatorem.* Mallem *iniurioſum* ſeu *fraudatorem*. Nam עוֹשֵׁק *oſchek*, ex Ezra, propriè eum ſignificat, qui rem alienam dolo, callidè & clàm ſurripit: quales homines hîc obſeruat Ezra Salomonem vi ſublimis & ingentis ſapientiæ agnouiſſe: ex vultu ſcilicet agnouiſſe, opinor, vult dicere. Quòd hic verſus, ſicut & ſecundus, in Chriſtum conueniat perſpicuè docet Eſaiæ de Chriſto vaticinium, cap. 11.4. *Sed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ: & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

5 *Timeant te cum ſole*, &c. Senſus, Quúmque contuderit euerterítque iniurioſos & A ſceleratos homines, timeant te perpetuùm ſimiles homines. Sic ferè Ezra. Iuxta Raſi & Kimhi hic ſenſus eſt, Ex eo diſcant omnes te timere ac reuereri, neque id ad breue aliquod temporis ſpatium, ſed quandiu Sol & Luna erunt, in omnes ætates. Kimhi dicit, ſi de Salomone accipiatur hoc, eſſe hyperbolen: ſi verò de Meſſia, non, ſed intelligendum prorſus, ac præciſè, vt verba ſonant: ſiquidem ſub Rege Meſſia replenda ſit terra cognitione Domini: ſícque perpetuò deinceps futurum ſit, neque vnquam B poſtea inter homines timor Dei deſiturus ſit. Chriſtianè profectò, ſi Meſſiam iam veniſſe crederet. Breuiter ſic explico, Ita per te conſtituatur eius regni ſtatus, vt deinceps, ô Deus, tuus cultus perpetuò vigeat. Quum autem hæc Dauid ſcriberet, certum eſt apud me non tam Salomonem, quàm Chriſtum oculis animi vidiſſe, poſt quem natum *repleta eſt terra ſcientiâ (cognitione) Domini, ſicut aquæ mare operientes*, vti dixit Eſaias cap. 11. 9. Nonnulli volunt in hoc verſu apoſtrophen eſſe ad ipſum C regem, ad iſtum modum, Te, ô Rex, ſubditi omnibus officiis colant, te æternùm reuereantur. Sic erit hyperbole, niſi de Chriſto accipias. Sed malo ad Deum referre, quem initio pſalmi compellauit. *Cùm Sole & ante Lunam* ſeu *coram Luna*, hoc eſt, quandiu erunt Sol & Luna, idémque eſt atque id quod mox ſequitur, *in generatione generationum*, id eſt, perpetuò. *Cum Sole.* Verſu 17. *ante Solem.* *Ante Lunam* ſeu *coram Luna*, id eſt, dum Luna permanebit, & erunt aliqui coram illa. Sic hoc D explicat Raſi, qui annotat ſæpe in *Miſna* in hunc ſenſum legi, *coram Domo*, necnon, *non coram Domo*, hoc eſt, ſtante Domo ſeu Templo, vel, non ſtante Templo. Hoc ſenſu verſu 17. *ante Solem*, quod idem eſt atque *cum Sole.* Similis occurrit loquutio Iob 4. 19. *ante Arcturum*: etſi ſcio non omnes illic eodem modo vertere. Chaldæus ſic interpretatus eſt hunc verſum, *Timebunt te cum ortu Solis, & precabuntur te coram lumine lunæ generationes generationum.* E Notandum imprimis quo modo acceperit τὸ *cum ſole*, necnon, *ante lunam.* Hinc quoque habes poſſe verti, *Timeant te cum ſole, & ante lunam generatio generationum.*

6 *Deſcendat ſicut pluuia in detonſum pratum*, ſeu *deſectam herbam.* Raſi ſic explicat, Deſcendat eius ſermo in medium populi tui, & in cor ſeu animos illius inſtar pluuiæ deſcendentis in deſectam herbam, quæ indiget pluuia, vt iterum germinet. Ita ferè ille. Ezra ſic, *Deſcendat* è ſuo palatio in domum

Digitized by Google

iudicij: vel, Deſcendat iudicium, cuius mox meminit his verbis, *Iudicet pauperes populi*, &c. Simile affert ex Deut. 32. 2. *Stillet vt pluuia doctrina mea; fluat vt ros eloquium meum: quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.* Kimhi ſic, Rex iſte in bonum ac ſalutem populi veniat inſtar pluuiæ decidentis in deſectam herbam, cuius beneficio illa rurſum ſuccreſcit: necnon imbrium inſtar in terram guttatim ſtillantium. Pergit. De Salomone quidem hoc verum fuit, quo regnante *habitabat Iuda & Iſraël abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua*, vt legitur 1. Reg. 4. 25. De Rege Meſſia non minùs verum, ſub cuius regno Iſraëlitæ in ſumma erunt ſecuritate, & pace, cui non alia ſimilis extitit, aut extabit. Omitto conſultò alia, quæ habet. Non malè hic quidem de Meſſia ſeu Chriſto, ſi illum iam veniſſe diceret, & per pacem, ſpiritualem pacem intelligeret. Voces iam propiùs inſpiciamus. *Detonſum pratum* ſeu *deſectam herbam.* Græcus & Latinus verterunt *vellus*, ex altera ſignificatione vocabuli גז *gez.* Quomodò porrò iſtud ſit accipiendum, *Deſcendet ſicut pluuia in vellus:* &c. pulchrè diſſerunt DD. Chryſoſtomus, Auguſtinus, Bernardus, Lyranus quoque, & alii Catholici, quorum expoſitiones conſultò prætermitto, ne ſim prolixior: & quia facilè conſuli poſſunt. *Stillæ* ſeu *imbres.* In Vulgatâ *ſtillicidia.* In Græco σταγὼν, quod *guttam* ſeu *ſtillam*, necnon *ſtillicidium* ſignificat. *Stillantes ſuper terram:* ad verbum, iuxta Ezram, *irrigatio*, vel, *ſatietas terræ*, hoc eſt, irrigantes, vel, ſaturantes terram, ſtillæ ſeu imbres ſcilicet: quod Græcum & Latinum imitati expreſſimus ſic, *ſtillantes ſuper terram.* Kimhi dicit ad hunc locum זַרְזִיף *zarziph*, ſignificare *ſtillationem.* Idem in libro Radicum affirmat ſignificare *herbam exciſam.* Vnde verti poteſt, repetita præpoſitione, ſicuti ipſe vult, ex priore membro, *ſicut imbres (ſuper) herbam deſectam terræ.* D. Hieron. & Felix Pratenſis priore modo acceperunt, qui vertunt *irrorantes terram.* Chaldæus totum verſum interpretatus eſt, *Deſcendat ſicut pluuia beneplaciti ſuper herbam, quæ arroſa (eſt) à locuſta: ſicut ſtillæ pluuiæ ſerotinæ, quæ ſtillant ſuper herbam terræ.*

7 *Floreat in diebus eius iuſtus:* &c. Ipſo regnante creſcant, ac floreant iuſti & probi: multáque pax vbique vigeat, durétque, dum luna lucere ac eſſe deſinat, hoc eſt, quandiu mundus durabit. Iuſtitiæ alumna, ac germana ſoror pax, hæcque abſque illa eſſe non poteſt. Hinc eſt, quòd in hoc verſu iuſtitia ſimul & pax coniunguntur, quæ pſal. 85. 11. dicuntur ſe inuicem oſculari. De Salomone monet Kimhi hoc, quod de pace æternùm duraturâ dicitur, hyperbolicôs eſſe accipiendum: de Rege verò Meſſia, vt ſonat; ſiquidem per Meſſiam futura ſit pax perpetua. Rectè: ſi pacem ſpiritualem intelligeret. Raſi vota omnia, quæ hoc carmine continentur, impleta eſſe ait, præter hoc, ſcilicet de pace æterna, quòd Salomon peccauerit, ac propterea illius regnum haud durauerit: ſiquidem Dauidi, eiúſque poſteris regnum ſub hac conditione fuerit conceſſum, *Si cuſtodierint filij tui viam ſuam*, &c. 1. Reg. 2. 4. Quòd profectò Iſraëlitæ ſub Salomone floruerint, conſtat ex 1. Reg. 4. 20. *Iuda & Iſraël multi ſicut arena maris in multitudine, comedentes, & bibentes, atque lætantes.* Multam pacem tunc quoque viguiſſe patet ex eiuſdem capitis verſ. 24. *& habebat pacem ex omni parte in circuitu.* Verſu 25. *Habitabátque Iuda & Iſraël abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, à Dan vſque ad Ber-ſabee, cunctis diebus Salomonis.* Verùm pacem illam ſtatim poſt mortem Salomonis ac ſæpe turbatam fuiſſe omnes ſciunt. Reſtat igitur, vt quod hîc de æterna pace dicitur, adumbratum quidem fuerit in Salomonis regno, expreſſum verò & perfectum in regno Chriſti, quem idcirco Sacræ litteræ pacem hominum appellant: & in cuius natiuitate facta eſt multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Luca 2.* Raſi, Ezra, Kimhi, & alij עד *donec auferatur luna*, ad id, quod mox præceſſit de pace, tantùm referunt. Ego verò ad vtrumque membrum pertinere exiſtimo, & his verbis ſignificari à Chriſti temporibus iuſtitiam, & pacem in Eccleſia fore perpetuas, iuſtitiam ſcilicet per quam deleatur iniquitas, & pacem conſcientiæ. Huc refer illud Dan. 9. 24. de aduentu Chriſti poſt annorum hebdomadas ſeptuaginta, hoc eſt, vt obiter dicam, poſt annos quadringentos & nonaginta ab anno quarto, iuxta quoſdam, regni Sedechiæ, qui erat duodecimus regni Nabuchodonoſoris: huc, inquam, refer illud Danielis de Chriſti aduentu, *Hebdomades ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur* (heb. *expietur*) *iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & implea-*

Digitized by Google

tur (heb. *obſignetur*) *viſio & propheтia* , (heb. *propheta* ,) *& vngatur Sanctus ſanctorum* , heb. *Sanctitas ſanctitatum*. Quod ad pacem attinet, quæ poſt Chriſti aduentum toto orbe viget ac perpetuò vigebit, audi Eſaiam cap. 2. 4. *Et conflabunt* (heb. *contundent*) *gladios ſuos in vomeres , & lanceas ſuas in falces : non leuabit gens contra gentem gladium , nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Audi & Zachariam cap. 9. 10. *Succidam itaque quadrigam ex Ephraim , & equum de Ieruſalem , & diſſipabitur arcus belli ; & loquetur pacem Gentibus.* Voces propiùs inſpiciamus. *Iuſtus*. Græcus & Latinus, ſiue aliis punctis legerint, ſiue ſenſum tantùm reſpexerint, verterunt *iuſtitia*. *Et abundantia* (*multitudo*) *pacis* , repete floreat, *donec auferatur luna* , ad verb. *vſque ad non lunam* , hoc eſt, æternùm , & quandiu mundus durabit.

8 *Et dominetur à mari* &c. Sententia huius verſus hæc eſt, Obtineat iſte limites terræ promiſſæ, qui Gen. 15. 18. Num. 34. Deut. 11. 24. clariſſimè & breuiſſimè Exo. 23. 31. deſcribuntur *à Mari rubro vſque ad mare Palæſtinorum , & à deſerto vſque ad Fluuium* , nimirum Euphratem. Quos profectò limites ac terminos clarè in hoc verſu expreſſos vides. Quod enim ait, *vſque ad terminos terræ* , habitatæ ſcilicet, idem eſt atque ad deſertum vſque , ſicuti ſentit Ezra , de Salomone accipiendo. Raſi tamen & Kimhi per *terminos terræ* hoc loco intelligunt omnem regionem trans flumen , à Thaphſa vſque ad Gazam , quam quidem Salomon præter Iſraëliticam terram obtinuit, vt conſtat ex 1. Reg. 4. 24. Hoc porrò Salomonis imperium vmbra quædam & imago fuit imperij Chriſtiani longè latéque ad vltimos vſque orbis terrarum fines pertinentis. Ac ſi de Rege Meſſia, inquit Kimhi, hoc accipitur, perſpicuum magis eſt : ſiquidem eius imperium per totum orbem ſit diffundendum. Ezra de Meſſia ſic hunc verſum exponit , *à mari* meridionali , quod alio nomine Idumæum vocatur, *ad mare* ſeptentrionale , hoc eſt, Oceanum , *& à fluuio* , fluuio nimirum exeunte ex Eden , (hoc eſt, è Paradiſo voluptatis ,) ad initium Orientis ſito , *vſque ad terminos terræ* , id eſt , ad vltimum Occidentem . Hoc voluerunt Græcus & Latinus, vertendo, *vſque ad terminos* τῆς οἰκουμένης, *orbis terrarum*. Chaldæus interpretatus eſt , *Et dominabitur à latere* ſeu *ora maris magni ad latus* ſeu *oram maris magni* , in aliis exemplaribus *Oceani* , *& ab Euphrate vſque ad fines terræ*. Nota porrò quum regni Salomo-

A nis limites præſcribuntur , admoneri reges ac principes omnes, vt certis ac ſuis terminis includi ſe æquo animo ferant, magíſque ſuorum imperiorum fines tueantur, quàm proferant : non vt iſti, qui ſoli in orbe terrarum regnare vellent. Imponere deberent auiditati ſuæ frænos , ac meminiſſe, arbores magnas diu creſcere , vna hora extirpari : leonémque aliquando minimarum auium fieri pabulum : ferrum rubigine conſumi : ac nihil tam firmum, cui periculum non ſit , etiam ab inua- Curt.
B lido.

9 *Coram illo procidant incolæ deſerti* : &c. Vox hebraica צִיִּים *tſiijm*, iuxta Kimhi, deſertorum incolas, putà Cedræos & alios, ſignificat. Græc. & Lat. verterunt *Æthiopes*. Senſus huius verſus ex Kimhi : Quotquot in remotis deſertíſque ab hominibus locis ac vaſtis ſolitudinibus degunt , eum adoratum veniant : ac multò magis finitimi populi : qui verò hoſtes ei eſſe voluerint, fruſtra ſint, frementes ſe nihil aduerſùs illum poſſe, ac præ ipſius timore puluerem
C lingentes. Sic ferè ille , niſi quòd verba ſimpliciter accipit in futuro. Acciperem ego ſimpliciùs *terram lingant* , pro, terram oſculentur, & quaſi lingant , venerabundi nimirum , corámque ipſo in terram proſtrati: hyperbolicῶς. Sumpta eſt autem hæc figura ab Orientalibus, & Aſiaticis , qui hodiéque ſolent , quum ad Regem ſuum adeunt, terram coram eo oſculari. Probat locus Eſa. 49. 23. *vultu in terram demiſſo adorabunt te , & puluerem pedum tuorum lingent*. Ac-
D cedat illud Michææ 7. 17. *Lingent puluerem ſicut ſerpens*, id eſt, proſternent ſe in terram, in ventrem inſtar ſerpentis procumbent, ac veluti terram lingent. Ezra putat vocem prædictam, *tſiijm*, potiùs *nautas* ſignificare, quòd in ſequente verſu Tharſis & Inſularum fiat mentio.

10 *Reges Tharſis , & inſularum* , ſeu, *inſulæ* , in nom. caſu, &c. Hoc perſpicuum eſt de Salomone , iuxta illud 1. Reg. 10. 22. *Quia claſſis Tharſis Regi per mare cum claſſe Hiram : ſemel per tres annos veniebat claſ-*
E *ſis Tharſis , quæ referebat aurum & argentum , dentes elephantorum , & ſimias & pauos*. Paulò aliter illic habet Græcus : paulò aliter Latinus : ſed eodem tamen pene ſenſu. Vide tu & iudica. *Tharſis*. Puto eſſe mare , quod Ciliciam alluit, & ex quo vrbs Tarſus regionis totius caput , patria D. Pauli, celebri eius maris portu clara nomen inuenit. *Offerant*, vel *afferant*. Vis eſt in verbo hebraico יָשִׁיבוּ *iaſchiuu*, id eſt, *reddant*, ad verb. *redire faciant* , hoc eſt, ſingulis annis pendant tributum. Sic 2. Reg. 3. 4. *& reddebat Regi Iſraël centum millia agno-*

Digitized by Google

rum, &c. *Arabum.* In Hebræo שְׁבָא *ſcheua*, per ש dextrum, quod Græcus & Latinus aliàs exprimunt *Saba*, exempli gr. 1. Reg. 10. 1. hîc verò ad diſcrimen סְבָא *ſeua* ſeu *Saba*, per ס, cuius etiã mentio fit, *Arabum*, verſu verò 15. *Arabiæ* vocabulo reddunt: & bene quidem. Nam Saba per ש vrbs eſt maxima Arabiæ Fœlicis in monte ſita, non procul à Mari rubro, quæ & regioni nomen dedit: cui regioni imperitauit illa Regina Saba, quæ, audita Salomonis fama, ad eum coràm viſendum & obſcuris quæſtionibus tentandum, non ſine magnificentiſſimis muneribus Hieroſolymam venit: quæ hiſtoria narratur 1. Reg. 10. D. Hieronymus & Felix hîc vertunt *reges Arabiæ & Saba.* Zacharias porrò Propheta cap. 9. 10. Chriſti imperium deſcribens, ait quod verſui, in quo verſamur, prorſus ſimile eſt, *& poteſtas (dominium) à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad fines terræ.*

11 *Et adorent eum omnes reges:* &c. De Salomone hoc abſolutè intelligi non poteſt: neque enim reges omnes abſolutè, ac multò minùs gentes omnes Salomonem coluerunt, ſed reges duntaxat omnes ab Euphrate flumine ad Palęſtinam vſque, Ægyptiorúmque fines, & quotquot trans Euphratem erant, à Thaphſa vſque ad Gazam, ſicuti patet ex 1. Reg. 4. verſ. 21. & 24. Neque enim quod legitur 1. Reg. 10. verſ. 23. *Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes reges terræ, diuitijs & ſapientia:* verſ. 24. *Et vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis,* &c. verſ. 25. *Et ſinguli deferebant ei munera,* &c. *per annos ſingulos:* iſtud, inquam, non intelligendum vniuerſim de regibus & gentibus omnibus, ſed tantùm de omnibus vicinis regibus ac finitimis gentibus. Probat manifeſtè hoc, quod dico, illud, *per ſingulos annos.* Nam quomodò ex vniuerſa terra per ſingulos annos ad Salomonem deferri potuiſſent munera? De Chriſto porrò verſus hic abſolutè intelligi poteſt, modò tamen vſitatâ ſynecdoche per *omnes reges* intelligantur omnium regnorum aliqui reges. Frequens eſt iſta figura in ſacris litteris, exemp. gr. Matth. 3. *Tunc exibat ad eum omnis Ieroſolyma, & omnis Iudæa*, id eſt, multi ex tota Iudæa. Nota porrò reges dici adoraturos Chriſtum, qui alioquin à cæteris hominibus colendi atque adorandi ſunt. Gentes verò ei ſeruituras, licet ſingulæ ſuos habeant dominos & reges, quibus tenentur ſeruire. Data quippe illi eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra: & ipſe eſt princeps regum terræ: habétque in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

Matth. 25. Apoc. 1. & 19.

12 *Quia liberabit pauperem* &c. Propterea, inquit, colant eum cuncti reges, & populi: quoniam eius iuſtitia longè latéque celebrabitur, vt qui miſeros omni ope deſtitutos tutabitur. *Clamantem.* Græc. & Lat. necnõ B. Hieron. quòd legerint מִשׁוֹעַ *miſchſchoa*, ex שׁוֹעַ *ſchoa*, quod *nobilem* & *diuitem* ſignificat, pro מְשַׁוֵּעַ *meſchauuea*, verterunt *à potente*, non incommodo ſanè ſenſu.

13 *Parcet pauperi* &c. Mallem vertere, *Miſerebitur pauperis & inopis.* Prior verſio non eſt incommoda, & Salomoni poteſt facilè conuenire, qui non nobilibus ac diuitibus modò pepercit atque indulſit, quod alij reges etiam ſolent, ſed etiam infimæ ſortis hominibus. Verùm poſterior meliùs cum ſequente membro cohæret, *& animas pauperum ſaluas faciet,* hoc eſt, tenuiores à potẽtioribus defendet, ne pro ſua libidine ſæuire in illos poſſint, quò etiam pertinet ſequens verſus.

14 *A dolo*, hoc eſt, occultis inſidiis, *& ab iniquitate*, ad verbum *violentia*, id eſt, vi aperta, *redimet animas eorum*, hoc eſt, illorum vitam. *A dolo.* Græcus, quem ſequutus eſt, vt ſolet, Latinus, vertit Ἐκ τόκου: putauit ſiquidem תּוֹךְ *toch*, hîc idem eſſe, quod τόκος: cùm duarum harum vocum diuerſa prorſus ſit ratio: τόκος enim *fœnus*, quaſi pecuniæ fœtum, ſignificat: תּוֹךְ verò fraudem intus latentẽ. Sed de hoc iam, credo, dictum aliàs. *Et pretioſus erit ſanguis eorum coram illo*, ad verb. *in oculis eius*, id eſt, non patietur quenquam illorum interfici, quin cædes eorum vlciſcetur: atque huc Ezra pertinere ait id quod ſequitur. Simile quid habes pſal. 116. 15. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* *Sanguis*, id eſt, vita. Vide ad verſ. 10. pſal. 30. Syriaca verſio habet *ſanguis eorum:* Aquila τὸ αἷμα αὐτῶν. Gręcus & Lat. hîc non conueniunt: Græcus enim habet ἔντιμον τὸ ὄνομα αὐτῶν ἐνώπιον αὐτῶν: Latinus verò, *honorabile nomen eorum coram illo.* Vterque videtur legiſſe שֵׁם *ſchem*, *nomen*, pro דָּם *dam:* & Latinus quidem שְׁמָם *ſchemam*, *nomen eorum*, pro דָּמָם *damam.* Suſpicetur aliquis ex Græco natum errorem, vbi quis luſcioſus pro αἷμα legerit ὄνομα.

15 *Et viuet* Rex ipſe viciſſim incolumis. *Et dabitur.* Ad verbum *& dabit* quiſque ſupp. Frequens eſt verbum tertiæ perſonæ abſque antecedente nominatiuo apud Hebræos vſurpari, quod tunc imperſonaliter exponi ſolet. Sic quod ad verbum in Hebræo eſt, *& orabit* quiſque &c. *benedicet ei* quiſque, Græcum & La-

Digitized by Google

tinum imitati per plurale vertimus. *Tota die.* Ex Kimhi vertendum *omni die*, id eſt, quotidie, quod magis probo. Friget hîc Raſi, qui ſic explicat, *Et viuet* Salomon. *Et dabit ei* Deus *de auro Schaba:* quod ita factum, iuxta illud 1. Reg. 3. 13. *Sed & hæc quæ non poſtulaſti*, (Salomonem Deus alloquitur) *dedi tibi, diuitias ſcilicet, & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in regibus, cunctis diebus tuis. Et orabit pro ipſo ſemper:* &c. Hæc oratio aliud nihil eſt quàm benedictio. Quum Deus cuipiam dicit, Benedictus ſis, precatio B quædam eſt. Ita ferè ille. At Ezra ſic ferè, *Et viuet* pauperum quilibet: neque eum ſolùm in vita ſeruabit, ſed etiam augebit opibus, quod quidem ſignificatur his verbis, *& dabit ei de auro Schaba. Et orabit pro ipſo* pauper. Kimhi, & Kabuenaki hunc pene in modum, *Et viuet* eorum quilibet cum illo: & hoc accipiendum quemadmodum illud Leuit. 25. 36. *Ne accipias vſuram ab eo, nec amplius quàm dediſti; ſed time Deum: viuátque frater tuus apud te* ſeu *tecum.* Huc ſpectat quod mox ſequitur, *& dabit ei* C *de auro Schaba*, quod valet idem ac ſi diceret, dabit pauperi de facultatibus ſuis, quò ſecum poſſit viuere. Dicit *de auro Schaba*, perinde ac ſi diceret, de auro quod illi afferetur ex Schaba, iuxta illud verſus 10. *reges Schaba, & Saba donum adducant*, id eſt, aurum, quod ex Schaba affertur. *Et orabit pro ipſo* Rege pauper. Chaldæus quoque interpretatur *& dabit ei de auro Schaba*, hunc in modum, *& dabit ei de auro, quod attulerint ei de Schaba.* Noſtra interpre- D tatio meliùs fluit, & minùs eſt coacta. Sed quomodò de Chriſto intelligi poterit, *& orabunt pro ipſo?* Optimè: ſi *pro ipſo* intelligas pro toto ipſius regno, & corpore, quod eſt Eccleſia. Nónne pueri diuino ſpiritu incitati Chriſto in templo acclamauerunt, *Hoſan-na* (id eſt, Salutem affer, quæſo, vel, nunc) *filio Dauid.*

16 *Erit pugillus frumenti in terra, in ſummis* (heb. *capite*) *montium, commouebitur ſicut Libanus fructus eius.* Elegans E eſt in his verbis hyperbole, quâ ſummam temporibus Salomonis frumenti vbertatem fore ſignificat. Tunc, inquit, tanta erit fertilitas, Deo populi precibus annuente, vt qui ſeminauerit frumenti tantum, quantum vola manus capere poteſt, etiam in cacuminibus montium, qui aridiores adeóque ſteriliores eſſe ſolent, inde ſpicæ atque ſegetes tam denſæ prouenturæ ſint, vt à vento im-

A pulſæ talem ſonum editluræ ſint, qualem arbores Libani. Sic ex Kimhi ferè.

Erit pugillus. Alij eodem ſenſu vertunt, *Erit particula.* Alij, in quibus Felix, *Erit multiplicatio* (ſeu *extenſio*) *frumenti* &c. exponentes ex Raſi, & aliorum Hebræorum ſententia פסת *phiſſath*, ex ſignificatione vocis Chaldaicæ פיסיון *piſion*, quæ eſt *extenſio* ſeu *diffuſio.* Sic quoque ſenſus fluet optimè, Tanta tunc erit frumenti vbertas in terra, támque denſæ, & ſublimes prouenient ariſtæ, vel in ipſis montium B verticibus, vt agitatæ à ventis edituræ ſint ſtrepitum ſicut arbores, vel fructus, ſeu ariſtæ Libani. Hoc ſenſu accepiſſe videtur D. Hieron. qui vertit, *Erit memorabile triticum in terra, in capite* &c. Poteris ſimpliciter interpretari, *in ſummis montium*, quæ ſcilicet ventus perflat potiſſimùm, & hoc referre ad, *commouebitur* &c. Hoc tamen D. Hieronymus priore modo accepit, qui vertit, *in capite montium eleuabitur ſicut libani fructus eius.* Sunt ex Hebræis quoque, qui vocem prædictam exponant פיוס *piius*, quæ vox Rabbinis ſi- C gnificat idoneam copiam, & quæ ſatis abundéque ſit, gallicè, *contentement*, vt ſenſus ſit, Tunc frumenti tantam futuram copiam, vt omnes ſint contenti. Obſeruat ad hunc locum Raſi Rabbinos vocem prædictam interpretari *tortas panis*, húncque verſum, ſicut & totum pſalmum, de Meſſia intelligere. Probo magis vt cum Kimhi vertatur, *Erit pugillus* (ſeu *vola*) *frumenti*, vel cum aliis, *Erit particula frumenti.* Alię ſiquidem ſignificationes ex ſacris Bibliis probari minimè poſſunt, súntque D alienæ à conſuetudine hebraici ſermonis: hæc, *volæ* nimirum, aut *particulæ*, ex Dan. 15. 5. confirmatur, vbi legitur, *& Rex aſpiciebat* פס ידא *pas iedha*, hoc eſt, *palmam* (ſeu *particulam*) *manus*, in Vulg. *articulos manus.* Adde, & ex Chaldaica paraphraſi 1. Reg. 18. 44. vbi pro eo, quod in Hebræo habetur, *ſicut vola hominis*, legitur כפסת יד גבר *cephiſſath iadh geuar.* Græcus vertit Eςαι ςηριγμα: Latin. *Et erit firmamentum:* quod quis mendum eſſe putet ex Latino, *frumentum*, natum primùm, dein E in Græcum codicem ab egregio ſcilicet correctore deriuatum. Verùm ſi ille animaduertat in Chaldæa paraphraſi legi, *Erit fulcimentum panis in terra*, non ita fortaſſe reijciet Vulgatam lectionem. Quidni enim per *firmamentum* abundantiam frumenti vitæ firmamentum & columen poſſis intelligere? Fauebunt aliquot Scripturæ loci, Geneſ. 27. 37. *frumento quoque & vino ſtabiliui eum.* Pſal. 105. 16. *Et vocauit famem ſuper terram: omne firmamentum* (heb. *om-*

Digitized by Google

nem virgam) *panis contriuit*. Eſaiæ 3.1. *Ecce enim dominator Deus exercituum auferet à Ieruſalem & à Iuda baculum & baculum: omnem baculum panis, & omnem baculum aquæ*, in Vulg. *omne robur panis, & omne robur aquæ*. Hic fui longior propter varias interpretum ſententias. *Sicut Libanus*, hoc eſt, ſicut Libani arbores, vel fructus. Potes vertere *ſicut Libani* ſcilicet fructus. Chald. poſteriore modo accepit, qui interpretatus eſt *contremiſcet ſicut in Libano fructus eius*. Eodem redit ſenſus. *Fructus eius* volæ ſeu particulæ frumenti. Vel *fructus eius* frumenti. Satis de priore verſus parte: nunc de poſteriore breuiter, eſt enim perquàm facilis: *& florebunt de ciuitate ſicut fœnum* (heb. *herba*) *terræ*, hoc eſt, non in agris modò erit benedictio, ſed & in vrbibus, ciuibus ipſis ob lætam pacem, omniúmque rerum immenſam copiam fœcunda prole creſcentibus, atque ita, vt videri poſſint ex quaque ciuitate, & terra ipſa veluti gramen exoriri. Hoc quidem euenisse ſub imperio Salomonis patet ex 1. Reg. 4. 20. *Iuda & Iſraël multi, ſicut arena maris in multitudine, comedentes*, &c. Summam verò regis fœlicitatem in populi multitudine poſitam eſſe conſtat ex Prouerb. 14. 28. *In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia* (heb. *attritio*) *principis*. Satis de hoc verſu: niſi præterea dicendum eſt, illud, quod hoc verſu continetur, Chriſti regno optimè conuenire, in quo ingens exiſtit prouentus & copia diuini verbi, quæ hic per abundantiam frumenti myſticè deſignatur, necnon piorum hominum è ciuitate Ieruſalem, id eſt, Eccleſia, vi verbi, & Euangelij veluti efflorescentium.

17 *Erit nomen eius in ſeculum*, ſeu *æternum*, id eſt, Perpetua futura eſt Salomonis memoria ob ingentes eius opes, & ſummam ſapientiam. *Ante ſolem*, hoc eſt, quandiu ſol erit. Vide ad verſum 5.

Sobolescet, vel, ſi fas ita loqui, *filiabitur*, ex נין *nin*, quod eſt *filius*, id eſt, perennabit, & perpetuabitur *nomen eius* longa, aut perpetua (ſi de Chriſto) filiorum ſucceſſione. Kimhi explicat *filiabitur nomen eius*, quaſi diceret, ſicuti filius memoria eſt patris, ita eius (Salomonis aut Meſſiæ) nomen perpetua erit memoria illius recte factis. Coacta hæc expoſitio. Chaldæus habet hîc, *& antequam eſſet ſol, præparatum* ſeu *deſtinatum fuit nomen eius*. Cui ſententiæ aſtipulantur veteres Rabbini, qui, vt refertur in Lib. cui titulus eſt *Ialkut*, ſcribunt, Res ſeptem præceſſiſſe

A mundi creationem, nomen Meſſiæ, quòd dictum ſit, *ante ſolem* ינון *ijnnon nomen eius*. Quòd *Ijnnon* ex voce, quæ *filium* ſignificat, deducendum, nomen ſit Chriſti ſeu Meſſiæ, illud verò Chriſtianis fauet, qui Chriſtum æternum Dei filium eſſe credunt, ideóque filium eſſe κατ' ἐξοχὴν. Et huc ſpectat illud pſal. 2. 12. *Oſculamini filium* abſolutè, id eſt, Chriſtum. *Sobolescet* &c. Si de Chriſto vis accipere, meliùs vertes *filiabitur nomen eius*, hoc eſt, filius appellabitur nomen eius: vel ex veterum

B Hebræorum, quos dixi, ſententia, *Ijnnon nomen eius*. *Ijnnon* autem, vti dictũ, filium ſonat. Græcus & Lat. habent *permanet*, qui putantur vel legiſſe יכון *ijccon*; id eſt, *firmum erit*, *permanebit*, pro ינון *ijnnon*, כ pro נ, vel ſenſum tantùm reſpexiſſe. Sanè prius magis mihi fit veriſimile, quòd videam Chaldæum ſic etiam legiſſe, quippe qui verterit *præparatum* ſeu *deſtinatum fuit*. *Et benedicent ſe* imperſonaliter: diuellendum enim hoc propter athnach ab eo quod ſequitur, *omnes gentes*. Vnde benè & commodè ad complendam

C loquutionem Græc. & Lat. addiderunt *omnes tribus terræ*. Chald. aliter diſtinxit ac legit, qui vertit, *& benedicent ſe in iuſtitia eius omnes populi, & dicent, Bene illi*. Hoc obiter obſeruare placuit, quò intelligeres non eodem ſemper modo Hebræos omnes legiſſe ac diſtinxiſſe: hic enim, quem diximus, adhibuit athnach ad vocem גוים *goijm*, gẽtes, & legit ויאשרוהו *veiſchſcheruhu*, *& beatum dicent eum*, pro יאשרוהו *ieaſchſcheruhu*, *beatum dicent eum*. Scio non eſſe magni momenti diuerſam hanc

D lectionem. *Et benedicent ſe in ipſo*, hoc eſt, & ſument ab eo fauſtæ precationis formulam atque exemplum, vt ſiquis deinceps alteri benè velit precari, dicturus ſit, Det tibi Deus, vt diues ſis ac ſapiens ſicuti Salomon: vel, quod eòdem redit, ſibi inuicem deinceps hac formula benè precabuntur, Benedicat nobis Deus, ſicuti benedixit Salomoni. Huc pertinet id, quod mox ſequitur, *omnes gentes beatum dicent eum*, vel, vt eſt in Vulgata, *magnificabunt eum*. Iſte loquendi modus, *benedicere ſe in aliquo*, ex-

E plicatus eſt ad verſ. 7. pſal. 21. Porrò non dubium eſt, quin hoc præſertim de Chriſto accipi debeat, *qui nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum*, (*quia ſcriptum eſt, Maledictus omnis qui pendet in ligno*,) *vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu*, ſicuti legitur ad Gal. 3. Eſtque hoc referendum ad illud Geneſ. 22. 18. *Et benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ*: quem locum Apoſtolus, vbi ſuprà, ſic interpretatur,

Digitized by Google

Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit: & ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.

18 *Benedictus Dominus Deus*, &c. Ego exiſtimo hunc, & ſubſequentes verſus non eſſe autoris pſalmi, ſed eius, qui pſalmorum libros diſtribuit, atque in ordinem digeſſit. Qua de re copioſiùs dictum eſt ad verſ. 14 pſ. 41. Poſſunt tamē hi quoque verſus eſſe authoris pſalmi, quibus nimirum concludat à gratiarum actione, poſtquam beneficia recenſuit, quæ Deus per iſtum regem daturus erat.

19 *Nomen maieſtatis* ſeu *gloriæ eius*, id eſt, nomen illius glorioſum. *Et repleatur maieſtate*, ſeu *gloriâ eius omnis terra.* Aptè hic verſus congruit ad Chriſti tempora, quando iuxta Zachariæ vaticinium, cap. 14. 9. fuit Dominus vnus, & nomen eius vnum, & iuxta Eſaiam, cap. 11. 9. *repleta eſt terra ſcientiâ (cognitione) Domini.*

Fiat, & fiat. In Fonte *amen, & amen.* Vide ad verſ. 14. pſ. 41.

20 *Finem habent orationes* &c. Senſus, Hic poſtremus eſt Dauidis pſalmus: aut, Hæc vltima Dauidis oratio, quam ſcilicet ad Deum fudit, paulò ante mortem, quum Salomonem filium regnum auſpicari voluiſſet. Cur igitur poſtremum inter pſalmos locum non obtinet? Reſpondeo. Pſalmi certis de cauſis, quæ ignorantur tamen, ab Eſdra, aut alio quouis non eo ordine diſpoſiti ſunt, quo ſcripti. Probatur. Pſalmus *Domine, quàm multiplicati ſunt* &c. à Dauide in Abſalomi coniuratione ſcriptus eſt, & tamen tertium locum inter pſalmos obtinet, cùm omnes ferè, qui ſubſequuntur, in aliis occaſionibus, quæ coniurationem illam præceſſerunt, ſint editi. Plura vidè de hac re in Argu. pſal. 57. Dicam quod mihi nunc demum venit in mentem ſuſpicari, Pſalmos non habitâ ratione hiſtoriæ, ſed numerorum duntaxat poëticorum aut muſicorum eſſe in ordinem digeſtos: ita vt ij forſan pſalmi in eundem locum ſint coniecti, quorum eadem eſſet ratio metrica, aut quorum ſaltem muſici numeri conuenirent. Forſan dico. Nihil affirmo. Sed ad rem redeamus. Ex Hebræis ſunt, qui hoc, *Finem habent orationes* &c. de Meſſia ſic explicent, Quum venerit Meſſias, & hæc contigerint, quæ hoc carmine prædicuntur, enimuerò tunc implebuntur orationes ſeu vota Dauidis filij Ieſſe. Sic כָּלוּ *collu*, præt. temporis pro futuro erit accipiendum, ac vertendum *perficientur* ſeu *abſoluentur*. Non placet hoc. Ex Latinis ſunt, qui putent his verbis, *Finem habent*, vel *Finitæ ſunt*, ſignificari in hoc pſalmo ſummam contineri earum rerum, quas Dauid omnibus votis expetebat. Sed neque hoc placet. *Orationes.* Græc. & Lat. habent *laudes*, quòd forſaſſe legerint תְּהִלּוֹת *thehilloth*, pro תְּפִלּוֹת *thephilloth*, vel ſenſum tantùm ſequuti ſint. Atque hæc de ſecundo Pſalmorum libro ſatis ad hiſtoricum ſenſum intelligendum, quæ, vti ſpero, aditum ad myſticos Sanctorum Patrum commentarios legendos haud difficilem præbebunt. Faxit Deus Opt. Max. cuius eſt omne hominis opus, & cogitatio, vt cæteros libros pari ſtudio, & diligentia abſoluere liceat. Det ille, inquam, qui dat laſſo virtutem, & cui non ſunt vires, robur multiplicat, vt mutem fortitudinem, aſſumam pennas ſicut aquilæ, curram & non laborem, ambulem & non deficiam. *Eſa. 40. 29. & 31.*

FINIS LIBRI SECVNDI PSALMORVM.

LAVS DEO, ET VIRGINI.

CVM

CVM quòd noua mihi occurrerunt ; tum quòd præſertim Typographicæ operæ non ſatis interdum fuerunt diligentes in numerandis Autographi paginis, idcirco neceſſe fuit quædam ad vtriuſque voluminis calcem reijcere, quæ, quum tibi erit otium, in ſuum quæque locum reſtitues.

OMISSA.

Pag. 77. col. 1. inter verſum 22. & 24. deſunt hæc,

23 *Quoniam omnia iudicia eius* fuerunt ſemper *in conſpectu meo*, ſeu, *coram me*; id eſt, Semper enim habui ob oculos leges ab eo ſancitas. Non hoc de nihilo eſt, quòd dicit *omnia*. Sciebat quippe, quicunque totam legem ſeruaret, offenderet autem in vno, factum eſſe omnium reum, quòd vniuerſæ legis videlicet idem ſit auctor. De hac re vide ſis D. Iacobum, Epiſt. 2°. cap. *Et ſtatuta eius non repuli à me.* Idem repetit, quaſi diceret, ad ſpectaui perpetuò tua ſtatuta, & leges, nec aliò conuerti animum, aut mentis oculos, ſed omnibus modis ſemper caui à peccato. Nolo nunc ſubtiliùs diſtinguere inter iudicia & ſtatuta, quòd hîc confundantur, & pro vno vſurpentur, nimirum pro vniuerſa lege diuina. Si proprias ſignificationes ſcire vis, quære ad Argumentum Pſalmi 119.

Pag. 155. col. 2. inter verſum 18. & 20. deſunt hæc,

19 *Propinquus* (*eſt*) *Dominus iis qui confracti ſunt corde*, &c. *Propinquus* (*eſt*) ad audiendum eorum clamorem & preces, quemadmodum interpretatur Kimhi. *Et attritos ſpiritu ſaluat.* Repetitio eiuſdem ex Kimhi. Dubium eſt quinam per *confractos corde*, & *attritos ſpiritu*, ſint intelligendi. Ezra, vt mox notatum, qui à vitioſa & praua conſuetudine receſſerunt, vult intelligi. Hoc ſenſu dicitur Pſ. 51. 19. *Sacrificia Dei, ſpiritus contritus: cor contritum & confractum, Deus, non deſpicies.* Ego puto commodiùs & aptiùs ad contextum per *confractos corde*, & *attritos ſpiritu* intelligendos, qui præ miſeriis & calamitatibus incipiunt animo ſuccumbere & frangi: qui, inquam, incipiunt animo ſuccumbere. Vt enim pios patiatur Deus peruelli & quadantenus pungi rebus aduerſis, nunquam tamen frangi penitus. Nam ijs tandem præſto eſt, auditque eorum clamorem & preces, antequam deficiant: quæ ſententia eſt huius verſus. Rectè autem & verè affirmat talibus propinquum eſſe Deum, qui licet ſit excelſus & ſublimis, habitans æternitatem; in excelſo & in ſancto habitet: tamen cum contrito & humili ſeu oppreſſo ſpiritu habitat, vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum, quemadmodum dicitur Eſa. 57. 15.

Pag. 242. col 2. lin. 46. pro quondam fuiſſet Arca. *lege* erat Arca. *móxque adde,*

Montem, inquam, Sion, ſimul & montem Moriam intellige, in quo præcisè tunc erat Templum, & in Templo Arca. Vterque enim mons, ſi tamen duo montes erant, aut potiùs eiuſdem montis tumuli aut colliculi duo, montis ſancti nomine intelligendus eſt, vnóque Sionis nomine vterque in Sacris literis ſæpe dicitur. Vide ad verſum 13. Pſ. 132.

Pag. 271. col. 1. lin. 1. pro id quod ſequitur *lege potiùs* verſum qui ſequitur. *adde verò mox,*

Portò hic Ezra *lingua doloſa* accipit in vocandi caſu: Kimhi autem conſtruit cum verbo *dilexiſti* in accuſatiuo. Hoc modo Græcus conſtruxit, illo verò Latinus. D. Auguſt. legit *linguam doloſam*.

Ibidem, *lin.* 8. *poſt* tollet. *adde*,

E tabernaculo tuo, iuxta Kimhi; ſuo, (Dei nimirum) iuxta Ezram, qui annotat idcirco hoc dicere, quòd de Doëg ſcribatur 1. Sam. 21. 7. quum ab Achimelecho accepit Dauid panes propoſitionis, *Erat autem ibi vir quidam de ſeruis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini*, ad verb. *concluſus coram Domino*, hoc eſt iuxta Raſi, qui ſe concluſerat ante Tabernaculum eccleſiæ ſeu conuentus, vt daret operam legi: vel iuxta Kimhi, qui illuc quidem venerat alijs comitatus, ſed illis egreſſis remanſerat, vt oraret, & ſacrificaret adhuc: hoc enim importare verbum, *concluſus*, putat Kimhi.

COMMISSA.

Pag. 22. *col.* 2. *lin.* 38. *pro* Tabernaculum, quod tunc vnà cum Arcâ erat in Silo, *domus Domini*, 1. Sam 1. verſu 7 &c *lege potiùs*, Primi Sam. 1. Tabernaculum, quod tunc vnà cum Arcâ erat in Silo, *domus Domini*, verſu 7. &c. *vt commodè intelligatur id quod illic annotaui*, Tabernaculum, quod tunc vnà cum Arcâ erat in Silo, *referatúrque ad tempus, & hiſtoriam* 1. *Sam.* 1. *Pag.* 42. *in Noua verſione ſic diſtingue verſum* 15.

Contere brachium peccatoris, & maligni: inquire peccatum illius, non inuenies.

Pag. 59 *col.* 1. *lin.* 4. *poſt* 1. Paral. 15. 1. *adde* quod fortaſſe hic intelligit Dauid, quia ſequitur *in monte ſancto tuo*. Quanquam nil prohibet accipi *tabernaculum conuentus*, quod illis temporibus, credo, erat in Gabaon, vt ex 2. Paral. 1. 3. conſtare poteſt. *Pag.* 60. *col.* 1. *lin.* 19 expilare. *Pag.* 68. *col.* 1. *lin.* 18. *hebræi verbi, ſágheru*, 1. *ſyllabæ appingatur accentus*. *Pag.* 131. *in Arg lin.* 23 *pro* reputaret *lege* haberet. *Pag.* 156. *col.* 2. *lin.* 29. dolor. *Pag.* 217. *col* 2. *lin.* 12. vita. Atque. *Ibidem*, *lin.* 39. *lege* 3. 4. *Pag.* 218 *in Noua Verſione*, *verſu* 9. aloës. *Pag.* 242. *col.* 2. *lin.* 5. *pro* quondam fuiſſet *lege potiùs* erat *Pag* 258. *col.* 1 *lin.* 6 plenis. *Ibidem*, *lin.* 8. Syrus. *Pag.* 323. *col* 1. *lin.* 18. ἐξεμούμενος. *Pag.* 344. *col.* 2. *lin. penult.* ἀκρίδων. *Pag.* 347. *col* 1. *lin.* 1 fiat quotidie. *Pag.* 348. *col.* 1. *lin.* 40. chytropodas.

Digitized by Google

Digitized by Google

1–6–2

Digitized by Google